image
not
available

LVI
D.
43.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
D
43
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# THEATRVM
# VIRTUTIS ET GLORIÆ
## BOICÆ

*SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS*

# MAXIMILIANI EMMANVELIS

Vtr. Bav. & Super. Palatin. Ducis, Com. Palat. Rheni, Landgraf: Leichtenberg: S. R. I. Electoris & Archidapiferi,

Cùm feliciſſimis auſpiciis Provinciarum ſuarum regimen recèns adiret,

Honori

*Erectum & dedicatum*

A Societate JESV per Bavariam.

*Anno M. DC. LXXX.*

Cum facultate Superiorum, & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſt. atque Sereniſſ. Electoris Bavariæ.

*MONACHII.*

Sumptibus Jo. Wagneri & Jo. Herman. à Gelder Bibl.

Typis LUCÆ STRAUB.

# SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI

# MAXIMILIANO EMMANVELI

## UTR. BOIAR. ET SUP. PAL. DVCI, COM. PALAT. RHENI LAND. LEICHTENB. S.R.I. ELECTORI ET ARCHIDAPIFERO.

*Societas JESV per Bavariam vitam & felicitatem.*

REm publicam capeſſis, Ducum Maxime, majorine Provinciarum tuarum, an totius Europæ plauſu lætitiáque incertum. Ad omnes pars tanti boni non minima pertinet. Tui Te accipiunt, adorántque

nunc quidem Principem, mox Patrię Patrem, & publicæ cuſtodem felicitatis; Roma & Religio ſalutat Aſſertorem: Gentium cæterarum Principes, Regésque, ac ipſi adeò Cæſares, cognatione proxima, aut affinitatę junctum amplectuntur. Multi Te Generum optant, Affinem alii, amicum ſociúmque omnes. Adeò magna ſunt, quæ de Te cuncti ſibi pollicentur. Nec ſanè minora expectari ab eo poſſunt, in quem flos Boici ſanguinis, hoc eſt, maximarum virtutum ſuccus fluxit. Certè his ſaltem poſtremis ducentis (nam prioribus temporibus variâſſe interdum videtur) ea fuit Majorum Tuorum virtus, vt rarum omnino negotium poſteris reliquerint diſceptandi, quis eorum cæteris anteſtet, cùm ſint omnes optimi, quæ autem alia Natio contendere cum Boiis de hac gloria poſſit, neſcimus: his certè gratulamur felicitatem ſuam, jucundiſſimâ præteritorum recordatione, futura, vtique non ex vano, metientibus. Quanquam non ex præteritis tantùm omen capimus; coràm intuemur ea, quę

gran-

grandia cùm ſint, & novis in dies incre-
mentis augeſcant, maxima tandē fiant,
neceſſe eſt. Admiramur enim in Te,
Princeps Sereniſſime, ingenii vim prom-
ptam experrectámq;, indolem ferè Re-
giam, nihil mediocre, ſumma omnia in-
hiantem; mentē cuivis negotiorum moli
parem; corpus ipſum laborū tolerantiâ,
ad dura quævis, Patriæ bono, ferenda ex-
ercitum; junctam deniq; (vt cætera omit-
tamus) amabili fœdere Comitati plenam
majeſtatis Gravitatem: quibus id aſſe-
queris, vt familiarium tuorum intimi,
quàm tenerè, ac ſine metu amant Maxi-
milianū, tam reverenter obſervent Prin-
cipem. Hęc dum ipſo Imperii exordio in-
tuentur Populares Tui, ſolus animus gau-
dia non capit: foras erumpunt, relucent
ſuccenſis in facibus, reboant in bellicis
machinis, tripudiant in theatris, feſtivis
in ignibus emicant. Par non erat publi-
ci negotii nos ſpectatores tantùm adſta-
re, & quibus lætandi cauſa communis,
immo præcipua eſt, ignavo otio reſides
torpeſcere. Nec dignum ſæcularibus
beneficiis monumentum, moriturę bre-

vi lucernulæ, aut extemporale Theatriolum videbantur. Vix exortam Sodalitatem noſtram complexi ſunt Majores Tui; & quot ab Atavo Tuo Bojariæ Duces vidimus, tot munificos Parentes numeravimus, qui ſedes nobis multas, peramplas, Templa magnifica, tantis Principibus digna, Gymnaſia erudiendæ Juventuti perquam accommoda conſtituerunt. Hinc etſi in aliis pluribus per Sueviam, Tyrolim, Helvetiam vrbibus domicilia fiximus, fermè tamen ab exteris Boicæ Provinciæ nomenclaturâ indigitamur, qui Superiorem iſtam Germaniam incolimus. Adeò ſcilicet præcipuo quodam, ac prærogativo jure Bavaris Principibus debemus, quidquid his in Terris ſumus, quidquid pro Dei & Religionis causâ laboramus. Tantos igitur Mecœnates noſtros, cùm, in Te Vno maximè, ſuperſtites veneremur, æquum eſt perennaturis beneficiis nos aliquid rependere, quod ipſum quoque ætatem laturum putetur. Hoc à litteris, homines ſcilicet illis maximam partem innutriti, mutuati ſumus; quibus vt ali-

qua

qua dignitas pretiúmq; accederet, illud à reſcribenda accerſere viſum eſt. Damus igitur tibi Majores tuos, qui ab vndecim, & quod excurrit, ſæculis, ſuprema Boicis Populis jura dixerunt. Hos, ſi Avum, Parentémque Tuum excipias, jam olim Andreas Brunnerus noſter *Tutelares* velut *Excubias* Parentis Tui recens nati cunis circumdedit, & operæ pretium tuliſſe eſt judicatus. Nunc, quoniam legentium aviditas abſumpſit ejus libelli exempla, quæ tum à prælo prodierunt; conſulere & Majorum tuorum gloriæ, & poſteris placuit, recuſo eo libello, & geſtorum ab Avo ac Parente Tuo appendice adjecta, placitura vtique Tuis & aliorum oculis, ſi magnitudini rerum ſtyli elegantia & majeſtas reſponderet. Aliam libellus frontem neceſſariò induit, cùm vagientem in cunis exhibere non ampliùs deceat, quem ſua jam merita Cœlo locârunt. Tibi autem Tuiſque primordiis eoſdem iterum Excubitores apponere, non ſatis è re cenſuimus, quòd non omnes fide optima id functuri officium viderentur.

)( 5 Sunt

Sunt namq; inter eos nonnulli (quid e-
nim diſſimulemus ?) quos ſua magis
ad poſteros vitia, quàm rectè facta com-
mendent. Itaque non jam *Tutelares* Ti-
bi *Excubias* addimus, ſed *Theatrum* pan-
dimus: nam in Theatro etiam peſſimis
locus eſt, qui ſi minùs Tragœdiæ gra-
vem, ludicram certè Comœdię fabulam
ſubminiſtrant, execrationes & ſibilos
pro plauſu reportaturi. Hos tamen ſpe-
ctâſſe fructu non caret; ferè enim, quæ
non ſatis diſplicent, cùm noſtra tantùm
ſunt, ſpectata in aliis vitia ſui odium ge-
nerant. Fortaſſis autem nulli omnino
Tragœdiæ in hoc Theatro erit locus
non ideò tantùm, quia noſter infra
Tragicam gravitatem ſtylus eſt; ſed
quia Tu, meliorem omnibus Te præſtan-
do, efficies, vt omnes ante Te Comœdi-
am tantùm, non Tragœdiam dederint:
Tragœdia enim, recepto Stagiritæ effa-
to, *Meliorum* duntaxat *imitatio eſt*. Ipſe
vero ſecuturis Principibus juſtum atque
legitimum, & quale omnino is, quem
dixi, Magiſter requirit, Tragœdiæ ar-
gumentum eris, quia vni Nomine, Re,
nulli

nulli *Secundus*, quòd in vnoquoque eſt optimum, imitando, prioribus omnibus melior, omnibus, qui ſequentur, eris imitandus: atque vnus planè totius hujus libelli breviarium eris, & Synopſis. Hæc dum ages, & Majorum Tuorum vultus animíque lineamenta ſubindè recognoſcere, hiſce in pagellis dignabere, noſtrum erit, Divninam Bonitatem exorare, vt Imperium Tuum æquum, diuturnum, fauſtum eſſe velit, útque tantis dignos Progenitoribus Nepotes ex Te intueamur, qui ſuccedere Tibi citò poſſint, ſerò debeant.

# ISAGOGE.

VIginti duobus Seculis, vltra quę *Bojorum* memoria fidis literarum monumentis Romanis pariter Græciſque extenditur, ſeptem eorundem Transmigrationes ſive Colonię ad famam inclaruerunt. Prima Annis Sexcentis Chriſti Natalibus antiquior, *Sigoveſo Duce*, ex Gallia Celtica in Germaniam & incinctos ſilvæ Herciniæ ducta ſaltus, iisdem *Bojohami* ſive *Bohemiæ* nomen velut indelebile veſtigium impreſſit. Altera ſub idem ferè tempus Italiæ regionem, quæ vltra Padum flumen eſt, occupavit, pulsíſque Hetruſcis & Vmbris ſucceſſores *Bojos* dedit. Tertia Ducentis Septuaginta Annis ante viſum in terris Deum Aſiam *Bojorum* genti aperuit, & verò etiam vectigalem fecit. Quarta Centeſimo Octogeſimo Sexto ante Salutem Reparatam Anno *Bojos* Italiâ cedentes in Tauriſcos, qui hodie Styri ſunt, deduxit; cùm per

ducen-

duecentos & amplius annos, Viginti Octo bellis, prœliis longè pluribus cum Populo terrarū Domino pertinaciſſimè, alternante Fortunâ, colluctati, Captæ Venditæq; Romanæ Vrbis Titulum omnibus ſpoliis opimiorem juris ſui feciſſent. Quinta Anno Sexto & quinquageſimo ante CH. N. partem *Bojorum* è Bojohæmo per Noricum, oppugnatâ illic Noreia vrbe principe, in Galliam primævam Patriam reduxit. Sexta Quadraginta Octo Annis poſterior *Bojos* à Marcomannis Bojohęmo pulſos in Nariſcis, qui hodie Nortgoii appellantur, collocavit: quo in loco cùm per annos quingentos & amplius deſtituti luce literarum delituiſſent, *Theodo* tranſmittendi Danubii & Vindeliciæ Noricique Romanarum Provinciarum, quæ in *Bojaria* poſteà nomen tranſierunt, occupandarum *Boÿs* Anno Chriſtiano Quingenteſimo octavo auctor fuit, ex quo tempore cùm vndecim ſecula, id eſt, totidem, quot Coloniç hujus vltimæ deductionem anteceſſere, *Bojorum* conſecrata memoriæ fluxe-

fluxerint ; Nos ſuperiorum nulla nunc quidem ratione habita, illos duntaxat Principes ſpectandos agnoſcendóque dabimus, qui *Theodonem* ordine in hæc vſque tempora ſecuti *Bojorum* genti cum ſummo imperio præfuerunt. Quindeni, qui Agmen ducent, *Agilolfinga* Familia inter *Bojos* nobiliſſima orti *Boÿ* extra dubitationem ſunt. Succeſſere deinde Nutu illius, qui Regnum à Gente in Gentem transfert, Francones, Saxones, Moſellani, Suevi, Auſtrii, intermicantibus ex intervallo *Boÿs*, donec *Wittelſpachia* gens avitum decus *Bojo* ſanguininominique recuperatum, in hæc vſque tempora cum ſpe immortalitatis propagavit. Nos honori omnium ex æquo favemus, animorum effigiem multò fideliùs quàm corporum prodituri: quid enim à penicillo ex tanta vetuſtate ſupereſt? cùm ille ipſe maximus Pictor, qui Æternitati laborare ſe dixit, hodie ſi redeat, nullam à ſe ductam lineam ſit reperturus; præterquam quòd tanti non eſt, Frontem hominis, quanti men-

mentem agnoſcere; cùm candor animi colorum omnium amabiliſſimus ſit, veriſſiméque Cicero dixerit, Animi quàm Corporis multò eſſe pulchriora lineamenta. Ridiculum ſit,ad quantæcunque vetuſtatis Imaginem capillum componere, attollere aut ſubmittere ſupercilia, plicare veſtem, cingi, calceaníque; cùm *Antiquis* potiùs *Moribus* Romana pariter Germanáque Res ſtatura ſit, quæque olim parandis firmandiſque Imperiis profuere artes, eas nunc quoque vſurpari frequentaríque longè vtiliſſimum ſit; vti viciſſim illa,vel morum vel hominum monſtra & dehoneſtamenta,non eo conſilio refodimus,quòd eorum quemquam eſſe ſimilem velimus; quin potiùs quos mala mens & improvida futuri in damnata veſtigia impulit, relaturos pedem ſpes eſt, inſpectis præcipitiis, quibus antecedentium fama lacerata & Fortunæ eliſæ ſunt. Bonorum tamen Malorúmque non niſi Epitomen promittimus, memores

mores, hóc, quidquid eſt, Operis, velut in Theatro ſpectandum exhiberi, vbi nemo ſibi omnem fabulæ telam pertexi amat, rerum verò geſtarum breviaria omnes exſpectant.




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# THEODO PRIMUS, AGILOLFINGVS, BOIORVM IN VINDELICIAM ET NORICUM DUX ET ANTESIGNANUS.

*QVi Chlamydi intextos* Boicæ *diſcurrere* Rhombos
*Cernit, & in Scuto ſtare* Theodo *tuo.*
*Forte rudem priſci Picturam rideat avi,*
*Heroiſque alias diſputet eſſe notas.*
*Nunc ubi Vindelicis Clypeus Ducis incubat arvis,*
*Tótq; tegit montes, tot tegit unus aquas;*
*Non intellecti diſcet Myſteria* Rhombi,
Aucupio *Magni nobilitata Ducis.*
*Captivos nimirũ Iſtrum qui traxit & Oenum,*
*Hoc* Teſſellatum rete Theodo *tulit.*

THeodo igitur, quod bene vertat, iiſdem Patriam Auſpiciis reviſit, quibus eam Primus cepit. Virtutis ea dicemus, ſi Armatus; ſi Inermis has ſibi Boicóque Nomini Terras ſubdidit, Fortunæ imputabimus, agnituri eâdem operâ, quid ſibi *Boicorum* Inſignium virgatum & bicoloribus diſtinctum Maculis emblema velit.

*Theodonis* Rete fuit Vindeliciæ & Norico ſuperinjectum; non quomodo Atheni-enſium Duci Timotheo Fortuna ca-ptivas Vrbes in Naſſam compegit dor-mienti: Noſter enim profectò non dor-miit, ſed, quæ prima pars prudentiæ eſt, inſidiatus tempori, illius beneficio, & Theodorici Gothorum Regis favore, qui Veronenſis noſtris dictus latè tum imperabat, pedem ſedémque in Vinde-licia fixit, & de Gentis ſuæ nomine *Bo-jariam* appellavit. *Theodonis* memo-riam non libri duntaxat ſed flumina etiam propagarunt; ad quorum traje-ctus, Danubij præſertim & Altmülæ, ut obſcuriora taceam, ſitæ Vrbes oppidá-que *Theodonis vada* ( Dietffurt ) ho-die etiam audiunt, eóque antiquitatis documento ſuperbiunt. *Theodoni* ad gloriam eximium eſt, vada reperta à ſe apertáque *Boÿs* ſuo nomine inſi-gniviſſe; cùm Francorum natio, qua parte Mœnum tranſiit, non id unius ho-minis ſed totius Gentis vadum voluerit appellari. *Theodo* nimirum ſui Nomi-

nis,

nis, quod primæva Celtarum linguâ Heroa ſignificat, & muneris inſuper memor, Ducem ſe ſuis per ardua etiam & invia præbuit, Magni Catonis æmulus, tum demum militem ad audendum excitantis, cùm primus arenas Libyes calcaret, primúſque gradus in pulvere poſuiſſet. Facinora *Theodonis* eâ apud poſteros famâ fuere, ut ne unius quidem eſſe hominis crederentur, & ex eo Geryonem non nemo formaverit, próque uno tres *Theodones*; quem etſi non ſequimur, id tamen ultro damus, in uno viro multorum inſtar fuiſſe, eadémque fiduciâ, qua Antigonus uno cenſeri capite non ſuſtinuit, licuiſſe illi dicere, *Pro quot me numeras?* At habebis hoc etiam amplius, *Theodo*; Toti *Bojorum* Genti, etſi unus es, ſufficis. Quidquid undecim ſeculis, quæ à tua Morte fluxere, Boico nomine cenſum eſt, *Patrem* te appellat. Vitam enim ſolus fortaſſe *Vtilo*, *Patriam* Tibi omnes debent.

# UTILO I. THEODONIS F. DVX BOIARIÆ SECVNDVS.

VTilo *ſuſpenſis Pacis Bona digerit Armis*,
*Vtilis ad Partas* Vtilo *Rector opes*;
*Ferre oculis Patriã facilis, nec ferre duobus*;
*Non ſatis eſt oculos Regibus eſſe duos.*
*Centum oculos cauti Paſtoris Vacca fefellit*;
*Sufficiant toti Lumina Bina Gregi?*
*Lumina bina, eheu! non conniventia tantùm*;
*Occupat hac etiam lumina bina ſopor*;
*Et ſopor æternus. primo qua dormiit ævo,*
*Mortua, vel certè eſt exoculata* Themis.

THeodonem *Vtilo* Filius excepit, quódque antè dixi, fortaſſe ſolus; quem enim illi Teodonem cognomento Wacarum noſtrates jungunt, Agathia invito, qui è Burnis vel Varnis itidem Germaniæ Populis ortum ſcripſit, aſſerere *Boÿs* erubeſcimur. præterquam quòd Gentis duntaxat Principes numeramus, in quorum cenſum Theodo hic non venit; cui tamen, ut in ſecundis quocunque jure ab aliis

rece-




BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

receptus poſſit conſiſtere, hactenus gratificabimur, ut Theodonem, quem proximum producturi ſumus, Tertium appellemus. *Vtilo* rerum ſuarum Scriptorem non reperit, aut certè ad nos non tranſmiſit. Satis illi ad famam, *Parta tutatum eſſe*, quod diſſimilis Patri Filius, in ſumma Hominum temporúmque iniquitate, nunquam feciſſet. Firmum Imperium non niſi Bono Hæredi relinquitur: utcunque fundatum imbecillum tamen Severus Imp. cenſuit, ſi in degenerem ſucceſſorem incidiſſet. Gothorum in Italiâ Regnum, quibus & Theodo, & forſan *Vtilo* etiam obnoxius vixerat, decem ante *Vtilonis* mortem annis Narſes everterat, haud dubiè eorundem Beneficiarios & Clientes non præteriturus, nî *Vtilo* ea dexteritate Clavum & Vela rexiſſet, ut neque fluctibus involveretur, neque irritaret inclementiam ventorum. Quod ipſum didiciſſe à Patre potuit, qui poſt Theodorici Gothi mor-

mortem, prævalente Francorum potentia, & vicinæ adeò Alemanniæ imponente ſervitutem, rem *Boicam* ita moderatus eſt, ut ſalvâ potentiâ, patriáque incolumi, amicis iis uteretur, quibus Hoſtibus par nunquam fuerat futurus. Quo tempore Francorum Leges accepit *Bojaria*, ne Reges pateretur; Jura faciliùs toleratura, quàm Jugum. *Utilo* Patris veſtigia, re in idem præcipitium adductâ, ſecutus parem cum eo laudem, uti & vigilantiæ ſuæ fructum tulit, optimo jure Genium nobis ſuum in Argi Imagine approbaturus, etſi nudus eſt, & pro ſceptro Pedum fert. Maximi Regis Titulus fuit, *Paſtor populorum.* Et centum toto ſparſi corpore oculi, quanto plus decent Principes, quàm totidem gemmarum elenchi! præſertim ſi pro ſalute Patriæ pervigilent, teſtentúrque, & ſibi & illis *Connivere* ſubinde fas eſſe, ſed non DORMIRE. Illos enim, qui præterquam quòd PECUS TONDEANT,

ANT,

ANT, nihil habent *Paſtorum*, vix habeam loco Principum. Quo verò illos, qui, quod etiam Tiberius Avarorum crudeliſſimus deteſtatus eſt,

*Deglubunt?*

# GARIBALDUS I. REX BOIARIÆ TERTIUS.

*QVi violas & fraga legis, cave Puſio; nidum*
*Inter delicias, quas petis, Anguis habet.*
*Diximus hæc Pueris, quis te* Garibalde *coëgit,*
*Hæc eadem timido Regibus ore loqui?*
*Anne piget, quòd te Titulis Regalibus auctum*
*Vidimus, & Generis Regibus ire parem?*
*An quòd alit capiti infeſtas Diadema colubras,*
*Quas* Curas *hodie dicere vulgus amat?*
*His tamen implicitum quis non cupit Anguibus Aurum?*
*Aut tibi detractum cur* Garibalde *doles?*

TErtio ab Vtilonis morte anno, qui Chriſti DLXVIII. fuit, Langobardi Narſetis accitu, Alboino Duce, non ſine *Bojorum* comitatu, in Italiam penetrarunt, Regnóque illic conſtituto, *Boÿs*, qui Patriæ charitati novas ſedes antetulerant, vicos eorundem nomine inſignitos contribuêre, magnâ ex eo Alboini commendatione, cujus humanitatem ſua etiamnum ætate du-


GARIBALDVS I. REX BOIAR. III. VSQVE AD ANN. DXC.
QVI TE NON NOVIT, TOLLAT

NAPOLI

centis non minus annis poſteriore, verſatam in ore *Bojorum* vernaculiſque decantatam carminibus Paulus Diaconus prodidit, qua tempeſtate quis *Bojos* rexerit, non ſatis liquet; niſi Aventini Theodopertum & Thaſſilonem Principatus Conſortes nullo alio teſte ſubnixos recipimus. Primus quem poſt Vtilonem literæ ab oblivione vindicant, *Garibaldus* eſt; qui novo exemplo pro Duce Regem ſe appellari paſſus eſt, incertum an volentibus Francis. Nam quòd Langobardis etiam affinitate ſociatus eſt, manifeſtum argumentum fuit veterem clientelam repudiantis. E filiabus geminis alteram Euino Tridentino Duci; Authari alteram, quem Langobardi abdicatis Ducibus Regem ſalutarant, elocavit. *Theodelinda* ea eſt, ſui ævi miraculum, noſtri exemplum, atque *Boicarum*, quotquot fuere, Heroidum ſine controverſia Princeps, poſt Gregorium M. qui literas illi, imò & libros inſcripſit, nullius præconis indiga, & utique poſt Arium

 trium-

triumphatum, totámque Langobardorum Gentem ad pietatis cultum traductam, humanas laudes ſupergreſſa, dignáque, cujus memoriam in auſpicatiſſima Corona, quam Agilulpho ipſa impoſuit, poſteri in hanc uſque diem Reges Italiæ Cæſaréſque ſublimi vertice circumferrent, quam enim *Garibaldus* Pater ſumpſit, & illum invidiæ objecit & noxium in Patriam Bellum attraxit. Proximo poſt deſponſam Authari Theodelindam Anno, qui DXC fuit, Childeberti Franciæ Regis ſigna per *Boicam* volarunt; adverſus quæ *Garibaldus* neque Regium Diadema, neque nomen tutatus eſt. Vitam quoque vel armatus perdidit, vel fugitivus turpiùs ſervavit, in ſola prole felix; cùm XVII. Reges, qui per annos CXXVI. apud Langobardos imperarunt, à Theodelinda & Gundoaldo Liberis ordine omnes deſcenderint. Pater nihilominus convitium Coronæ facit, haud tamen perſuaſurus ambitioſis, ut latere Anguem etiam in hoc auro credant.

per

per ferrum & ignes quæritur, ſed ut iterum ferrum & ignes pariat. Cur enim tot annis ardet laceratúrque Germania? Cos & Fax pernicioſſimi belli quæ alia eſt, præter *Coronam* ſublatam raptámque ab illo, qui neque ſe neque ſpolium novit?

# THASSILO I. REX BOIARIÆ QVARTVS.

*CEratis malè nixa volet cùm Gloria pennis,*
*Cur non Icariјs caſibus icta ſapit?*
*Summa petit Faſtus*; Medio tutiſsimus *iret,*
*Dædaleum cautus ſi ſequeretur iter.*
*Te certè memorant Garibaldi Fata timentem*
*Fortunæ frenos impoſuiſſe tuæ;*
*Cùmque Alæ poſſent domito tibi creſcere Slavo,*
*Nulla tamen crevit Criſta nec Ala tibi.*
*Alter ad hanc normam vixiſſes Thaſſilo! non tu*
*Icariј Caſus nobilis umbra fores.*

GAribaldo *Thaſſilo* ſucceſſit, ab eodem, qui Garibaldum dejecerat, Childeberto in faſtigium impoſitus; in quo primùm Regio nomine uſus Ducem deinde reſumpſit, raro & commendabili exemplo, ſi ſponte mutavit inſignia irritantia Fortunam, & invidioſi nominis jacturâ fluctus placavit ventóſque, in ſpem luculenti naufragiј ſævientes, quòd ſi Francus ei Diadema detraxit, ſic quoque conſultum eſt à præcipitiis quantumvis violenta manu abducto. Virtuti nihil adem-

ptum,



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

ptum, cui ſumma literarum hoc ævo raritas Triumphum tamen de Slavis decernit. Gens Barbara, neque Illyrico, quod imperante Juſtiniano occupaverat, contenta, etiam Italiæ opibus imminebat, quò neque avaritia neque crudelitas evadere potuit, abſque injuria Noricorum. *Thaſſilo* Anno DXCV. ingruentes aggreſſus gloriâ prædáque cum victore exercitu auctus eſt. Anno ſeculari Sexcenteſimo majore fiduciâ quàm conſilio eundem hoſtem duo *Bojorum* millia totum ſibi depopoſcere, ſperare victoriam auſa, ſi adverſus unum populum pugnandum fuiſſet, ſed acceſſerant Slavis Hunni, præſénſque in exercitu Cacanus Gentis Rex noſtrorum virtutem numero obruit. Cùm pedem nemo referret, honeſtæ mortis decus, quod victoriæ proximum eſt, ad internecionem cæſi accepere. *Thaſſilo* ad decimum annum cladi ſuperfuit, ſatis, ut cætera tacuerint literæ, exemplo modeſtiæ profuturus poſteritati liben-

bentiùs à Moderato Principe, quàm Phaethontis aut Icari fabulis erudiendæ, *Summa* quæque caſibus obnoxia, *medio tutiſſimos ire.*

GA-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# GARIBALDVS SECUNDUS HASSILONIS F. BOIORVM DVX QVINTVS.

EXhilarat Boicam *ter felix Senio Parmam,*
*Et nulli in Rhombos proſiliere Canes.*
*Tu tam ē ancipitē* Garibalde *laceſſere Martē,*
*Etſi tam dextrè eſt alea jacta, times.*
*Nimirum nudum dum ſerpit Oliva per enſem,*
*Vtilior Bello Pax tibi viſa fuit.* (*caſu;*
Caſus ubiq; valet; *ſtant Bellum & Theſſera*
*Fortunam cudit Caſus utrique ſuam.*
*Hos Caſus* Garibalde *times, reprimiſq; ruentē*
*Conſilij remorâ lentus in arma manum.*
*Diſce vel hoc ſtrictum, Miles, Duce condere*
*Si vagina deeſt, Tegmen Oliva dabit.* (*ferrū;*

GAribaldum Thaſsilonis Filium & dignitatis hæredem ne nunc quidem pudeat in Theatro Honoris Virtutíſque Conjugi primas cedere, & in ſuis titulis numerare Conjugij felicitatem. E quaternis Giſulphi Foro-Julienſis Ducis Filiabus *Gaila* il-

li obtigit, cui æternæ laudi fuerit, à Romilda Matre degeneraſſe, & diverſis ab ea ſtudiis tuendi Magiſtram fuiſſe Pudoris, quem Mater unà cum Patria Hoſti proſtituit, & quidem Hunno, id eſt, Atilæ Redivivo. Is Foro Julij imminens exempla ediderat, quidvis potiùs quam amorem merita. Romilda tamen, ut omnia in unum ſcelera conjungeret, intérque ſexus ſui monſtra inclareſceret, nullâ ætatis ſuæ, nullâ Filiarum nubilium reverentiâ, Vrbem Barbaro pro amplexu vendidit; adeò Impudicis poſt extritam verecundiam omnia vilia ſunt. Hunnus ne cum hac quidem dote venalem amaturus conjugem, conditionem verbo tenus acceptavit, & noctem unam laſcivæ deſideriis indulſit; diem ſequentem nobili vindictæ ex ſimulato amatore ſerius ultor conſecravit, palóque per viſcera adacto, obſcæno ſupplicio inſatiatam libidinem confixit, cùm Gaila interim ſororéſque aliis artibus & ſanè à tali matre non traditis periclitanti Pudicitiæ conſulerent; crudis pullorum carnibus ma-

mil-

miſſati ſtrophio abditis, quæ calore ſolutæ & putiſcentes hircoſos amatores fœtore fugarent. Succeſſit ex voto Virginibus artificium, quódq; unicè ambiverant, pro Amore Odium tulere. Vulgatum totis caſtris, *Langobardas omnes fœtere*, nulla refellente convitium; cùm noſtræ Nymphæ ne id quidem libenter hodie audiant: Non bene olere, quæ bene ſemper oleant. *Bojaria* nunc glorioſius eſt, ex illis Olidis accepiſſe Principem, quæ Caſtitate Pronuba Mater fieret Theodonis, & orituro Soli hanc Verecundiæ Auroram præmitteret. Propria *Garibaldi* decora intercidêre, extra unum illud, cujus notitiam Paulo Diacono debemus memoranti, eum cum Slavis ad Aguntum oppidum acie congreſſum cladem accepiſſe, ſed mox in ſuos auctores regeſtam, quos præda exutos ſuis abſtinere finibus coegit. Ovabit itaque, qui Slavos fugavit Armatus; Conjugi, quæ Hunnos abegit inermis, debetur Triumphus.

# THEODO XIII. DUX BOIARIÆ SEXTVS, A D. RVPERTO BOIAR. APOSTOLO BAPTIZATUS.

O *Toti Nomen* Boicæ *immortale*, Theodo!
*Quidquid utroque tenet* Bojus *in orbe, Tuum eſt.*
*Primus Vindelicos gentem deduxit in agros;*
*Tertius ignotam pandit ad Aſtra viam.*
*Tempore ab hoc cicures nutris gens* Boja *Leones*
*Et te non dubitat Nobilis* Agne *ſequi.*
*Ipſe* Theodo *ſuos figens Crucis Arbore Rhombos*
*Hoc mea, dixit, eris Patria tuta loco.*
*Stare negent humana diu. ſecura ruinæ es,*
*Donec ab hoc pendes* Boica *fixa tholo.*

EXacto ſub quinq; Principibus qualicunque ſeculo Sextus *Aureum* auſpicatur. Licuerit *Felices* hucuſque *Bojos* dicere; *Pios* nunc demum appellabimus; ut vel hinc agnoſcat *Boica* quanto plus *Theodoni* Tertio debeat, quàm Primo. Dederit hic certa genti cunabula & natale ſolum; qui Cælum ſuis aperuit, is verò inveniſſe Patriam

cen-


THEODO III. DVX BO. VI. CHRISTIANVS AB ANNO DCXVI.
STABIT QVAM DIV HINC PENDEBIT

NAPOLI



cenſendus eſt: Hujus cupiditatem *Theodoni* uxor Reginotrudis Franca origine iniecit, ſolenne ſuum hîc quoque tenente Numine, ut tractis ad ſe Francis per Crotildem, Gothis per Ingungem, Langobardis per Theodelindam, *Bojos* etiam Fœmina interprete ad ſe pelliceret. *Theodo* hac domeſticâ Suadâ delinitus Virili Eloquentiæ multo promptiùs manus dedit, & *Ruperto* magiſterium ſanctioris diſciplinæ profeſſo Regiam primùm, Provinciam deinde omnem in Ludum conceſſit Pietatis. Primus *Theodo* candidatus Cæli è Luſtrico Fonte prodiit, traxítque eodem obſequentem Plebem pulchritudine exempli. Æſtimatio Principis cæleſti Merci pro Hedera fuit, gratioſúmque in vulgus Præconium reddidit & Præconem; ut quoquo accederet, benigni Sideris more acceptus Lucem Diémque cupidiſſimis oculis & animis infunderet. *Theodo* adorare beneficia Numinis, eíque jam propiùs in *Boica* recepto dignas tanta Majeſtate ſedes moliri, Salisburgi erecta Arce Pietatis, & Or-

namentis omnibus largiter convectis, quæ Sanctitati etiam ſplendorem conciliarent. Sed eam veluti ſementem humanæ liberalitatis vinci non ſuſtinens Deus aurea confeſtim meſſe compenſavit. Sub illud ipſum tempus Salis Fontes Aurique Montes primùm viſos vectigaléſque Principibus factos, popularis ſententia eſt. Ne tamen Avaritiæ potiùs ea illecebra eſſet, quàm fomentum Religionis; D. *Maximilianus* divinæ olim in Norico legis interpres & pro eadem mortuus recentis opulentiæ primitias ſibi vindicavit, clariſſimis oſtentis Principi pariter Epiſcopóque auctor factus condendæ ſibi Ædis & Sacrorum hominum Coloniæ in feracem Auri fundum deducendæ. *Theodo* in ejus molitione operis in cælum abiit, Theodeberto Filio *Pietatis Studium* ut nobiliſſimam *Principalium curarum* exquiſitiſſimis verbis commendans, quam ſeri quoque Nepotes ita ad ſe pertinere intelligunt, ut *Theodonis* hodie poſt Milleſimum annum reducis cenſuram adeò non refugiant,

giant, ut provocent etiam. Nunquam tenaciùs Crucis Arbori adhæſit *Bojariæ* Scutum; nunquam ad illius pedem reverentiùs procubuere *Boici Leones*: iidem in *Paſcuis Agni* tam frequentes, ut *Scutulati Teſſellas* Emblematis *Hoſpitales* felicium Convivarum *Teſſeras* poſſis appellare.

# THEODEBERTVS THEODONIS F. DVX BOIARIÆ SEPTIMVS.

*SOlarem Proles Aquilina probatur ad ignem;*
*Nec placet, immoto ni bibat ore diem.*
*Quæ generis documenta ſui velit eſſe* Theodo,
*Sculpta vides Nati in pectore, picta Manu.*
Virgo parens *Sole & nitidis formoſior Aſtris,*
Virgo Oetinganæ magna Patrona Domus,
*Explorat* Boicæ *Genium, ſine fraude, Iuventæ;*
Prima nota eſt Boici ſanguinis, eſſe Pium.
*Quid numeras proavos? Genuina propago Parentum*
*Cenſeri ſolo* Matris amore *potes.*

VNa vox *Theodeberto* pro Panegyrico eſt, Tibi quoque, in quantacunq; decora creſcis, ſuffectura, *Maximiliane Emanuel*, ſi eodem Te, quo *Theodebertum* jure poſteritas cenſeat, dicátque *Patriſſaſſe.* Et ille quidem, cùm Parentis veſtigiis conſtantiſſimè inſiſteret, nulla calcavit libentiùs, quàm *Pietatis.* Itaque votam D. *Maximiliano* à Patre Ædem an-




NAPOLI



te omnia ad faſtigiũ perduxit,à quo nomine neq; te abducimus, *Maximiliane Emanuel*, etſi non tam ad Parentis urgenda Oettinganæ Baſilicæ cœpta invitamus, quàm abſolutiſſima exempla intuentem ad æmulationem cupimus exardeſcere. In colenda exornandáque *Dei Parente* perinde feceris, ſive *Theodeberti*,ſive *Parentis* tui propoſitum teneas; cúmque in ejus cultu ſummum utrumque deprehenderis, illius ſtudia ſeculi ſui ſimplicitate,hujus Munificentiam ad ſui Majeſtatem Genij expendes. Ille ad primæva Te Cunabula jam canæ,& Milleſimum dudum Annum egreſſæ Pietatis vocat,& ſacræ rubiginis *Caſam* veriùs quàm *Baſilicam*, cui *Rupertus* ſanctitatem, *Diva* noſtra *Aſyli Jus* impertiit, oſtentat, religioſiùs utique adoraturo hanc nuper ſplendiſſimè cœpti Ædificij Mariàni infantiam, quàm vetus Roma ſui gurguſtium Romuli & Ruminalem Ficum, ſub qua Lupa Nutrix Gemellis Fratribus mammam præbuit, venerata eſt. Certè enim ſuo hic *Pietas*

*Boica* nutrita eſt *Lacte*, ejuſdémque Anteſignani & Fundatores *Theodo Theodebertúſque* à diviniore Vbere pependere; ut non immeritò *Lupus* vetuſtum Oetingani Inſigne Clypei eraſus, inde locum cedere *Virgini Matri* Optimæ *Principum* & Religioſæ Gentis *Nutrici* coactus ſit. Cætera *Theodeberti* facinora ejuſdem exempli fuere. Semper ille Nomen ſuum monumentis Religionis libentiùs quàm Trophæis inſcripſit, liberaliúſque à *Ruperto* evocatis, & ſub Crucis ſigno, in caſtris ſanctitatis, quàm Marti militantibus ſtipendia numeravit, incruentis duntaxat victoriis imminens, quæ Superſtitione debellata & everſo Impietatis Regno, plauſum in cælo merentur. Nihilominus Cataphractum pinximus, ſed qualem Tutela Patronæ *Virginis* facit; quam quiſquis *Theodoberti* exemplo amplectèris, jam novo more *Loricatus* es.

HVGI-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# HVGIBERTVS THEODEBERTI F. DVX BOIARIÆ OCTAVUS.

*QVid ſibi vult ſocio junctus cum diſpare Taurus?*
*Anne jubent Leges hoc* Hugiberte *Tua?*
*Dux eadem qui jura Bovi dedit atque Leoni,*
*Credi etiam poterit Iura dediſſe ſibi.*
*Texat Araneolus Muſcarum Retia: ſed* Lex
*Stringat majores omnibus æqua Feras.*
*Improbo, ſi timidam vexat cenſura Columbam;*
*Cum tua defendat, Corve, rapina gulam.*
*Mille vacant Furcæ: cur ergo Furibus illic,*
*Ob* Loculum *querimur ſæpe deeſſe* Locum!

ETiam *Hugibertum* Theodeberti Filium ignoraremus, niſi avitam paternámque liberalitatem æmulatus, ditandâ Salisburgenſi Eccleſiâ, æternitati Nominis ſui conſuluiſſet, Arnonem Primum ejus loci Archiepiſcopum Præconem meritus. Minùs apta famæ conciliatrix eſt armata ferro, quàm piè prodiga auri manus. Certè Bulgarorum cædes, quam eo imperante factam ratio

temporis convincit, neque laudi illi fuit, & ſi Imperium abfuiſſet, vel refragari licuiſſet, non effugeret notam crudelitatis. Bulgari ab Avaribus acie victi regnóque pulſi in Francorum Clientelam capitalium aliàs hoſtium ultima acti deſperatione conceſſerant. Dagobertus XIII. Virorum Millibus hoſpitium in *Boica* decrevit, eoſdémque per hyberna ſparſos una nocte jugulari juſſit, cujus facti ratio etſi ad imperantem pertinet, gloriam tamen ex ejus carnificinæ miniſterio nemo aucupabitur. Illud ad memoriam illuſtrius, quòd *Hugiberti* principatu *Boicæ* leges pridem condi cæptæ ſæpiúſque interpolatæ lucem tandem aſpexerunt. Primus iis Theodoricus Clodovæi F. Theodone Primo rerum potiente, manum admoverat, publicaverátque etiamnum rudes, antequam Juſtiniani ſtudio Romanum Jus ordine digeſtum in hominum manus venit. Verum *vetuſta Paganorum conſuetudo*, ut Dagobertus loquitur, minùs utibilem Theodorici operam reddidit;

&

& verò etiam Childeberti, qui ante annum Chriſti DC. ſecundas eidem negotio curas impendit, diligentiam eluſit; multa ut Clothario, plura etiam Dagoberto ejuſdem Filio ad Majorũ inventa adjicienda ſuperfuerint; qui deniq; Quatuor Virûm conſilio adjutus meditata perfecit; quos inter cùm Agilulphus memoretur, accitum eum ex Agilolfingorum principe apud *Bojos* familia, ut ſcita moribus Gentis ſuæ attemperata in Tabulas referret, ex ipſo ejus nomine fit veriſimile. *Hugibertus* itaque primus ex legibus ſcriptis jus dixit, tum denique probandum omnibus, ſi *Summis, Mediis, infimis*, adeóque etiam *ſibi* ſcriptum credidit, perpetuáque æquabilitate adminiſtravit. Tabulæ adhuc extant. Dies, Vſus & Imperantium Arbitrium multa innovarunt, multa antiquarunt; donec Avus Tuus, *Maximiliane Emanuel*, vt incondendis quoq; ſapientiſſimis legibus ſe Orbi Salomonẽ probaret, hanc etiam Spartam regio animo ſtudióque ornandam ſuſcepit, juréque Provinciali ad ſum-

ſummam perfectionem adducto promulgatóque, corruptelarũ, ſi quæ ſupererant, reliquias ab omnibus Tribunalibus & Prætoriis ſubmovit, eo quoque ſucceſſu Quatuor Franciæ Regibus felicior, qui centum & amplius annos condendis *Boicis* legibus intenti *Auream Themidis Libellam* non repererunt.






NAPOLI

# THEODO IV DVX BOIARIÆ NONVS.

*Sic oculos, ſic Ira manus, ſic torqueat ora;*
*Sed tamen Ira meum non decet iſta Ducem.*
*Adſtrictum teneat non una compede ferrum,*
*Sed quot habet primas lingua Pelaſga notas.*
*Filia peccavit; cadat iſto Filia ferro?*
*Nec quæ peccavit Filia ſola cadat?* (*ira;*
*Heu!* Emeramme *etiam te Principis obruit*
*Non facere hoc ſaltem debuit Ira nefas.*
*Vnum,* Emeramme, *habuit, te vivo,* Boica *Si-*
*Ah! vel Sideribus parcere diſce furor.* (*dus;*

THeodonis IV. qui Hugiberto haud ſcio an Filius ſucceſſit, Faſtos *Emmerammus*, utinam nullâ Principis culpâ! cruentavit. Quid indignius videre *Boica* potuit Cæde talis Viri, & quidem ſub Principe Chriſtiano? Fecit Ira, quod Impietas non auſa eſt; & ut *Bojaria* Martyrem haberet, inconſultus furor ferrum ſtrinxit, non odium Religionis. Ille ipſe hoc Patriæ columen ſtravit, qui Imperium ſuum *Emmerammi* virtute credidit fulciri, nunquam mutaturus ſententiam,

ſi

ſi iram habuiſſet in poteſtate. Vtæ illam Filiæ mendacium in ſanctiſſimi Viri infamiam accendit, ut fœdatus ſtupro crederetur Magiſter Caſtitatis. everſus iniquiſſima ſuſpicione animus ruénſque per præcipitia non de cognitione cauſæ, imò neque de ſimplice vindicta cogitavit. Primum impetum exceptura Filia fuerat, digna quidem vel ob Calumniam perire, ſed non paterna manu. Servavit tamen fuga noxiam. *Emmerammi* cædem Lantbertus *Theodonis* F. peregit ſua & patris irâ tumens. Huic pœnas pependit Innocentia, quantas neque confeſſa convictáque Libido potuit mereri. Articulatim conciſus eſt *Emmerammus*. annummerata Lantberto membra ſunt, & poſt innumera vulnera vix tandem via facta eſt ingenti Animæ & æquè magnis prodigiis, quæ ſanctiſſimum Virum non abſolverunt tantùm, ſed etiam vindicârunt. Lantbertus Carnificinæ ſpectator dictatórque miſerrimis exemplis cum omni poſteritate plexus eſt. Poſt trecentos etiamnum annos piacu-

lares

lares Victimæ ex ejus domo & ſanguine *Emmerammo* ceciderunt. exiſtimes ſingulos articulos pluribus capitibus luendos fuiſſe. *Theodoni* in eundem cenſum venturo veniam ſupplicij ſeria pœnitudo & Martyris cultus impetrarunt. Opus illius Cœnobium eſt, quod Tumuli ſacrario adjecit. Nos inter Anathemata etiam *Theodonis* Pugionem conſecravimus, ſed catenis revinctum, & quidem pro Elementorum Græcæ linguæ Numero, libentiùs ipſi Iræ compedes injecturi, ſi vinciri hanc belluam domeſticam ejus Nutricij paterentur. Saltem ah! ferrum irati ne vibrate, antequam hos apices, quibus illigatum eſt, percurratis. Athenodorus Auguſto hoc conſilium probavit, quò major ſpes eſt, à Chriſtiano Principe non repudiatum iri, cui ſi unquam turpe eſt neſcire literas, tum maximè iraſcentem nolim eſſe

ἀναλφάβητον.

THEO-

# THEODEBERTVS II. DVX BOIARIÆ DECIMUS.

HÆc *quoque* Boje *tuis debetur gloria Rhombis*,
Tutius *ut* nuſquam *ſe ſciat eſſe Cliens*.
*Hoc regum Fortuna ſibi depoſcat aſylum*,
*Et ſi quem miſerum vis inimica facit*.
*Accipiat profugas Caſſis criſtata Columbas*;
*Miluius irati ſentiat arma Ducis*.
*Tu tamen Imperio fateare, Anſprande, recepto*,
*Aiacis Clypeum jam, puto*, Bojus *habet*.

PVlcherrimum Principalium munerum eſt Tutela Miſerorum, quos vel Fortuna immerentes afflixit, vel invidia dejecit. Hinc ſua *Theodoberto* fama, omníſque ex uno facinore gloria; ſed quale unum, ſi memorandum poſteris ſinguli Principes reliquiſſent, nihil neceſſe foret integris ſeculis exprobrare ſterilitatem virtutum. Deceſſerat anno Sexcenteſimo Nonageſimo Nono Langobardorum Rex Cunibertus, qui ex Garibaldi *Bojorum* Regis proſapia Deci-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI



mus quartus Genti illi cum ſummo imperio præfuit. Luitberto Filio ejus impuberi Anſprandus tutor datus, fide egregia, ſed cui Fortuna non reſponderet. A Ragumberto Patre & Ariperto Filio coronæ æmulis bis profligatus exitium fugâ in *Boicam* ſuſceptâ evitavit. *Theodobertus* Exulem non modò hoſpitaliter habuit, & in annum uſque decimum fovit, ſed eundem comparato demum juſto exercitu in Regnum reduxit, tantò majore ejus facti gloriâ, quòd Aripertus, quem in Clientis gratiam bello appetebat, genus ad Garibaldum & *Bojos* referret, eo uno momento qualiacunque Anſprandi jura facilè depreſſurus, ſi ſanguinis quàm æquitatis potiorem rationem habuiſſet. Itaque ventum ad manus, eóque animorum ardore pugnatum, vt victoria in medio penderit, æquior tamen Ariperto, eóque tranſitura, niſi inclinantem ad ſe fugâ deſtituiſſet. Anſprandus regnum Virtuti *Boicæ* debitum tres non ampliùs menſes tenuit. Luitprandus F. vt quorum bene-

ficio regnaret, aliquà teſtatum faceret, Guntrudem *Theodeberti* Filiam in regni thorique conſortium vocavit, carpere nihilominus *Bojorum* fines auſus, mortuo ſocero, an præmortuâ navatæ operæ gratiâ memoriâque, incertum. Neutra res ingratum juvat. Non potuit illi ſine ſcelere excidere beneficium continuâ novem annorum vſurâ vtique ſatis firmatum adverſus oblivionem. ſed fungentur illius vicem literæ, oſtendéntque latentes poſt *Bojariæ* Scutum Reges, ſuique periculo Capitis alienam propulſantes miſeriam *Bojorum* Duces, quod denique eſt commodare Galeam Columbis in ſuffugium, adverſus Miluos.




BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

# THEODO V. DUX BOIARIÆ VNDECIMUS.

*Canitiem Galea ſolitus velare* Theodo,
*Qualia jam nudo vertice bella paras?*
*Quid facit inſuetis Miles veteranus in armis?*
*Pura tibi hos animos & brevis Haſta facit?*
*Penula vix humeros, ſed ſcortea penula; pectus*
*Non bene Clavigero tum Sene Parma tegit.*
*Sic tamen armatum vidit te Roma; Tuúsque*
*Hac* Pace & Bello Bojus *ad Arma ruit.*
*Ille Tuus Patriam ſuſtentat* Scipio: *Túque*
Scipio *jam Gentis diceris eſſe tua.*

NOn pudet nos Principis Penulati, Sceptrúmque mutantis hoc Scipione. Agnoſcimus Inſignia, & Cultum Religioſi Viatoris & Piorum Regum æmuli, quos ab vltimis Britannis ad Apoſtolorum limina adoranda Pietas citavit. Talem ante Nongentos & amplius annos Roma & Chriſtiani orbis Pater Gregorius II. *Theodonem* V. vidit, ne quis vetera exempla aut idoneos *Bojorum* Genti deeſſe Duces putet, eadem Arma Pace

Bellóque vſurpanti, intérque cætera Religionis ſtudia hæc veluti gentilitia inſignia conſtantiſſimè tuenti; quorum tamen initia non à *Theodone*, ſed ab ipſis diſciplinæ Chriſtianæ in *Boica* receptæ Cunabulis repetimus; cùm primis adeò Legibus, quas Reges Franci *Boijs* ſcripſere, peregrinantium ſecuritati diſertè ſit proſpectum. Verba legis vtcunq; horrida repræſentamus; *Nemo auſus ſit inquietare vel nocere Peregrinum; quia alij propter Deum; alij propter neceſſitatem diſcurrunt; tamen una pax omnibus neceſſaria eſt.* Inter fructus pietatis, quos *Theodo* in Patriam retulit, ille quoque cenſendus, quòd eo brevì hoſpite aucta eſt, quales raro Numinis favore è Cælo cadere vulgus exiſtimat, & ad quem in *Boicam* attrahendum Pio Principi vel Romam currere tanti fuit. *Corbinianus* hic eſt clarum pluribus Terris nomen; vt quem ea vna res bis è Gallia fugavit, quòd quas affectabat latebras, radij ſanctitatis ſimilium proditores ſiderum vbique detegerent, collocaréntque virum in luce, quam

quam ipſe ſibi nolens circumdediſſet. Eam dum à ſe excludere nequidquam laborat, in *Boicam* denique intulit, ſed iſthic quoque omnium in ſe ora convertens, & *Theodoni* utique non ignorabilis docto æſtimatori cupidóque imprimis talium decorum, qualibus *Corbinianus* abundabat, & ſummâ in ſacrum ordinem reverentiâ prenſare coleréque familiariter ſolito, quidquid vſpiam eſſet Magiſtrorum Sanctitatis. Hic ergo talem nactus virum, quid non fecit, vt brevem hoſpitij vſuram ſtabili jure Civitatis permutaret, pateretúrque *Fixum Bojariæ Sidus* ſe dici? Id cùm Viro non perſuaderet, tum quidem lautiſſimè donatum à ſe dimiſit, eâ mox gratiâ abire ad Superos viſus, vt quem conciliare Patriæ vivus non poterat, impetraret mortuus, ſempérque de patria optimè meritus eandem veluti poſthumo hoc munere de cælo bearet.

# GRIMOALDUS THEOD. V. FIL. DVX BOIAR. DVODECIMVS.

T*V quoq; Sol gentis* Boicæ Grimoalde *nite-*
*Ni tegeret radios Luna propiqua tuos.* (*res,*
*O fatale malum Magnis Heroibus Vxor*
*Improba, Virtutum quæ ſine dote venis!*
*Abſq; tua Pilitrude foret, non viveret Exul*
*Tam procul à* Boico Corbinianus *agro.*
*Sed fugit Fortuna ſimul. ſimul hoſpita fracta eſt*
*Teſſera,* Rhombi *etiam diſſiliere tui.*
*Túque tuúſq; Puer miſeranda morte probâſtis;*
Regum vna niti Relligione domos.

JAm olim Theodo communicato cum tribus Filiis Imperio ſanctioribus curis ſenium ſuum affixerat. *Grimoaldus* proxima Italiæ ſortitus Friſingæ vt plurimum ſe tenebat, ipſe quoque non alienus à Pietate,& in *Corbiniano* demerendo cum Parente officiis certaturus. Illud enim quanti fuit, quòd in cernenda hæreditate filijs eum jure exæquavit, ſi ſedem inter *Bojos* figere in animum induxiſſet. Ne ſic quidem exorato Xenia libe-


GRIMOALDVS DVX BOIAR. XII. A. DCCXVII.
INFELIX CONIVNCTIO.

liberaliſſimè congeſta: additi comites, qui ad Provinciæ fines deducerent: imperatum inſuper Venuſtæ Vallis incolis, obſervarent reducem, tunc fortaſſe daturum manus, conceſſurúmque in vota Principis. Neque fefelliſſet ſua ſpes *Grimoaldum*, ſi ſui ſimilem *Corbinianus* reperiſſet. Amor interim omnia turbaverat vetitarum conciliator Nuptiarum, Pilitrude Franca in ejus thorum deducta, quam Theobaldi fratris mors viduam fecerat. Negavit, eo flagitio comperto, *Corbinianus*, apud adulteros ſe diverſaturum, nihil veritus dicti aſperitate radere delicatas aures, & Verum etiam Byſſo involutum non libenter admiſſuras. Quadraginta dies ad eundem tonare modum non deſtitit, donec Amantibus verecundiam primùm, tum etiam lacrymas expreſſit. Affuſos denique pedibus Salute, ſuáque confeſſione reos veniâ dignatus eſt gravis nihilominus Cenſor etiam in poſterum futurus, & nullis officiorum illecebris virgulam ſumiſſurus. Abominetur nonnulla no-

ſtri ævi Palatum, vt nimis aſpera & ſine condimento hodierni moris; quale illud fuit, cùm bucceam panis de Menſa, cui bene precatus fuerat, in os Canis jactanti Principi non tantùm ſeriò iratus eſt, ſed ſede inſuper proripiens ſeſe menſam ipſam cum apparatu omni argentóque proruit, Ducum pariter Canúmque dedignatus eſſe conviva. qua libertate tantùm abeſt, vt *Grimoaldus* offenderetur, vt potiùs velut in manifeſta deprehenſus noxia, adhibitis etiam deprecatoribus, alienâ illi eloquentiâ & ſuâ modeſtiâ ſatisfecerit. Aliàs cùm Pilitrudis ſola peccaſſet, filiolum ex ſe genitum excantari paſſa, *Corbinianus* non tantùm in præſtigiatricem Anum verbis verberibúſque liberaliter animadvertit, ſed cognito percuſſorem ſibi paratum, intra Alpes refugit, dira omnia *Grimoaldo*, quæque ejus indolem corruperat, Pilitrudi denuncians, ſed jam nullis piaculis redimenda; à quibus *Grimoaldus* tantò minus abhorrebat, quantò ab hoc quidem ſcelere erat alienior. Nihil poſt volun-

Juntarium *Corbiniani* exilium Duci ex ſententia obvenit. Filius carminibus Magicis afflatus ſubitò efflavit animam. *Grimoaldus* ex inſidiis periit. Patria Bello involuta. Carolus Marcellus Victor inter ſpolia etiam Pilitrudem abduxit. paulò pòſt faſtiditam vilis aſellus vile pondus, ſed inſigne oſtentum Fortunæ, ſeu potiùs Iræ Numinis circumtulit, donec ſpectatum ſatis Italia ſepelivit. Quid nos? nempe admiratio alios, alios miſeratio *Grimoaldi* ſubibit ferentis talem Cenſorem; Ferentis autem? imò reverentis, adorantiſque vt Deo plenum, & fundamenta inſuper jacientis illius Potentiæ, quæ *Corbiniani* Succeſſoribus Friſingenſibus Epiſcopis accrevit. Quid illi ad ſummam defuit, ſi vnam odiſſe mulierculam potuiſſet? Nunc fatis viam aperuit, quæ *Agilolfingorum* in *Boica* imperium per impotentes Fœminas everterunt.

# HUGIBERTUS II. THEODONIS V. FIL. DVX BOIARIÆ DECIMUS TERTIUS.

*Ergo damus Venatorem pro Principe? certè*
*Non fruſtra cornu Dux* Hugibertus *habet.*
*Vox etiā prohibentis*, O vi ne credite Boii,
*Arguit attenti pro Grege vota Patris.*
*Hybrida nempe notat* Boicis *in ovilibus Agnū,*
*Imò ſub Agnina pelle latere* Lupum.
*Corruerat Pietas, ſi non mala Bellua cauti*
*Debellata foret ſedulitate Ducis.*
*O utinam juvet hæc omnes Venatio Reges!*
*Figat Apros alius; vos jugulate* Lupos.

Facilè agnovit malorum fontem *Hugibertus*, quæ fraternā domum inundaverant obruerántque. Itaque devoluto ad ſe *Boica* imperio nihil antiquius habuit, quàm fugitivam cum *Corbiniano* felicitatem reducere, & illius ſanctitate expiare tot malis afflictám; Liberos adeò ſuos vt Patri commendare, & cum illo nomen hoc habere commune. Id *Corbinianus* per reliquam vitam tulit cum

fide;




NAPOLI



fide; mortem ipſam non niſi præmonito *Hugiberto* & velut impetrato commeatu obiit; *Hugiberto* funus ducente, quóque orbari etiam mortuo nollet, Friſingæ condi ſuſtinente, cùm ipſe Maijs intra Alpes tumuli locum ſibi optâſſet. proinde neque eam pietatem ratam habuit, ſed menſtruâ pluviâ nunquam remiſsâ caſtigavit, donec refoſſus, eóque, quo diximus, loco D. Valentino contumulatus eſt. *Hugibertus* jacturam viri multis dolendam nominibus, ſed eo maximè damnoſam expertus eſt, quòd clauſis optimi excubitoris oculis, inviſa ante illum diem monſtra malum in *Boicam* pedem intulere. Ehrenwolfus potiſſimùm quidam re & nomine Lupus graſſabatur in Chriſtianum gregem, neque per ſe cautùm ſatis, & tum maximè indefenſum. Jam erant, qui cum Lupo vlularent, aut illecebroſa novitate conſcelerari aures ſuas paterentur. Clades accipi ingens poterát, niſi *Corbiniani* vices *Bonifacio* DEUS impoſuiſſet, & *Hugiberti* Imperio hanc alte-

ram

ram Tutelam deſtinaſſet. Ille perſonato Lupo ovillam detraxit, ſimúlque ne Ovium candori imponeretur, providit. Plebs minimè malè cogitans neque refractaria in Viri poteſtate fuit; optimus quiſque neque à latere Romam repetentis diceſſit, ſpectator Triumphi futurus, qui illic Maximo Heroi, ob debellatam pluribus Germaniæ locis ſuperſtitionem, decretus eſt. Miſſæ ab eodem ſacrorum hominum ſuppetiæ, præcavendis etiam in poſterum incommodis, & ſuſtentandæ Pietati. Willibaldus, Wunibaldus, Waldpurgis, & Cuniburgis gratioſa hodiéque nomina & *Boicæ* inprimis ſalutaria *Bonifacij* munus ſunt; in quorum comitatu etiam *Sebaldum* agnoſcere Majores noſtri potuere, mirarique feliciſſimum Nautam, cui Danubium Ratisbonæ tranſituro penula pro lintre fuit, & pro velis remiſque Innocentia; quo tempore ejus Vrbis Epiſcopum Ratharium Arnolfus Comes memorat, ipſum quoque piæ *Hugiberti* munificentiæ & donati D. *Emmerammo* Pirchin-

chinbacenſis fundi teſtem. Creperum, bellicúmque ſi quid ab eo præterea geſtum eſt, præconem non reperit. etſi mihi quidem plauſibilius multò, qualicunque Claſſico Veteratores Lupos ab eo coercitos profligatóſque, quàm ſi Patriæ pacem militari Lituo turbaſſet. Quid? quòd ferè ab his Belluis Bella. Hodie quidem ſine Lupis foret, tantum Germania ſanguinis non fudiſſet.

VTI-

# UTILO II. DVX BOJARIÆ DECIMVS QVARTUS.

*CEnſurâ effugiat Princeps, cùm Soliû in ore*
*Audeat hic maculas enumerare puer?*
*Te Pietas, te Religio, quis neſcit? Atlantem,*
*Teq; ſuû agnoſcunt,* Vtilo, *Templa Patrem.*
*Dedecorat tamen hæc animi Bona Faſtus, & in-*
*Pro Duce qui Regẽ te jubet eſſe Tumor. (gens,*
*Sed quid profectum eſt rapto Diademate? Pacẽ*
*Patria, quale Bonum! perdidit, imò Ducem.*
*Nam Solium quondam Regéſq; & Sceptra cre-*
*Iam fata & Tumulû dicere nemo poteſt. (pantû*

ETiam *Vtilo* (quod bene vertat) à Pietatis ſtudiis principatum Anno DCCXXXIX. auſpicatus, revocato ad ſacrorum cenſuram *Bonifacio*, non tantùm à fucis & Impoſtoribus Patriam liberavit, ſed eandem inter Antiſtites quadrifariam partiendi poteſtatem indulſit, Laureacenſis Cathedræ Paſſavium transferendæ potiſſimus auctor, & eâdem ditandâ dotandâque Fundatoris Titulum, Arnulphi Imper.

Te-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Teſtimonio, meritus. Id nomen etſi Achſtettenſes Suiggero apud ſe tribuunt, *Vtilonem* nihilominus in partem ejus gloriæ vocant, qui & Suiggeri liberalitatem Principali ſuffragio ratam habuerit, & de jure ſuo multa comiter remiſerit, Wilibaldo, quo perquàm familiariter utebatur, gratificatus; in Wunibaldum fratrem ejus nihilominus ita munificus, vt ejus maximè opibus, quod Haidenhaimij molitus eſt Aſceterium, ſurrexiſſe conſtet. Tam benignâ, quæ optimi Principis ſtudia longè latéque differebat, famâ excitatus Pirminius ipſe quoque Vir Sanctus & plurium Monaſteriorum Pater eundem, ut conſiliis ſuis inprimis opportunum, nullo labore impulit, ut contaminata priſcâ ſuperſtitione Querceta duo Religioni conſecraret, quæ retentis Altaichij nominibus hodiéque ſanctitati operantur. Annumerare his quinque alia poſſumus ſacrorum hominum domicilia *Vtiloni* debita; undena alia eo rerum potiente nata, ſummis viris Principis exemplum æmulantibus,

ejúſ-

ejúſque favore ſubnixis. Pius ab his ſtudiis dictus, Fortis cognomentum eodem jure ſumpſiſſet, ſi quantos in bella animos tulit, bonitati cauſæ acceptos ferre licuiſſet. Nam primo quidem, quo inter Caroli Martelli auxilia adverſus Saracenos ſtetit, laudis ei gloriæque abunde partum, qua Martellus ipſe optimus militaris Virtutis æſtimator oneratum in patriam remiſit. In cæteris ferè de fortuna queſtus eſt, ſeipſum rectiùs accuſaturus. Hiltrudem Pipini & Carolomanni ſororem fratribus invitis ſibi junxerat, certúſque offenſæ etiam Diadema ſibi impoſuerat in novæ nuptæ gratiam, fratribus inſultans, iiſdē oſtentare ſe in armis auſus, & copias copiis objicere Lyco flumine fretus, & tam infido limite Faſtum ſuſtentans, donec Franci reperto vado & ſtrage edita, Regem à ſeipſo coronatum, à Lyco ultra Oenum rejecerunt, ſed detumeſcentem in fuga, & coronam ſponte ejurantem: quæ modeſtia etſi eum cum Victoribus in gratiam reduxit, Fortunæ tamen non ſatis-

ſatisfecit. ea inſuper Griphoni conjugis fratri, ſed, uti multis videtur, extra conjugij leges genito in *Boicam* irrumpenti imparem eò miſeriarũ adduxit, ut Conjuge, Filóque Thaſſilone & patriâ ipsâ ſpoliati etiam veſtigia extriverit; ut multi eum ex hoc tempore mortuis adnumerent, alij Monachis; cùm tamen neque hi cellam, neque illi tumulum monſtrare amiſſi poſſint. Adverſus Griphonem, quod ſatis conſtat, nihil auſus, conpeſcendam Pipino ejus inſolentiam reliquit. Illum ergo, ſi libet, flebimus. Nam Ambitonem, quæ ex omni Naufragio enatat, rectiùs ridebimus, quòd extra monumenta Pietatis, quorum ipſa ut ad ſe non pertinentium rationem nullam habet, *Ducis* ſui, imò *Regis* nihil hodie poſſit oſtendere.

# THASSILO II. VTILONIS F. DVX BOIARIÆ DECIMUS QVINTUS.

*Tune etiam Patrij ſpectator* Thaſſilo *caſus*
*Fortuna vitreâ ludis,ut ille, pilâ?*
*Tu raptam ut ſimili tueare furore Coronam,*
*Compoſitus* Carolo *Nanus in arma ruis?*
*Quin adeo in rimas tua dum Fortuna dehiſcit,*
*Componis vitrei fragmina rupta Globi.*
*Ah! ſaltem excuſſa toties ſpem pone Coronæ,*
*Aut voti fraudes experiere tui.*
*Iam tibi ſub nigro Coma detondenda Cucullo eſt;*
*Hæc ſola eſt Faſtu digna* Corona *tuo.*

INclinatam ab Vtilone rem *Boicam Thaſſilo* planè evertit infelicior Patre Filius, niſi quòd hujus tumulum ſcimus & *tria Nomina*, velut Rotæ radios, quibus illigatum Fortuna & Ambitio verſaverunt, donec hic Verſiculus velut à torno prodiret;

*Thaſſilo Dux Primum. Poſt Rex. Monachus ſed ad imum.*

*Dux* non Patris magis quàm Pipini munere; ab hoc *Boicam* Griphonis Tyranni-

de




BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

de liberatam nondum egreſſus pueritiam accepit; & ſub eodem paulò pòſt Franciæ Rege ſalutato Tirocinium militiæ poſuit. Anno etiam ſequenti, qui ſeptingenteſimus quinquageſimus ſeptimus fuit, Sacramentum illi cum nobilitate *Boica* conceptiſſimis verbis dixit, ſex annis religiosè cultum, teſtatúmque egregiis officiis, donec ex bello Aquitanico profugus caſtrorúmque ſimul & fidei deſertor obnoxium Franco & ſemiliberum imperium eſt deteſtatus, hoſtis propterea in comitiis publicis declaratus, neque niſi beneficio gravioris belli, quod Francum vrgebat, vindictæ Caroli Magni relictus, qui à mollibus remediis curam inutilis ferociæ auſpicatus Sturmioni Viro Sancto Fuldenſis Cœnobii Auctori eidémque gente *Bojo*, & claris natalibus, ſanandi *Thaſſilonis* partes impoſuit; cujus Viri tam commoda fuit Oratio, vt *Thaſſilo* in ejus ſe poteſtate futurum Carolóque ſatisfacturum ſpoponderit. Et verò decem annis ſibi conſtitit, & ſine vlla maleficii, imò malevo-

lentiæ nota egregium Principem egit; Pace Bellóque bonus. Nam & ad Hiſpanienſem Victoriam, miſſis Carolo auxiliis, plurimum contulit, & domi de Carantanis triumphavit, integram laudem patriámque tranſmiſſurus ad poſteros, ſi domeſticum ſed blandum hoſtem nimis vxorius viciſſet. Luitpurga Deſiderij Langobard. Regis à Carolo victi captíque F. Paternæ calamitatis immodica miſeratione & impatientiâ perditis illius rebus *Thaſſilonis* Mariti integras admiſcuit, abſtractúmque à Caroli amicitia patrocinio deſperatæ cauſæ velut impare ſarcina oneravit. Hoſtilia ex eo tempore agentem Carolus vſq; ad contemptum famæ ſuæ tulit, & properanti perire per Legatos Pontificios ſuóſq; arma iterum extorſit, reddidítque Bonam Mentem; quam vtique, recepiſſe videri potuit, cùm ſacramentum Wormatiæ renovatum duodecim obſidibus firmavit. Sed diu illi per Vxorem modeſto quietóque eſſe non licuit. Verſæ iterum in bellum curæ, ſed quarum

mox

mox ſuum auctorem puderet, ex apparatus tenuitate, raritate ſignorum, militúmque torpore æſtimantem, quàm turpiter in acie eſſet ſtaturus, etiam in meliore cauſa, & adverſus multò minorem hoſtem. Itaque Leoninæ Vulpina ſubſidio fuit; miſsíque Romam Legati ſummi Viri velut ex ſinu Pontificis certam pacem petituri: à qua cùm Carolus ne tum quidem abhorreret, & Adrianus Pont. ad ferendas conditiones deſcenderet, inconſtantia Legatorum tergiverſantium fabulam prodidit pariter evertítque. Itaque Pontifex devotum fulminatúmque Carolo caſtigandum objecit, ſed adhuc cunctanti, &, quis credat? etiam roganti *Thaſſilonem*, ne ſibi neceſſitatem ſtringendi ferri imponeret. Ille timeri ſe ratus ferocibus dictis patientiam Caroli exhauſit & triplicem ſupra caput tempeſtatem attraxit. Germanicum, Francicum, Italicúmque omne nomen velut ad vnam feram in ſuis opprimendam latibulis *Bojariam* latè omnem prætexuit, & fluctus, quod

dicitur, excitantem in ſympulo manſue-
fecit. Iræ confeſtim criſtæque cecidere
circumſeſſo, & neque ad fugam rimam
invenienti. Spes vna erat reliqua illius
placandi, qui in maxima potentia & ju-
ſtiſſimis iraſcendi cauſis omnia præter
iram in promptu haberet. Carolo ergo
ſe ſiſtit, & mitiſſimi Regis oculis auri-
búſque ſuæ pœnitentiam ſtultitiæ tam
peritè admovet, vt meruerit abſolvi.
Obſides duntaxat imperati, ínque his
*Theodo* F. frenum futurus paternæ levita-
tis, donec illud quoque Luitpurga ex-
cuſſit, ventilatíſque odij facibus Amo-
rem Filii & reſides pietatis affectus ex-
tinxit. Ita *Thaſſilo* Patrem eſſe ſe oblitus,
vel centum *Theodones* impenſurum ſe
vindictæ ſpopondit; Hunnis nihil propè
à belluarum feritate differentibus eâ
tantum gratiâ fœdere junctus, ne ad vl-
tionem ruenti humanitas, quæ in illis
nulla erat, manum injiceret. Cùm ni-
hil addi ad furorem poſſet, neque jam
*Boicæ* tantùm ſed populorum omnium
intereſſet, *Thaſſilonem* inter ruinæ publi-
cæ

cæ molitionem opprimi, Ingelhemij A. DCCLXXXVIII. communi Comitiorum conſenſu obrutus, vltima meritum ſe, ne ipſe quidem diffiteri potuit; affuſus duntaxat Caroli pedibus cauſſam peſſimam lacrymis egit, quibus ille ex judice emollitus in Patrem, omnia alia exſpectanti vitæ gratiam fecit; quam ille integram vxoriiſque ſubductam corruptelis Laurishaimenſi Cœnobio intulit, & *Agilolfingorum* gloriam annis ducentis octoginta adoratam *Bojariæ* Cucullo involuit, multò in eo quàm in purpura felicior, & illic denique fructum laturus antehac egregiè cultæ Pietatis. Inſigne illud ad memoriam & fortaſſe vnicum hac in re exemplum; Romam eum olim abiiſſe, deportato vna in faſciis *Theodone* F. vt ſacris ab Adriano Pont. Aquis ablueretur. Munificentia ejuſdem miraculis quàm exemplis propior; monumenta vetera percurrenti detrahere Religioni Religioſiſque domiciliis omnibus paupertatem voluiſſe videbitur. Monaſterium, cui à Chrembſa nomen, à

fundamentis erexit,& Guntherum F. ab Apro laceratum eôdem intulit. Mattſeeum, Thierhauptum, Monaſterienſe, Chimenſe Virginum eundem auctorem prædicant. Weſſobrunnenſe cæleſtibus prodigiis & Scalæ ad Cælum porrectæ ſpectaculo excitatus reſtituit, vti & Pollinganum; cùm agitata ab eo cerua ternas, illic Cruces effodiſſet. D. Valentini oſſa Paſſavio, *Corbinianum* Friſingæ, Dux ipſe Pompæ intulit, vt ſi ei ſuis vivere moribus per Langobardam licuiſſet, *Bojaria* in Optimi Maximíque Principis Tutela acquieſcens ne Carolum quidem Magnum fuerit deſideratura.

CA-




BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

# CAROLUS MAGNUS REX BOIARIÆ DECIMUS SEXTUS.

Carole, *nulla tuos æquabit charta triumphos,*
*Charta characteres non habitura tuos.*
*Regia Templa Deo cùm bis duodena locaſſes,*
*Hæc ſunt Grammaticæ dicta Elementa Tuæ.*
*Mira Elementa quidē Mundóq; futura ſtupori,*
*Sed plebeiâ hodie non imitanda manu.*
*Nempe tui Calami periere & Sepia; talis*
*Litera cùm ſcripta eſt, Aurea Penna fuit.*
*Sed reddunt Elementa vicem tibi Cæſar, & una*
*Sufficit in laudes litera prima tuas.*
*Nempe etiā ille tuo Templū jam ponit Honori,*
*Qui te inter Reges nominat* Alpha *Pios.*

THaſſilone exauthorato, *Boicam* ſibi Poſteriſque *Carolus Magnus* aſſeruit, nec ipſe ab *Agilolfingorum* ſanguine alienus, ſi recenter excogitata magniſque, quod mirere, probata Viris Carolini ſtemmatis ad Vtilonem Theodonis Primi fratrem propagatio antiquitatis ſuffragio niteretur; quod etiam in aſſignando Natali ſolo deſidero, gratulatu-

rus alioqui *Boica*,Cunabulis ejus glorianti,tale Sidus, niſi Eginhardus,quo nemo hæc ſcire certiùs potuit, ignorationem Patriæ confeſſus,ambitioſa deNatalibus ejus certamina ſuſpecta omnia reddidiſſet. Regem eum, quod in confeſſo eſt, *Boij* A.DCCLXXXVIII. acceperunt, cum priùs geminâ de Hunnis eodem anno reportatâ victoriâ *Carolo* probaſſent, quàm longè à furioſis Thaſſilonis conſiliis,immanem gentem objectis ſtipendiis evocare auſi, abeſſent. *Carolus* Reginoburgum profectus leges *Boicas* novis tabulis auxit; Juri dicundo inſignes ex vtroque ordine Viros; provinciæ vniverſæ Geroldum Hildegardis Conjugis ſuæ Fratrem præfecit. Triennio pòſt ipſemet è *Boica* in Hunnos movit, & tridui ſupplicationibus per caſtra decretis exemplum ſecuturis Ducibus præbuit, non ſolam in conſilium Fortunam adhibendam; quæ ideo nunquam fefelliſſe *Carolum* credenda eſt, quòd illi ſine adminiculis Pietatis non confideret, eâ tunc quoque Bellum confecit. primis præſidiis

diis in poteſtatem adductis, hoſtis nuſquam comparuit. Quinquaginta duo dies non præliando ſed prædando abſumpti impunè; ex Manubiis templa ditata, ſolenni *Caroli* more, cui ſemper præ Ærario Sacrarium fuit. Benè collocaſſe deſtinatas Cælitibus opes paulò pòſt Mortalium perfidiæ ab iiſdem ereptus probavit. Fuere ex Francis proceres nonnulli, qui odiſſe hoc orbis decus, déque eo tollendo cogitare ſuſtinuerunt. Factionis caput Pipinus Caroli F. ſed nothus & gibber, inſignis magni Herois noxa. Cædis conſilia in Petri Apoſtoli Templo Ratisbonæ agitata; quaſi id quoque genus pietatis eſſet, & non ſine Numine furerent. Fardulphus ſacerdos horribile arcanum ex occulto aucupatus Regi aperuit, qui neque in Parricidas ſævus vindictam mitibus ferè exiliis abſolvit, tanta exinde in Tutelares Divos Pietate, ſæpe vt ex Palatio ſuo ad *Emmerammi* Mart. Ædem excalceatus prodire viſus ſit, ne ſcilicet orbis *Carolum* tantùm Cataphractum miraretur.

Sed

Sed nimirum huncNudipedem A. DCCC. Capite CoronatoRoma Auguſtum adoravit; ex quo tempore Germania Orbi imperat, & *Caroli* Virtute adhuc fruitur. Actis illius enarrandis nullæ literæ ſufficiunt, quarum tamen ipſe vindex fuit & vnicus Patronus, Regum omnium, vt Fortiſſimus, ita Doctiſſimus, paríque in Germana Romanáque lingua facundiâ: & illam quidem etiam auxit Ventorum Menſiúmque nominibus repertis, quódque ad perpetuam Germaniæ laudem pertinet, de Grammatica etiam vernacula ſolicitus, eam quoque curam Imperatoriam exiſtimans, quam hodie minutuli literatores dedignantur. Sed ad alterum *Caroli* Alphabetum progredimur Regiũ ſine dubio & Baſilicum, cum literæ ipſę ſint Baſilicæ, quas pro earundẽ numero ab eo conditas non leves Authores tradidere, locis Vrbibúſque delectis, in quorum Nominibus primores Literæ Alphabetum conficiunt. Mettenſem in *Boica* haud ſcio an inter illas recenſeam, etiamſi *Caroli* ſumptu crevit.

In

In Aquiſgranenſi, quæ in Alphabeto locum principem tenet, Alphabeti auctor humatus eſt A. DCCCXIV. Æt. LXXII. circumpoſitis Pietatis pariter Majeſtatiſque inſignibus, vt ſpectaſſe etiam mortuum proſit. Stupebimus *Caroli* veſtem intimam Cilicium fuiſſe, ſed quod purpura tegeret; Peram à tergo pendere, quam nobilis Viator in ſacris peregrinationibus Romam uſque tulit; Evangeliorum Librum manibus inſertum, quæ ipſe recenſuit, & ad Græcorum Syrorúmque exemplarium fidem correxit. Hæc qui viderit, non mirabitur, exiſtimo, *Magni* in vita nomen meritum, à Morte *Sanctum* appellari.

# BERNHARDUS PIPINI F. CAR. M. NEP. REX ITALIÆ & BOIAR. DECIMUS SEPTIMVS.

*Blandus erat, qui te Fortunæ dixit Ocellum,*
*Cùm pariter* Boiis *Iura Italiſq; dares.*
*Triſtia ſed blando cecinit ſub nomine fata,*
*Cæcus cæca oculus debuit eſſe Dea.*
*Cujus ſi fraudes Pupilla effoſſa retexit,*
*Credat jam cæco Turba Oculata Duci;*
*Admoveátq; Oculos Oculù, diſcernere verum*
*Quiſquis amat. Fallent nulla ſpecilla minus.*

Satis Terrarum Regnorúmque fuit, quod Carolus in Tres Filios partiretur; jámque tabulas teſtes ſuorum votorum A. DCCCVI. Leoni Pontifici probandas miſerat, caverátque, vt *Boica* Danubio tenus contributa Italiæ Pipino cederet, Transdanubiana Carolo obveniret. Ambo *Boijs* egregia virtute cogniti, & Victoriarum participes, quas eorum ductu de Bohemis & Hunnis retulerant, certam de ſe ſpem concitarant, Pipinum Avi, Carolum Patris nomen famámque æqua-



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III
NAPOLI

æqualibus factis propagaturum. Deo aliter viſum. Intra biennium ambo Patri ſuperſtiti prærepti teſtamentum reſciderunt. Pipino *Bernhardus* F. voluntate Caroli, in Regno Italiæ ſucceſſit, Ciſdanubianæ etiam *Boica*, quam Italiæ Appendicem factam diximus, jura daturus. Ludovicus Carolo P. mortuo Italiam *Bernhardo* confirmavit, avulsâ tamen *Bojariâ*, & in Lotharium Filiorum maximum translatâ. Id *Bernhardus* initio moderatè ferre, fideíque immotæ illuſtria documenta præbere; Ludovico in Saxonia conventus agenti præſto eſſe, ejuſdémque Legatus adcognoſcendam cauſam Pontificiam Romam ire. Sed ſimul ac Lotharius in conſortium Imperij à Patre aſſumptus, & *Boiaria* fratri ejus Ludovico decreta eſt, *Bernhardus* vel tunc primùm imminutione Potentię, ſive qua alia re offenſus, abreptúſque infelicibus conſiliis obſequium exuit; graſſari deinde ad inconceſſa, & Clauſtra Italiæ firmare præſidiis auſus, ſuſpicionem affectatæ Tyrannidis incurrit.

rit. Ludovicus comparato confeſtim exercitu, nondum ſatis confirmato ſupervenit, improbóſque conatus Cabillone affuſum pedibus ſuis damnare coëgit. Illic capitis damnato oculi effoſſi, crudeli clementiâ, & ſolum triduum non tam ad vitam quàm ad lentam mortem miſero adjecturâ. Sed nempe Fortunæ inconſtantiam, quam oculatus non viderat, cæcus deprehendit, quod Mortalibus propè omnibus vſu venit, de rerum humanarum colore ſive fuco nunquam peritiùs judicantibus, quàm cùm vicina morte oculi jam caligant. Cæci hujus apud Novitios Rerum Boicarum ſcriptores magna dignatio, *Bojariæ* Principum origines per hunc potiſſimùm ad Carolum M. referentes. Pipinum enim ex eo genitum Comitem Lengenfeldenſem faciunt, indéque ſerie nunquam interrupta *Boicum* ſtemma propagant arioli veriùs quàm Hiſtorici: vt enim omnia vetuſtatis ſcrinia evertant, tribus Pipini Filiis Bernardo, Pipino & Heriberto, quos ſolos fideles char-

tæ

tæ memorant, quem porro Nepotem pronepotémque, Auctoribus, quàm ipſi ſint, majoribus ſubijciant, invenient neminem; vt fruſtra qui primi eam fabulam commenti ſunt, cæco duce nitantur, quem oculata poſteritas per candidæ ſinceræque Veritatis errores & ſcopulos nunquam eſt ſecutura.



# LOTHARIVS LVDOVICI PII F. CAR. M. N. REX BOIAR. DECIMUS OCTAVVS.

*QVid tibi de parto promittas, Carole, Regno,*
*Iſta tuus ſequitur ſi Paradoxa Nepos;*
*Si Patris in Iugulũ, ſi Fratrũ in viſcera ferrum*
*Stringit, & in Capulo condita jura putat?*
*Fallitur: idem animos Fratrũ qui dividit Enſis,*
*Imperÿ nervos, vincula, fulcra ſecat.*
*Geryones potiùs fideique tricorporis umbram*
*Fac videam. Fratrum Regna tuetur Amor.*
*Sed nos Geryones hodie inter monſtra locamus.*
*Heu mihi! cur monſtris annumeratur Amor?*

LOtharius Sanguini non Virtutibus debet, quòd imperavit. Nunquam innocentior fuit, quàm quo triennio Regis *Bojariæ* titulum tulit, tum quidem nullius noxæ compertus, ex quo Pater Imperium cum eo A. DCCCXVII. communicavit, vix quidquam ejus memorari cum laude poteſt; tantò difficilius eſt, hæredem Bonæ Mentis quam Magnæ Potentiæ relinquere, quanquam Lu-




BIBLIOTECA … TORIO EMANUELE III

Ludovicum non poſthuma hæc infelicitas jam nihil ſentientem afflixit, neque de hæredibus ſuis, ſed conſortibus Imperij conqueſtus eſt; quos cùm præproperè aſciviſſet, diúque poſt ex altera Conjuge quarto Filio Carolo auctus eſſet, nulla ſcilicet ejus exornandi copia ſuppetebat, niſi ex fratrum ſymbolis, quas ſponte contuliſſent, vel ſpoliis, ſi ea detraxiſſet invitis. Hæc ſementis paricidialium Bellorum fuit, qualia nulla ætas vidit, quibus ſolis *Lotharius* ad infamiam inclaruit. Amor Patris in Filium Filij Amorem erga Patrem extinxit. Simul ac Carolo Alemanniæ Regnum Ludovicus decrevit, velut vltimo ſe ſcelere obſtrinxiſſet, exauthorandum & in Monachum attondendum *Lotharius* cenſuit, ſic quoque nimis facilem ſe exiſtimans, quòd de ſolio tantùm dejiceret vitâ ipſâ indignum. Impiam mentem Germanicæ Nobilitatis conſtantia hactenus refrenavit, vt ipſe quidem cœpto deſiſteret, Ludovico tamen fratri partes ſuas traderet, cúmque armaret

in Patrem. Vbi neque per vicarium ſceleris ſui quidquam profecit, accito etiam Tertio fratre, juſtum in Alſatia exercitum Patri objecit, cohorreſcente ad vltimum nefas orbe terrarum, vt ejus avertendi ſtudio Gregorius Pont. Alpes tranſcenderit ingratus Pacificator futurus iis, qui jura humanitatis jam contemeraverant. Ne infeſtis ſignis concurreretur, non pietas ſed perfidia obtinuit, quæ Patris caſtra perpetuis tranſfugiis ita nudavit, vt permittere ſe filiis, Coronam Purpurámque ponere, & pullo invicem amiculo malè tectus reum ſe divinæ Majeſtatis proclamare ſit coactus, jam jámque in ordinem redigendus, niſi Ludovicus *Bojariæ* Rex ſubeunte animum miſeratione Patris, eum *Lothario* extorſiſſet, ſed quem mox eâdem violentiâ repeteret armatus, & non procedentibus conſiliis, fictæ mendaciis modeſtiæ placaret, dignus eidem poſt tot impietatis documenta viſus, quem Carolo tutorem daret, nempe Ovi Lupum. Patre per Mortem filiorum

mani-

manibus erepto, nihil potius habuit *Lotharius* fratrum everſione, nulla bella geſturus niſi impia; ex quibus quod ad Fontoniacum geſtum eſt, Francicæ gentis gloriam à Carolo M. ad ſummum adductam faſtigium in nobilitatis ſanguine ſepelivit. Odia nihilominus emerſerunt pluribus adhuc exaſperanda bellis & frequentatis cladibus caſtigata; nam ſanari nullis remediis potuere, in quibus excogitandis fruſtra ingenioſa Ludovici Fratris induſtria fuit. donec enim ſpes ſuperfuit illius à Carolo abducendi, gladio, quem Pater *Lothario* multo inſignem auro gemmíſque, pignus recepti in Tutelam Caroli moriturus tradidit, nunquam niſi in ejus perniciem vſus eſt. Triginta octo anni his paricidiis conſcelerati ſunt. nihil in illis omnibus extra vltimam clauſulam non erubeſcendum. Morti enim non auſus in purpura occurrere, quinquageſimi quinti anni, qui fatalis ei fuit, particulam Prumiæ egit cucullatus. Vnum hoc in Nepote ſuo Carolus M. laudaverit.

Cæterea enim omnia quò ſpectabant, niſi vt fundata maximis Virtutibus potentia nihilo minoribus quaſſata vitiis quàm citiſſimè procumberet. Carolus æternam voluit. ſed his talibus hæredibus quis miretur, ſupra centum & quatuordecim annos illius imperium non ſtetiſſe?




NAPOLI

# LVDOVICVS I. LVD. PII F. CAR. M. N. REX BOIARIÆ DECIMVS-NONVS.

*Iure paras*, Ludovice, *tibi tot providus arma;*
*Quæq; tulit Pietas Symbola, quæq; Themis.*
*Ibit enim ad rigidū Regū quo q causa tribunal,*
*Causa opus à gladio nil habitura tuo.*
*Cerne Patrem, Pater eſt, qui palmas tendit ab*
*Ille è Cæſaribus nomine réq;* Pius. (*igne,*
*Ille* Pius *tot luſtra Foco miſer hæret eodem;*
*Impius eſt, quem non territat iſte focus.*
*Huic, quidquid Regū eſt, optē aſſediſſe Camino;*
*Diſcat* ad hanc *quivis ſe bene noſſe* Facē.

VTinam Lothariani ſceleris contagione *Ludovicus* fœdatus non fuiſſet? daremus ſuis abſolutum numeris Principem, dignúmque illis laudibus, quas non blandi Scriptoris caladimus, ſed Moguntini Concilij Patres ſeveri morum Cenſores in eum congeſſere, *Strenuiſſimum Rectorem ac defenſorem S. Dei Eccleſiæ* ſalutantes; ex quorum mente ſensúque eundem Rhegino re-

rum omnium, *quæ Religionis, quæ Pacis, quæ Juſtitiæ ſunt, ardentiſſimum executorem* appellavit. *Boicæ* Rex A. DCCCXVII. à Patre declaratus provinciam non ante octavum annum adiit, abreptus paulò poſt in miſerabiles fluctus, quos Lothariana ambitione inflatos diximus; in quibus etſi ipſe quoque naufragium innocentiæ fecit, tamen ante fratres emerſus Patri etiam manum porrexit, & jam conclamatum in portum & ſolium reduxit, ſed neſcio quo fato erga vnum hunc filium ſui prope nominis oblitum, & injuriarum quàm obſequiorum retinentiorem. Bella, quæ cum Lothario fratre geſſit, ſi Pietatis præſcriptione tueri non poſſumus, neceſſitate tamen excuſantur. Bonam cauſam ſemper Victoria ſecuta eſt, victoriam ſumma moderatio, victo ferè quàm Victori vtilior. Neque Carolus omni ab eo ope adverſus Lotharium defenſus eam ſervatori gratiam retulit, aut iis moribus vixit, vt perennare in ſumma diſſimilitudine ingeniorum concordia poſſet. cùm e-

jus

jus odium omnes cepiſſet, *Ludovicus* ad capeſſendum ejus regnum vocatus, etſi excitari ſe paſſus eſt, eas tamen facti ſui rationes reddidit, in quibus Carolus ipſe acquieſceret. Maximis deinde ab eodem injuriis affectus cùm ſolari damna ſua, ereptâ in vicem Galliâ, poſſet, oſtentare vires imparato contentus palam iterum fecit, jus ſe in gladio non ferre. Sed bella in veros hoſtes longè illi plus gloriæ peperere. de Saxonibus, Obotritis, Sorabis, Daleminciis, Moravis, Bohemis, victorias ſibi velut annuum tributum penſitantibus, triumphavit, cælo ſubinde manifeſtas ſuppetias ferente; nec otioſo interim Orco, & ſubinde Principis auſpicia turbante; cujus rei A. DCCCLIX. illuſtre documentum Bohemia dedit; vbi cùm præter morem malè pugnatum eſſet, ſub idem tempus Genius Mancipij ſui ore profeſſus eſt, in Bohemia ſeſe, duabus Furiis Superbiâ & Diſcordiâ adnitentibus, rem præclarè egiſſe; Ducibus in diverſa nitenti-

bus militem prædæ expoſitum, quibus artificiis vtinam larvæ illæ non etiam hodie caſtra verſarent, imò everterent. Sed hic ipſe tam bonus Bellator non minus Pacis artibus inclaruit. Jus publicè dixit, exulémque in tribunalia Juſtitiam revocavit. Nihil vnquam in regia illius malis artibus datum. Semper nobilitas poſt virtutem fuit: ſoli boni fortéſque in pretio habiti; aliter penſantibus paratæ repulſæ. Princeps ipſe ſuis frugalitatis exemplum, Aciem inſtruere non Convivium, dicebat eſſe regium. Armamentarij quàm Ærarij ſtudioſior plus, vt Rhegino loquitur, *diligebat ferri rigorem, quàm auri fulgorem*, Duodecim Bohemorum proceres ad ſuſcipienda noſtra ſacra induxit. Bulgaris ad eadem tranſgreſſis divinæ Legis magiſtros ſubmiſit. Pietatis ſtudia impenſiore, quàm ab armato ſperes, cura coluit, dignúſque DEO viſus eſt, quem, prodendi Principibus vtiliſſimi exempli

cau-

cauſâ, Ludovicus Pater, poſt trigeſimum quartum à Morte annum, ex piacularibus flammis alloqueretur, & opem poſceret: qui cùm *Pij* nomen magno orbis terrarum conſenſu tulerit vivus, mirum eſt, nî Regum omnium animos illius Tribunalis metus ſubeat, quod etiam *Pios* flammis expiat, quos magnis parti virtutibus Tituli humana ſuffragatione propè cælo tranſcripſere. Hujus uti nomen ita fortuna quoque *Ludovico* velut ſortitò obtigit: cùm tres ipſe quoque haberet Filios, Carolomannum, Ludovicum, & Carolum, quos *Bojariæ* Reges ordine producturi ſumus, omnium eoſdem erga ſe animos expertus eſt, quos ipſe in Patrem tulerat, juſtiſſimo genere vindictæ ſuis veluti armis appetitus. Id quantò manifeſtius agnovit *Ludovicus*, tantò in ſe peccantibus ignovit promptiùs. Exceſſit Anno DCCCLXXVI. v. Kal. Sept. cùm eodem anno Hemmam conjugem extu-

liſſet

liſſet *Matrem Pauperum* : quo cognomine cùm nullum inter regia pulchrius ſit, mirum eſt non ambitioſiùs experi.

Pauxillo venditur, & quidem ab Infima Plebe.

CA-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# CAROLOMANNVS LVD. F. REX BOIAR. VIGESIMVS.

*QVid bello Pietas quantumvis nuda valeret,*
*Scire ex te poterant*, Carolomanne, *Duces.* (ther:
*Æthera tu expugnas votis; tibi* militat æ-
*Templa locas Superis; hi tua Bella gerunt.*
*Ipſi hoſtes, animis quæ ſint cæleſtibus iræ,*
*Senſerúntq; tuas, Dive* Emerame, *manus.*
*Ergo coronatus, Te decernente, Triumphat;*
*Tu pompam ducis*, Carolomanne, *pedes.*
*Teq; ſub illius Scuto latuiſſe profeſſus*
*Fidere Cælitibus* Boica *caſtra jubes.*
*Quid timeant, ubi lapſa vident Ancilia Cælo,*
*Quóq; fuit Roma fabula*, Bojus *habet?*

SI ambitionis vota valuiſſent, Tyrannum à Ludovici morte, non Principem *Bojaria* acceptura fuerat; vtique cùm Carolus Calvus ei immineret omnium Regnorum captator corruptorque; ſed ab hoc quidem cum ingenti clade rejectus *Carolomanno* locum dedit Ludovici Filiorum natu maximo, ante qua-

quatuor non minus & triginta annos jam ſpectato in armis & egregio Duci. Ea decora inerant, quæ livor & malevolentia etiam Patri formidanda facerent, eadem nempe exempla metuenti, quæ ipſe olim in ſuum Parentem ediderat. abripi certè pravis ſuſpicionibus eò vſque ſe paſſus eſt, vt in filium arma ſumeret, qui ingemiſcens infelici innocentiæ ſuæ etiam ipſe denique tela corripuit vltimæ neceſſitatis. Scelus jam maturum alio ſcelere ſuffocatum eſt. Gundacarus *Carolomanni* Tribunus ſpe præmiorū corruptus ad Patrem tranſiit. Filius nihilominus iram ejus inermis expugnavit, & ſeipſo fretus; neque priſtinum duntaxat gratiæ locum recuperavit, ſed, velut expunctis Fratribus, totum Paterni Favoris aſſem invaſit; præſertim cùm de Moravis etiam memorabilem Victoriam, Gundacaro Copiarum Præfecto, illo ipſo nebulone, à quo nuper proditus fuerat, cæſo reportâſſet: quo in prælio militaſſe cælum *Carolomanno*, hoſtis ipſe confeſſus eſt; Diuúſque

*Em-*

*Emmerammus* Gundacarum animi corporíſque vigore exutum *Carolomanno* victimam objecit. Auxit gloriam ipſe gentis Dux & concitator Raſtices paulò pòſt Captivus ad Patris pedes adductus, aliáque exempli ejuſdem, quæ *Carolomanno* in denſa laudis ſegete perpetuam meſſem præbuerunt, ſed non abſque ſpicilegio Invidiæ fratrum oculos exurentis, incrementa *Carolomanni* ſuas ruinas arbitrantium, Patríſque erga illum Amorem, odium ſui. Ea velut læſæ humanitatis injuria accepta pluſquàm hoſtiliter bella iterum paritura erat, qualia Pater geſſerat, victis victoribúſque luctuoſa, ſi aliter quàm cedendo indulgendóqúe conficerentur. Pater quidem jam vſu doctus, non alijs armis de ſuo ſanguine, ſed ſine ſanguine, triumphavit. Paulò poſt *Carolomannus* adverſus Carolum Caluum in Italiam miſſus vi ferróque ſuperior fallaciis illius circumventus fortunam ſuam deſeruit. Patre mortuo Regnum *Bojariæ* cum Pannonia, Carinthia, Bohemia Moraviáque ei obtigit;

tigit; acceſſit paulò pòſt etiam Italia, cùm Patruum Caluum ex ea ejeciſſet. In hoc faſtigio felicitas illius, neque tamen diu, ſtetit. Quartus à regno adito annus ei fatalis fuit. Legitimum Poteſtatis hæredem nullum habuit. Id vnum Arnulpho, quem pro ſuo agnovit, defuit, tanto cæteroqui, vt nec *Carolomannum* filij, nec Carolum M. abnepotis puderet. tota certè Viri illius gloria in hunc denique Spurium confluxit, quemadmodum à Carolo Martello eâdem notâ fœdato cœpit. Hunc ergo Arnulphum, Fratris Ludovici fidei, amiſſa jam loquendi facultate, tabulis porrectis *Carolomannus* commendavit; neque diu poſt vivere deſiit A.DCCCLXX, à Rheginone *Pracellentiſſimus* Rex dictus, vt qui ad inſignem Pietatem rarum illo ævo decus, literarum cultum adjunxiſſet. Corporis animíque bona ex æquo ſortitus dubium fecit, Pulchrior an Melior eſſet. Nunquam niſi victor arma poſuit, mirabili virtutum temperamento tam blandus civibus, quàm formidandus

hoſti;

hoſti; vni ſibi, quod in magna Potentia difficillimè obtinetur, vilis & à fama publica diſſentiens, quæ Regiarum Virtutum in eo nullam deſideravit. Oetinganæ Virginis Sacrario Cœnobium adjunxit, vbi nunc Sacerdotum Collegium eſt. Illic ſibi tumulum optavit; nempe vbi Viventis *Aſylum* fuit.

# LUDOVICUS II. CAROLOMANNI FR. REX BOIAR. VIGESIMUS PRIMUS.

*SI, Ludovice, tua licuit quod in icone Fabris,*
*In te etiam liceat pauca polire mihi.*
*Expungam tumida bella inconſulta juventæ,*
*Bella ſed immerito non bene mota Patri:*
*Cætera narrabunt faſti; præconibus iſtis*
*Laudati exemplar denique Regis eris.*
*Imò ſupra hominem victus te ſuſtulit hoſtis,*
*Semideiq; tuam credidit eſſe manum.*
*Tu tamen humanæ præfers inſignia ſortis,*
*Et ſobolem in fluxa fles, Pater orbe, Roſa.*
*Fles, quem credibile eſt olim applauſiſſe Poëta,*
*Hanc tibi cùm natam diceret eſſe* Roſam.

CArolomanno *Ludovicus* Frater ſucceſſit, non impar bellicâ gloriâ, ſed Pietate inferior. Invictus, quamdiu inter veros hoſtes fuit. Armatum in Patrem Fortuna averſata eſt. Pater eum ne tunc quidem odiſſe potuit; ſed exemplo ſuo peccantis inſaniam vindice manu non auſus exſcindere, beneficâ ſana-




BIBLIOTECA ... EMANUELE III
NAPOLI



ſanavit. Hoc mortuo, cum Carolo Calvo Patruo colliſus eſt, ſed jam innocens, &, ſi per Calvi cupiditatem licuiſſet, belli conſanguinei invidiam declinaturus, vtique cùm etiam ad ferrum candens provocaverit, tantùm ne ferrum ſtringeret; cùm interim Calvus de effodiendis *Ludovico* oculis & concidendo exercitu atroces ſententias diceret ante prælium victor. Id *Ludovicus* ſuos inire candidatos juſſit, eo colore propriáque innocentiæ notâ ab hoſte diſcernendos. Adjecerat etiam arma Pietatis, ſupplicatione caſtrenſi, novóque more, non cibo ſed religiosâ inediâ curandi corporis, introducto: quæ vt parùm Martia à Caroli militibus irriſa in eorum poſtea perniciem vertêre. Major homine *Ludovicus* prælantibus, viſus, cùm hauſtum cælo vigorem diſpenſaret in ſuos, pavórem contrà deſperationémque ſcintillantibus oculis evibraret in hoſtem, equos hominéſque attonitos & ſideratis ſimiles in ſtuporem daturus, ut hi neque officij ſui meminiſſent ipſi, neque im-

periis Ducum excitarentur; illi verò longè etiam præfractiùs calcaria contemnerent, minúſque equiti ſuo, quàm *Ludovici* gloriæ ſervirent. Carolo nihil præter fugam & ignominiam relictum, Victoria ingens *Ludovico* ceſſit, & par militi præda. Illi enim gloria ante opes fuit; vt neque ex captivis, quos omnes inviolatos dimiſit, quidquam præter famam Clementiæ captaret. At enim hæc blanda conciliatrix non animorum tantùm, ſed etiam regnorum, paulò pòſt non ambienti totam Galliam datura erat in ſinum, niſi illum Modeſtia contraxiſſet, & cognati ſanguinis vtcunque de ſe meriti reverentia à ſpe tam illecebroſæ eum prædæ abduxiſſet. Delectatum generoſi animi abſtinentiâ Numen Northmannos invicem, inimicam eo tempore Chriſtiano nomini gentem, non cogitanti velut per ludũ concidendos ſpoliandóſque ſine invidia objecit. Iiſdem A. DCCCLXXXII. rurſus imminentem mors ſuſtulit etiam cælo luctuoſa, ſub idem tempus Cometam pro funebri face

ac-

accendenti. Ipſe in deciduis floribus inſignia privati luctus oſtentat tumulis debita, quos biennio antè filiorum utrique fodit. Spurius alter ſed Patri ob virtutem peracceptus ex vulnere in pugna inflicto obiit. *Ludovicus*, quem ex Luitgarde juſta conjuge vnicum tulit, Ratisbonæ in tenera ætate cervices fregit, nutricum incuriâ de feneſtra delapſus. Data cum illo in præceps ſpes Poſteritatis; casúſque Pueri majoris ruinæ omen fuit, quæ totam Caroli M. gloriam involueret. Nimirum intolerabile Numinis Patientiæ viſum, illius Viri ſanguinem ſeminarium fieri paricidialium bellorum. Remedij in vicem fuit, vel negari his Impiis Bellatoribus Liberos, vel auferri.

# CAROLUS CRASSVS CAROLOMANNI ET LVDOVICI FR. IMP. REX BOIARIÆ VIGESIMUS SECUNDUS.

*Parce gravi*, *Rex* Craſſe, *Globum compeſcere dextra.*
*Non apta eſt tanto robore* Bulla *premi*,
*Quæ gracili Calamo & ſpumante coacta ſaliva*
*Flantis ad arbitrium naſcitur atq; perit.*
*Nam tua cur alio dignemur nomine Regna,*
*Ad paupertinam Regna redacta ſtipem?*
*Quàm malè conveniũt dextra lævaq; ſupellex?*
*Succeſſit ſceptro Scipio, Pera Globo.*
*En, qui Roma tibi, tibi France, tibi inclite Teuto*
*Jura dedit, Juris nunc eget Ire tui!*
*Nemo tibi Regum toto ſe comparet orbe:*
*Nemo plus habuit*, Carole, *nemo minus.*

Pilam *Fortunæ* dicturus eram hunc *Craſſum*: ſed eſſet eo pacto vnus de multis, neque primarum Actor partium in ſolennibus humanæ inconſtantiæ Ludis. *Bullam* potiùs vocabimus, tam prodigioſè inflatam, vt componi præter Ca-


CAROLVS CRASSVS IMP. BOIAR. REX. XXII. VSQ AD AN. DCCCLXXXVII
INFLANDO DIFFLAT

NAPOLI



Carolum Magnum nemo illi potuerit; iterúmque tam fœdè diſſatam, vix vt inter Mendicabula repererit locum. Filiorum Ludovici, quem nos Primum vocamus, natu minimus vixdum per ætatem aptus militiæ ægri Patris Legatus ſummis Ducibus paria fecit, triumphum primo Belli tirocinio meritus. Sed miſer pugnare doctus & vincere pulcherrimas artes vertit in patrem, pietatem ejus in Carolomannum fratrem caſtigaturus vt nimiam, & cum ſua injuria conjunctam. Apparatus meditati ſceleris (peractum enim non eſt) *Carolo* magno ſtetit. paulò pòſt in Comitiis publicis & maxima hominum frequentia agitatus furiis triſtes Patri præſenti pœnas pependit, Ludovico etiam fratri vtiles, &, ſi merita aſpiceres, cum illo partiendas. diu ab infernis hoſpitibus tortum Rembertus Bremenſis Antiſtes libertati reſtituit vltro fatentem, haud primam eam carnificinam fuiſſe: quotieſcunque iniquo in Patrem animo fuerit, larvis in ſe poteſtatem permiſſam; neque alios violatori-

bus humanitatis vindices deberi. Pater & furentem miſeratus, ſibíque redditum nihil imminuta charitate complexus in provinciarum ſortitione fratribus æquavit. Alemannia illi & Lotharingiæ pars obvenere. Acceſſit A. DCCCLXXX. etiam Italiæ Corona & Auguſti nomen à Pont. Max: cum Imperij inſignibus eidem impoſitum. Biennio pòſt, Ludovico fratre mortuo, *Bojaria* Germaniæque vniverſæ imperio potitus, vt hæc quoque ſpolia objecta merenti crederes, Nortmannorum graſſationes compeſcuit, gentis Regem ad deditionem & Chriſtiana ſacra ſuſcipienda adduxit, Tumultus inſuper Pannonicos Italicóſque compoſuit, tantâ domi foríſque famâ, vt etiam ad Galliæ regnum vocatus priorem ex Regibus neminem, parem ſolum Carolum Magnum haberet. Hìc demum Fortuna vultum mutavit & fidem, quémque ſinu diu tulerat, non gradatim de faſtigio deduxit, ſed dejecit. Repente in ſumma potentia timeri ab hoſtibus, coli ab inimicis deſiit. Ipſe velut vertigine

tigine abreptus ad noxia conſilia, paria cum infeſtiſſimis ſibi fecit, quæque adhuc ſtabant ſalutis fulcra, ſuis manibus evertit. Luitwardum Vercellenſem Epiſcopum Amicorum principem & ſuo loco dignum, Aulâ; Richardem Conjugem vnicum ſui ſexus decus matrimonio exegit, nimia erga delatores credulitate ad odium virtutum adductus, quæ Principum in perniciem ſuam ruentium via regia eſt. Nudatum tutelâ domeſticâ ſtantémque in præcipiti populorum odia vix inculpatis Principibus parſura facilè everterunt. Arnulpho ſpurio, quod in tota fabula probroſiſſimum eſt, germanus jámque vnicus Caroli M. hæres cedere coactus eſt. Cedere autem? imo etiam pro ſportula ſuppplicare; cùm illi ex tot Regnis nequè ad famem pellendam certam annonam Fortuna reliquiſſet. Cauſam à Regibus nunquam actam Bernardus Filius ſed Spurius apud Spurium oravit, votóque potitus famem quidem Patris, non item famam ſublevavit, eâ tantum gratiâ productus, vt hæc quo-

que Craſſi macula vulgaretur. Potuit ille jactatus per tot ludibria Severi Cæſ. verbum repetere; *Omnia fui, ſed nihil expedit.* niſi quòd cum paupertate illi rectiùs, quàm cum Imperio convenit. Etiam Deus Mendicum Cæſarem cum voluptate ſpectavit, & familiarium odia, qui miſero denique fauces eliſiſſe feruntur, raris favoribus compenſavit. quod in purpura animam agenti fortaſſe daturus non fuerat, cæli eum patentis ſpecie exhilaravit, & quomodocunque extincti corpus inſolita luce perfudit. His ille radiis etiam hodie Fortunæ oculos exurit, & Bullatis inſultans nugis ærumnas ſuas Sceptro & Coronis, manumiſſionem libertatémque Peræ & Baculo imputat.




BIBLIOTECA NAZIONALE B. VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

# ARNULPHUS CAROLOMANNI F. SP. IMP. REX BOIARIÆ VIGESIMUS TERTIUS.

*ET te fata agitant inſulſi*, Arnulphe, *Lepô-*
*Digna aliàs lacrymis, ſæpius apta jocis.(rùs*
*Furtivo natum Thalamo Fortuna coronat;*
*Cæſar jejuno te rogat ore ſtipem.*
*Per te Francus habet, per te Burgundio Regẽ;*
*Réſq; minuta tibi eſt, poſſe creare Duces.*
*Te Moravus, majusq; Danus te nomẽ adorat,*
*Dum tibi præſentem fert* Emeramus *opem.*
*Romã aperit ſiccíq;* Lepus *tibi cauſa triumphi*
*Ecquid te potuit Roma decere minus? (eſt:*
*Rideat hæc aliquis; ſed triſtis clauſula ludi eſt;*
*Nam factus* Pedibus *diceris eſſe cibus.*
*Qualicunque tibi Fortuna arriſerit ore;*
*Os blandum tales non decuere* Pedes.

A*Rnulphus* vſque ad Caroli Craſſi exauthorationem precariæ Præfecturæ limitibus circumſcriptus vnico ad Imperium ſaltu pervenit, vix compos ſui, cùm repente tantus ex tantillo prodiret. Dum ſe per otium Ratisbo-

næ

næ circumſpicit, æmulæ per Italiam Galliámque Coronæ ambitionis ſatu flatúque paſſim exortæ in ſuperba capita aſcenderunt, Regulis pluribus Regium nomen velut prædæ expoſitum diripientibus impunè, Arnulpho non intelligente eam audaciam ſupplicio dignam, neque animadvertente, cur Tarquinius ſumma papavera decuſſerit. Sed error hic ſcilicet; illud flagitium fuit, ſi verè è ſeptis clauſtríſque ſuis in humani generis perniciem emiſiſſe Vngaros arguitur; vulgò quidem id illi invidiæ eſt, & egregijs etiam facinoribus lucem adimit & plauſum. Nam alioqui ſola illum ad Tiliam amnem parta Victoria facere debuit immortalem, quam Nortmanno longa felicitate tumido & opinione ſua non modò invicto ſed etiam inacceſſo, ſubmotis equis eripuit pedes; cúmque illi vix cladis nuncium reliquiſſet, ipſe tot funeribus non niſi vnum caput viles inferias miſit; confeſſus tamen, Dei Exercituum id opus fuiſſe, cóque conſilio dena ſena ex ereptis hoſti ſignis oſtendi

*Boica,*

*Boica*, alia alibi explicari ſuſpendíque deſiderans, vt plures provinciæ non ſibi, ſed Victori Deo gratularentur & plauderent; ipſe per ſe, quod haud temere ab vllo Principe factum reperias, integras ſubinde provincias ſupplicantis habitu peragrare ſolitus, illarum duntaxat amator pomparum, quibus plurimum pietatis, nihil faſtus ineſſet. Communis Cælitum Cliens præcipuo nihilominus *Emmerammum* noſtrum honore coluit; Ratisbonæ in ſacrario ejus aſſiduus imperij curas hoc potiſſimùm interprete commendabat Numini, capiebatque viciſſim conſilia velut ab eo dictata; quorum vt præſentem copiam ſine interpellatione haberet, Regiam adeò ſuam ejus Templo affixit, neque fuit, cur ſuæ illum Pietatis pœniteret. Bello, quod cum Zuentibaldo Moravo vltimum geſſit, primos ordines Divi tam familiariter ab eo culti duxere. *Emmerammus* ſatellitis munere occupato, latus ejus palam aſpectabilis texit, & ex hoſtibus ferociſſimum cum Prætorio vexillo & Zuentibaldi Clypeo

*Ar-*

*Arnulpho* imminentē, & opima ſpolia, eo cæſo, ſperare auſum repreſſit, pavorémque ab vno homine in totum exercitum propagavit, qui Zuentibaldum quidem vtiliſſimè corripuit, ex eo tempore non niſi Deo militaturum, neque alios habiturum hoſtes, quàm de quibus pulcherrimè triumphatur, pravas cupiditates. In his tam prolixis cæli favoribus acquieſcentem *Arnulphum* mirum non eſt, Auguſtalis Coronæ, ad quam identidem à Rom. Pontificibus vocabatur, deſiderio adeò captum non fuiſſe, vt ſemel iterúmque ex Italia regreſſus illam capiti impendentem repuliſſe ſtudioſiùs quàm captaſſe videatur. A. DCCCXCVI. demum, magis Formoſi Pontificis adverſus factioſos tuendi ergo, quàm novitij deſiderio honoris ad Vrbem ab hoſtibus inſeſſam acceſſit. Oppugnationem à precibus jejuniíſque votivis totiúſque expiatione exercitus auſpicatus vim è veſtigio ſenſit promptorum è Religionis Armamentariis Telorum. Quod præter Romam totus orbis rideat, Le-

puſcu-

puſculus ad capiendam vrbem *Arnulpho* ducem ſe præbuit. Illum è ſuo exilientem cubili dum militaris turba vndique coorta ardore venatico inſequitur, præſidiarij turribus mœnibúſque Romanis impoſiti ſeſe peti rati, ipſi quoque Lepores ſed galeati manuum armorúmque obliti in pedes ſe conjecere. Ita Lepus captæ vrbis pretio libertatem redemit; *Arnulphus* liberati Pontificis præmium Coronam nomẽnque Imperatoris tulit. Non erat ergo jam, quò aſcenderet *Arnulphus*. Stantem fultúmque magnitudine ſua & adverſus vim ſatis munitum Fœmina metuendum viris nomen ſuis armis, id eſt, dolis evertit. Agildruda Lamberti æmuli mater ab eo obſeſſa toxicum per miniſtrum ad ſcelus corruptum Arnulpho propinavit, quod cúm non morti è veſtigio, ſed ſopori tamen traderet animo corporéque obtorpeſcentem, & majeſtatem aſſumpti Nominis ægrè tutaturum; connivente ad publica ſcelera ſopitâ cum Cæſare Juſtitiâ, & ſi quando ad ſerias illum curas experge-

gefe-

geſeciſſet, ægrè ſuſtentante mox relapſurum vigorem. Paulò pòſt ruina ædium afflictus & tantùm non eliſus alteram & priore luculentiorem plagam accepit. Vocata, ne quid vſquam conquieſceret, etiam in dubium, quódque fieri multò minùs debuit, in judicium publicum Auguſtæ Conjugis innocentia, invidiam creatura Cæſari, ſi damnaretur, ſi autem, quod factum eſt, abſolveretur, infamiam etiam. Suſpectæ fidei quæſtionem probroſâ diligentiâ exercentem, ſed adverſus vera ſcelera incautum alter veneni hauſtus priore jam decocto, planè eneruavit: etſi Reipub. Clavum neque proſtratus omiſit, navigióque ad compeſcendum patriæ hoſtem deportatus, conſtantiâ oppugnationis ad deditionem eum compulit. Prævalente deinde veneni vi, fœdo exitu ludum Fortunæ abſolvit. Pediculis, (pudet fateri) datus in cibum, tumulum benè ambeſus ſubiit. Famam multo acerbiùs appetitam & invidiæ arrodendam dentibus innumera Pietatis monu-

numenta tuentur, quíque nec vivo nec mortuo defuit *Emmerammus*, *Arnulpho* haud dubiè obnoxius, vt cui non Aras tantùm eáſque aureas, ſed totam Ratisbonam debet, eo potiſſimùm conſilio ab *Arnulpho* ex incendio recreatam, ne *Emmerammo* cultores deeſſent.

# LUDOVICUS III. ARNVLPHI CÆS. F. REX BOIARIÆ VIGESIMUS QVARTUS.

*SI dici Alcidæ meruit* manus altera *Theſeus*,
Theſea Luitpaldum *dic* Ludovice.
*Ille Vir eſt, cujus ſpectandū porrigit haſta (Tuū,*
*Chuſſolis infandi prodigiale caput.*
*Ille Vir eſt, cujus ſenio tua nixa juventus*
*Abſq; metu, donec corruit ille, ſtetit.*
*Ille Vir eſt, cujus divina è ſtirpe* Nepotem
*Nominat* Alcides Theſea Teuto *ſuum.*
*Ille Vir eſt, quem noſſe cupis ſi Patria totum,*
*Ecce refert totum* Maxmilianus Avum.

AD vtramque *Arnulphi* Fortunam ex æquo pertinet, quòd immenſi molém Imperij, cui ipſe ſuccubuerat, Filio quidem, ſed Puero imponere coactus eſt. Non major ſeptuenni erat *Ludovicus*, cùm Patri, anno nongenteſimo eſt ſuffectus, præteritis Ratholdo & Zuentibaldo majoribus natu, ſed ſpurijs; quorum poſterior Lotharingis imperans Tyranno per omnia quàm Regi ſimi-


LVDO- VICVS III. BOIAR. R. XXIV. OB. A. DCCCCXL.
NIHIL SINE THESEO.

ſimilior tantum bonorum omnium odium incurrerat, vt in ſummam improbitatem armanda *Ludovici* innocentia primo Regni anno fuerit, nuſquam ſanctiùs auſpicaturi militiam, quàm ſi fratre debellato hoc communis parentis probrum Puer ſuſtuliſſet. Omnia fraterna bella deteſtantibus vnum hoc purum piúmque viſum. Numinis mentem Victoria aperuit. *Ludovicus* Zuentibaldo occiſo triumphavit. Non perinde Vngaris eodem tempore in *Boicam* primùm effuſis par futura Pueri manus fuit. Vir poſcebatur; qualis quidem illi ævo *Luitpaldus* obtigit indubitatus *Bojariæ* Principum, qui jam pluribus ſeculis imperant, Pater & Conditor, digniſſimus ſcilicet, qui nutantem in Adoleſcentulo vnico & brevi caſuram Caroli M. gloriam ſuſtentaret, quamdiu per fata licuit, *Boicámque* impendio vitæ & ſanguinis Sanguini ſuo Poſteritatíque aſſereret. Hic ergo Vngaros Quinquaginta paſſuum millia ſupra Anaſſum diurna graſſatione emenſos vltra Danubium cum par-

vula manu ſecutus, damna illata Patriæ, rebus omnibus præterquam Virtute inferior, feliciter eſt vltus, nullâ militis ſui jacturâ. Eadem laus anno proximo parta. Tertio præter victoriam Regis Chuſſolis caput relatum, & otium à diriſſimo hoſte in quinquennium. Regreſſum anno ejus ſeculi ſeptimo vinci Deo cordi non fuit; vtique poſtquàm *Luitpaldus* ipſe fortiſſimè pugnans cecidit, qui primus docuit, Vngarum poſſe vinci. Ea jactura ſupra æſtimationem fuit. Patria omnis & *Ludovicus* potiſſimùm velut præciſâ amiſsâque Tutelari *dextra* ingemuere; quæ quidem illi plus gloriæ pugnando, quàm Hatto Moguntinus nobili ipſe quoque nomine *Regis Corculum* dictus conſulendo attulit. etſi enim hic Adelbertum Babenbergenſem Dynaſtam Reip. hoſtem *Ludovico* ſtitit, quia tamen in ejus molitione facinoris Germanicum candorem fuco Punico miſcuit, majorémque vtilitatis quàm honeſti rationem habuit, neque Regis famæ ſerviit, ſuam verò penitus contrivit.

vit.

vit. *Ludovicus* abſque ſuo jam Theſeo Remp geſturus Francos Alemannóſque, ſed jam torpentes & laquei pœnâ propoſitâ ad ſigna non vocandos ſed trahendos, velut invitos canes Vngarorum feritati oppoſuit,& verò deſponſos à viris animos adoleſcens ipſe bonæ ſpei plenus adeò erexit, vt furorem hoſtis in horam vſque ſeptimam non ſuſtinuerit tantùm, ſed fracturus etiam fuerit, ſi quàm fortis adverſus apertam vim, tam ad vitandas inſidias cautus fuiſſet. In has præcipitatis nihil præter honeſtæ mortis laudem relictum. Iter ad fugam niſi per hoſtes confertos eruptionem facturis nullum patuit. Victoribus pleraque Germania in prædam ceſſit, meliuſculâ nihilominus in communi clade *Bojariæ* ſorte, veteranis *Luitpaldi* commilitonibus parta ſub maximo Duce decora etiam in illa conſternatione tuentibus. Per hos certè ſtetit, ne illibatam victoriam depenſúmque pro turpi pace Tributum in ſua Vngari ſpoliaria intactum referrent. Bonam exercitûs rapacis par-

tem *Boÿ* Germanicæ gloriæ vindices ceciderunt. *Ludovicus* ſub belli malè geſti & pacis auro emptæ ignominia fatiſcens, ſequenti anno, qui vndecimus fuit, extabuit, conditurus occaſu ſuo ſidera, quæ in Caroli M. gratiam Orbis centum & quod excurrit, annis adoravit; cùm *Luitpaldi*, quem *Dilectum Propinquum ſuum* tabulis publicis appellavit, poſteritas Septingenteſimũ Annum, Rerumpublicarum regnorúmque converſionibus Platonis ſententiâ famoſum, pridem prætervecta tot ſeculorum ſenium ita jactet, vt tamen damna ejus nulla ſentiat.

AR-


ARNVLPHVS II. BOIAR DVX XXV. OB. A. DCCCCXXXVII

# ARNVLPHVS LVITPALDI F. DVX BOIARIÆ VIGESIMVS QVINTUS.

*E*sse *Bonus, taliſq; volens*, Arnulphe videri,
*Et jam laudato proximus ire Patri,*
*Opprimeris Famæ invidiâ, vulgóq; Bonorum*
*Inſons deijceris de ſtatione Ducum.*
*Spongia non deerat tergendis commoda nævis;*
*Et pro te poteras Dingolovinga loqui.*
*Stigma tamẽ fronti, quod Livor inuſſit, adhæret,*
*Et furit in Manes poſthuma fama tuos.*
*Æmula Fama Fami eſt; Famámq; Famémq; furentes*
*Sola domare Boni Principis offa poteſt.*

A*Rnulpho* quid faciemus? imò Famæ potius tantum ſibi in *Arnulphum* juris vindicanti, vt qui ſuo ævo inter *Bonos* Principes *Optimus* dictus eſt, nunc *Mali* nomine vapulet? Quod poſſumus, ſuis illum coloribus ſpectandum dabimus, poſitâ in medio Spongiâ, in quam *Boni Malíve* cognomentum, prout ejus meritum videbitur, incumbat. *Luitpal-*

*do* Patri, cujus decora proximè dedimus, in præfectura limitanea *Bojariæ* ſuffectus, Ludovico mortuo, jure ſanguinis, quo Regi erat proximus, vel ſuffragatione Virtutis, vel paterni dignatione nominis ſublevatus vicarij anguſtias imperij liberi Principatus Majeſtate à ſeipſo vel Populo inauguratus mutavit. Plenum paternis ſpiritibus primi Vngari ſenſere; quos Oeni ripam legentes, anno ejus ſeculi Tertio decimo, cum Alemanniæ Ducibus nepotibus ſuis ad internecionem delevit, triginta non amplius capitibus, ad oſtentationem victoriæ, cædi ereptis. Spectatam inſigni documento virtutem Conradus Rex Germaniæ, quarto à victoria anno, armis appetiit, inſignium infeſtatione virorum, quàm verorum cęde hoſtium clarior, ipſe quoque peſſimo more Clementiæ in vicem, quæ optima Imperiorum tutela eſt, aſperitate & ſævitia vſus. Contemptus auctoritatis regiæ & turbida conſilia *Arnulpho* vitio data; quæ dum ille armatus in acie, quàm reus in comitio refutare mavult, ventum

eſt

eſt ad manus ſcilicet. *Arnulphus* Marte judice causâ cecidit; Victoria Cæſari non militum tantùm ſed ſuo etiam ſanguine ſtetit; eóque *Arnulphus* implacabilem fore ratus, precibúſque, quem armis nequiſſet, expugnare deſperans, Vxorem Liberóſque ad Vngaros ſubduxit, faciliùs aſylum apud illos, quorum copias nuper conciderat, impetraturus, quàm à Rege irato & ſaucio ſalutem. Id diſſidium exiliúmque Conradi mors intra biennium finivit. *Arnulpho* in patriam regreſſo, velut emergenti è nubilo ſideri ipſe exilij ſqualor claritatem conciliavit; vt non priſtinæ duntaxat Fortunæ inſignibus ſed *Coronâ* inſuper dignus videretur. Non eouſque ſubmiſerat animos *Arnulphus*, quin ad Regni nomen erigeretur; etſi id ad Henricum Saxonem delatum vltimo Conradi voto intelligebat, rariſſimo exemplo eum hæredem gloriæ ſuæ optantis, quem vivus non minoribus odiis, quàm *Arnulphum* noſtrum erat perſecutus. Henricus exorientem ſibi æmulum inter ambitio-

nis infirma principia oppreſſurus Ratiſbonam cum exercitu advolat,& obſidionis conſtantiâ *Arnulphi* animos frangit; ſe tamen ſuáque dedentem, obliteratâ offensâ, Amicum ſalutat. Feſtivior eſt Luitprandi de conciliatione gratiæ narratio; quem ſi audimus, *Arnulphus* ne fines quidem provinciæ Henricum attingere paſſus, ſed cum exercitu eidem obviam profectus, continuò pugnæ poteſtatem fecit. Henricus ne victoriæ quidem civili ſanguine emendæ cupidus, caduceatore miſſo, *Arnulphum*, vti ſolus cum ſolo congrederetur, evocat, lætum ea conditione, exiſtimantémque, provocantis ad ſingulare certamen eam eſſe invitationem. Omnia alia fuere. Henricus demonſtrato Germaniæ in legendo ſe Rege conſenſu, negavit ambiendo ſed parendo ad Regnum ſe perveniſſe; neque tam cupidum ejus retinendi, quin ſi *Arnulphus* potiore jure nitatur, & ſuffragatores faventiores habeat, ſponte ei ſit ceſſurus. Vicit *Arnulphum* inermis oratio, & æmuli modeſtia ejuſ-

dem

dem virtutis amore accendit, belli pariter regníque deſideriis extinctis; donec Anno ejus ſeculi XXXII. Italicum ne prenſanti quidẽ oblatum, jam non inconceſſæ ſpei faces admovit; quibus excitatus copias quidem in Italiam deportavit, ſed quòd non alia adventanti lautia, quàm bella offerrentur, Coronámque decutiendam Rivali videret, expugnatâ arce Veronenſi, ſatisfactum famæ ratus in Patriam, quódque pulcherrimum ejuſdem anni factum fuit, cum læſa Pietate, quæ inter bella non optimè accipitur, in gratiam rediit; coactis eâ gratiâ Dingolvingæ Epiſcopis, vt facta damnorum æſtimatione, Divi pariter hominéſque, triſtius aliquid paſſi, placarentur, cujus ſani conſilij ſi alium autorem præter *Arnulphum* ipſum quærimus, dicamus ſanè, à D. Vdalrico Auguſtano Epiſcopo, cæleſtibus oſtentis de Ira Numinis in *Arnulphum* edocto, admonitum, ad hæc errorum ſuorum danda piacula deſcendiſſe. Quinque, quibus ſuperfuit, annis nullum ejus facinus extat pudendum.

Da-

Datam ſemel fidem neque ab Henrico Cæſare neque Filio ejus Othone deſiderari paſſus, hujus inaugurationi præſens interfuit, Magiſterio Equitum, & ſequenti mox anno Vitâ functus. Mortis ejus cùm multa apud veteres auctores ſit memoria, nemo vllo eam horrore infamat; cùm inteſtabiles ſcriptores & concitatum ab iis vulgus omnia Orci terriculamenta ad ejus exequias velut ſacrata lege evocent, ſintque inter illos nonnulli tam proſtituti pudoris, vt fractam ei à Stygiis carnificibus cervicem, corpúſque in paludes Schyrenſes demerſum mentiantur; quòd ſcilicet Schyram divino cultui dedicantibus obniti auſus eſſet; cùm eo tempore neque Schyræ nomen auditum ſit; vtpote quam ab ejus Filio demum ſtructam Poſteri non ante centeſimum quadrageſimum ab hoc tempore annum in domicilium Religionis converterint; vt hæc errorum monſtra pro veritate venditantibus fidem habere non niſi inſaniſſimos par ſit. *Arnulphi* oſſa D. *Emmeramus* tuetur, vicém-


cémque illi pro Templo Cœnobióque intra vrbem recepto & circummænito rependit. Epitaphium carmen magna ſpirantibus animis eſſe pro ſpeculo poteſt, oſtendétque, *Arnulphum* non modó *Bonum Principem*, ſed Optimum inſuper Modeſtiæ Magiſtrum fuiſſe.

*Viuus pollebam, faciens quæcunque volebam.*
*Nunc nihilor ſub humo. Sic perit omnis homo.*

# BERTHOLDVS ARNVLPHI FR. DVX BOIARIÆ VIGESIMVS SEXTVS.

*AT tibi nil præter ſobolem,* Bertholde, *negatum eſt,*
*Et tamen Æternum te tua fama facit.*
*Nam cùm devicto ſtatuiſſes hoſte Trophæum,*
*Te* Patriæ *dixit* Boica *tota* Patrem.
*Laurigerũ nunc conde caput; locupletior olim*
*Hic tuus abſorptũ profluet amnis aquis.*
*Quales* Schyra *tibi pariet fœcunda Nepotes?*
*Quis* Wittelſpachias *nõ memorabit aquas?*
*Secula poſt ſeptem non eſt mora longa, redito.*
*Invenies Gentis flumina, plena tua.*

FRatrémne *Bertholdum*, an è tribus Filiis ſucceſſorem in Principatu dari ſibi Arnulphus mallet, in obſcuro eſt. Suorum ingenia cum ſuaviſſimis hujus moribus comparantem quid optare æquius fuerit, ipſum ſeſe oſtendet. Atheſinos quidem *Bertholdus*, fratre etiamnum ſuperſtite, rexerat, ejuſdem comes & fortaſſe dux redeuntis ad Bonam Men-


DVX BOIAR·XXVI·OB·A·DCCCCXLVII·
VNGAROS CÆSOS
POST LATEBRAS COPIOSIOR



Mentem, luentíſque damna, ſiqua Religioſorum hominũ Aris focíſque intuliſſet armatus, abuſus videlicet iniquitate temporum, vel aliàs juris oblitus. Congreſſi ambo cum Wulframo Friſingenſi Epiſcopo, ſua tabulis teſtibus vindicantem, omnium votorum compotem fecerunt. & *Bertholdus* quidem, cujus ſuper ea re literæ ad Rupertum & Merolpdum Præfectos hodie etiam leguntur, florentibus ſe quà domi quà foris rebus excitatum ſcripſit, ne invitis Divis, pérque eorum injuriam, partas auctáſque opes ſuas vellet; *Matris* præſertim *Virginis* & *Corbiniani Bojariæ* Indigetis peculio temperaturum, neutrámque *Tutelam* vel ſibi vel Patriæ inconciliaturum. Pietatis hoc fuit. Illud ad Bellicam gloriam pertinet, quòd Anno xxxiv. Henrico Aucupi cum duodecim *Bojorum* millibus, feliciſſimo adverſus Vngaros prælio, tuliſſe ſuppetias ſcribitur, ipſe quoque Victoriæ Ludis poſtea Circenſibus celebratæ particeps, quos ceu Cunabula Germanicorum Agonalium Heroum

filij

filij adorant, *Bertholdique* nomen vt Nobilitatis Factioníſque, *Boicæ Patris patrati* his inſertum Ludicris ignari ſeriorum memoriter meminerunt. Sed nos illis potiùs in Modeſtiam digitos intendimus, quæ Arnulpho fratre mortuo, ejúſque Filiis ambitionis æſtu deflagrantibus, *Bertholdo* ad Principatum viam ſtràvit quieſcenti. Jam Eberhardus, rapto Ducis titulo, ſeipſum produxerat, colebatúrque non tantùm popularibus obſequiis, ſed etiam à Leone Pontifice agnitus pro eo, quem ſe ferebát, illius Tabulas jactabat magnum faſtus ſui ſuffragium fulcrúmque. Id nihilominus Otho Cæſar evertit; qui Arnulphi Filiis in Comitatum ſuum deſcriptis, Provinciam *Bertholdo* commendavit. Qui etſi delectatus judicio Cæſáris eſt, ab incubatoribus tamen vi pellendis, ſuis iterum virtutibus revocatus, dignitatem pietati poſtpoſuit. Othonis intererat, ne trium Iuvenum ferocia Regium vigorem elideret. Itaque ad vim ventum eſt. Bis intra annum *Boica* Othonem


ar-

armatum vidit ſenſitque: primos enim impetus fratrum concordia ſuſtinuit vel eluſit. altera impreſſio nexum ſolvit. Eberhardus rapti honoris pœnas captivus & exul pependit. Arnulphus magno Patriæ malo elapſus diu adhuc odiorum facem, ad eam inflammandam, ventilavit. *Bertholdo* tamen rerum potiente turbarum nihil dedit; ſive Patrui vigilantia, ſive Pietas illi pro freno fuit. Vtramque in eo Otho ſuſpexit, ſolitus etiam abſentem laureatis literis vocare in conſortium ſuorum Triumphorum; atque vt propiùs etiam devinciret, invitatum ad affinitatem, Gerbirgæ ſororis ſuæ, aut natæ ex ea filiæ conjugium optare juſſit. *Bertholdus* Filiam prætulit, neque diu pòſt tanta Vngaros clade affecit, quantam nullis retroannis acceperant. Ingens inde *Bertholdi* Nomen, magnum negati ſolatium hæredis, quem damnare etiam Arnulphus poterat, niſi filii cognominis dedecora Nepotes eluiſſent, tribus &

*H* ampli-

ampliùs ſeculis cum temporum hominúmque invidia decertaturi, donec in faſtigium, è quo *Bertholdus* moriens deſcendit, *Otho* denique *Wittelſpachius* ſanguinis & Virtutis hæres eluctabitur.

HEN-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# HENRICUS I. HENR. AVCVPIS F. OTHONIS M. FR. DVX BOIARIÆ VIGESIMUS SEPTIMVS.

*QVid ſalit in* Boico Saxo *mihi* Mannu- *lus Arvo?*
*Paſcua nunc cedent hac* Widekinde *Tibi?*
*An toties Titulos niſi permutaret herîles,*
*Nemo Globum Mundi crederet eſſe* Pilam?
*An potiùs vacuos prenſant Animalia* Rhom- (bos,
*Et prior Areolis ludere geſtit* Equus?
*Mitte* Moſella *tuos, & tu quoque* Welfo, Leones;
Auſtria *in has etiam migret* Alauda *plagas.*
*Nulla harũ in noſtris harebit* Bellua Rhom- (bis;
*Iuſſere huc alias fata migrare Feras.*
*Cede* Palatinis *admiſſe* Leonibus *hoſpes;*
*His breve jus. Illis Secula tota damus.*

SAxonum deinceps ingeniis *Boica* aſſueſcet, eandem cùm *Romana aquila* ſortem ſubitura; quam Henricus non ſine omine *Auceps* dictus inter Lilia Franciæ nidulantem itidem Saxonum genti vindicavit. In cujus Tutelam cùm O-

thonem ſibi filium ſubrogâſſet, *Henricus* natu minor, ſed Patre jam Rege in lucem editus, leviſſimâ ratiunculâ eò impulſus eſt, vt debitum Porphyrogenito ſibi Regnum à fratre velut impare & raptore repeteret, tot ambitionis adminiculis ſuffultus, vt iis ſolis evertendis Otho potuerit Magni cognomentum mereri. Tunc enim ſeipſo Magno Major & verè Maximus fuit, cùm hunc ſuum non Fratrem ſed Capitalem hoſtem toties ſuâ, toties divinâ manu repulſum rejectúmque à Iugulo & Latere ſuo, Principatu *Bojariæ* donavit, cui vitam veniámque dare non niſi mitiſſimus animus poſſet, & dignus tantæ Virtutis uſufructu; qui ei quidem ampliſſimus obtigit: neque enim furentem duntaxat eo lenimento placavit, ſed arctiſſimè inſuper devinxit, Patriæque Optimum Principem dedit. Prima dignitatis initia *Henricus* duplici Victoria, bis cæſis Vngaris, nobilitavit; rebus etiam in Italia geſtis gloriam & imperium auxit, Aquileiâ & Veronâ potitus, Fratre ejus incre-

men-

mentis tam prolixè favente, vt Ludolphus Cæſ. Filius & Conradus Gener juſtam eam conflandi Othoni Belli cauſam exiſtimârint. Hos humanitatis & Virtutum hoſtes ab Othone Moguntiæ obſeſſus *Henricus* adductis auxiliis ad capeſſenda deditionis conſilia adegit, & hoc nomine, & ob repudiatas conditiones, quas ferre quàm accipere malebant, ſugillatus à rebellibus, quaſi mitem ſuâpte naturâ Cæſaris animum auctor ipſe triſtium ſententiarum exaſperâſſet. cui calumniæ dum *Henricus* os obſtruit, & Ludolphi impietatem inſigni verborum acrimonia deſtringit, provectus calore, eidémque velut imbelli inſultans, arma illum à Patre in Patruum vertere juſſit, lignique ramentum levatum humo oculis ejus ingerens, negavit vnius eum aſſis aſſulæve ſpolium è *Bojaria* relaturum. Subſecuta res eſt, quæ perſuadeat glorioſo dicto addendum fuiſſe *Præfiſcine*. eâdem nocte *Boij*, quotquot *Henrici* ſigna ſecuti fuerant, inaudito furore ad impium Ducem Patríſque ac Patrui Hoſtem

omnes transfugerunt; útque aliud ex alio ſcelus naſcitur, poſt Principem, etiam Patriam prodiderunt, Ludolphi in *Boicam* comites ducéſque. Vices illic ſuas *Henricus* Arnulpho Schyrenſis Arcis Nominíſque Conditori, Vxoris Fratri permiſerat, deceptus ſanati ſpe ingenij, quod tunc ſeſe totum exeruit. Non contentus Ratisbonam Ludolpho aperuiſſe, theſauros ſororis inſuper prædonibus objecit, miſerámque cum liberis vrbe excluſit. Idem Vdalrico Auguſtano notæ ſanctitatis Epiſcopo, qui Cæſaris Partes ferè ſolus Antiſtitum tutandas ſuſcepit, imminens; provinciam ab eo jura petentem prædis agendis exhauſit; Virum Sanctum Mänchingæ obſedit, ſanguinis quàm auri, quo Vdalricus Pacem licitabatur, cupidior; donec ab amicis ejus verſus in fugam Hermannum fratrem in eorundem manibus reliquit. exciti eadem tempeſtate, quocúnque autore, in *Boicam* Vngari; nulla auxilia aſpernante impietate, dum Cælum parat exſcindere, aut otium turbare terrarum:

ij vbi caſtra cum æquè ſceleratis junxere, audito Cæſaris adventu, iter in Galliam averterunt. evocatorum hoſpitum infamiâ Heroldus Salisburgenſis Antiſtes conflagravit, & paulò pòſt pœnas dedit, *Henrici* juſſu vtroque oculo orbatus; quod factum ille etiam moriens defendit, vtcunq; ab hominibus ſugillatū Numini probaturus. Ratisbona tunc rebellium nidus, donec Arnulphus Schyrenſis ſuperfuit, multum Othoni, multum *Henrico* negotii faceſſivit. eo in pugna cæſo, fames Ludolphum Vrbe expulit. Ad Ilaram amnem ſigna rurſus explicantem, ſuóſque latrones accendentem ad pugnam Vdalricus Auguſtanus divinâ eloquentiâ exarmavit, facilè deinde reperta oratione, qua paricidium mitiſſimo Patri excuſaret. Navatæ operæ pretium Burcardus Helffenſtainius Affinis ejus tuliſſe cenſendus eſt, principatu Alemanniæ & nobiliſſimo conjugio potitus; Luitgardis, quæ D. Vdalrici ſoror fuit, morte viduo *Henricus* Hedwigem filiam locavit Græcè Latinéque doctam,

& vel ob hujus dotis inſolentiam nominandam. Quinquageſimo quinto anno Ratisbona præter nuperæ obſidionis incommoda graviſſimo etiam incendio afflicta tamen ad ingenium rediit. Cæſaris iterum Ducíſq; arma laceſſentem, & aliquouſque ſuſtinentem fames ad officium reduxit. Provinciam malis inteſtinis levatam Vngari, quàm latè patet, omnem inundarunt. Tempeſtas poſt Atilam calamitoſior nulla fuit. Ferrum & ignis nulli elegantiæ pepercere. Cælitibus nonnulla ſibi dicata tutantibus, homines deſperatione obtorpuere, quò mirabilior Eberhardi Dynaſtę Eberſpergii magnanimitas fuit, gentilitiam Arcem adverſus tantam vim defendere auſi. Suſpexit etiam *Henricus* Virtutem Viri; cúmque ipſe per valetudinem Othoni fratri adeſſe non poſſet, *Boicis* illum copiis vniverſis præfecit. Otho fratris judicium ſecutus primam ei tuendam aciem commiſit. Exercitu omni in octo Legiones deſcripto, ternas ex iis *Boÿ* explevere. Victoria nihilominus tan-

tantillâ manu memorabilis parta, qualem Witichindus ducentis retro annis negat vlli Ducum obtigiſſe, nihii veritus etiam Caroli M. luminibus eo præconio obſtruere. Gentis Reguli tres, qui vivi in poteſtatem venere, ad *Henricum* deportati, actíque in furcam gratum *Bojariæ* luculentè vindicatæ ſpectaculum præbuere penduli. *Henrico* ipſi, poſt redditam Patriæ Pacem, quæ quidem optima Principum eſt hæreditas, minùs gravis mors accidit, quemadmodum nec Epaminondæ, ſalvo ſcuto. Juditha vxor exuvias Mariano Templo, cujus auctor ipſe fuit, intulit. Illa in Parthenone Ratisbonenſi, cui Inferiori nomen eſt, vt proprio ſuæ Pietatis monumento, ſita eſt; cùm ſola ex Arnulphi liberis *Bojariæ* cum marito imperaſſet, & imperaturum genuiſſet.

## HENRICVS II. HENRICI I. F. PIVS IDEMQ. RIXOSVS DICTVS DVX BOIARIÆ VIGESIMVS OCTAVVS.

*Cùm poſſes,* Henrice, Pii *defendere nomẽ;*
*Quanto eſt putidius, quod tibi* Rixa *dedit?*
*Tu tamen ad Regni culmen* Rixoſus *anhelas,*
*Romanáſque crepas Ambitioſus Aves,*
*Non magis illiciti capturus præmia voti,*
*Quàm juvat Vmbra tuã, ſtulte Moloſſe gulã.*
*I ſectare Vmbras: Miſerande* Henrice! *nec Vmbram*
*Regis Captivus, nec* Ducis *Exul habes.*
*Deſine rixari. Poteris ſperare, quod optas;*
*Imò, quod optandum eſt, ſpernere Regna* Pius.

QVibus jam coloribus *Henricum* dabimus *Pium* pariter *Rixoſúmque*, & morum inter ſe diſſidentium mixturâ confundentem pugnantia nomina, quemadmodum ad conflandam Aſſyrii Regis ſtatuam primæ vltimæque notæ metalla confluxerunt? Vtinam *Pietatis* candore contentus nullo nobis ſignandas




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

das carbone *Rixas* reliquiſſet! ſupra omnes eum Reges *Saxeum Solium* extuliſſet, quod in veſtibulo Ædis D. *Emmerammo* ſacræ locatum memoriam ejus nunquam ſinet intermori, intempeſta ſæpe nocte à Religioſiſſimo Principe Ratisbonam à duobus paſſuum millibus commeare ſolito preſſum tantiſper, dum Templi fores ab Æditius, aut eorum vice fungentibus Angelis (nam id quoque fertur) panderentur. Simul ac Solio Regio imminens Othonis M. Filium Patruelem ſuum ex eo detrahere conatus eſt, infelices Rixæ Pietatis decora collutulârunt. Modeſtiam illi Abrahami Friſingenſis Epiſcopi tumida conſilia excuſſere. Danus, Polonus, Bohemus, Carinthius, & inter ſacros viros æquè magna nomina ſtabant in partibus, egregia malæ cauſæ fulcra; quæ tamen Otho in tempore labefactavit, vel evertit, *Henrico* Anno LXXV. è tota *Boica* ejecto. Ad Bohemum refugientem idem cum Exercitu inſecutus, operam & ferè etiam militem perdidit;

*Hen-*

*Henrico*, dum ea jactura ſarcitur, non modò reſpirante, ſed Paſſavio inſuper potito, & fatigaturo inde Cæſarem, ſi ſui locique muniendi facultatem habuiſſet. Oppreſſus inter molitionum rudia principia, ad cauſam dicendam proximis Paſchalibus adigitur; convictúſque Læſæ Majeſtatis Traiecti cuſtodiæ mancipatur, inter ingratas ferias ſatis otii nactus ad receptum ex Labyrintho, cuius erroribus ſua illum ambitio involuit; ſed, quod mirere, filum, quo ſe extricaret, non reperit; carcere quidem, poſt ſeptimum annum, Othone mortuo, ſolutus, adhuc tamen ſtultæ cupiditatis captivus. Ei dum paret, Othonem ante omnia Puerum Othonis II. Filium in poteſtatem redigit, Tutelæ obtentu; rectà nihilominus ad Regnum graſſatus, & Inauguratores denique Adoratoréſque nactus Regium Nomen aſſumpſit; quod tamen *Boicam* reviſenti ad demerendos vulgi animos exiguo vſui fuit. Soli ferè Epiſcopi veterem Dominum agnovere, populus tempori obſequens ſtudia ſua

aliò

aliò tranſtulerat; potuitque duobus ex intervallo Principibus obnoxius, exulis oblivíſci, niſi, qui poſteriore loco imperavit, *H*enricus Minor Maioris *Henrici* memoriam & nomine & cognomento ſuſtinuiſſet. Sed Francones multo apertiùs eum aſpernati, intentato armorum metu, velut iniecto freno, quantumvis invitum eò deduxere, vt Tutelam pariter & inconceſſa vota ejuraret; quo ipſo tempore inſolens Aſtrum claro die illuxit, fax vtiq; Erronem cum Pietate & Modeſtia, Exulem ad faſtiditum nuper Principatum reductura, pro magno nunc munere ab illo ipſo impetrandum, cui imperium ereptum iuerat. In hunc modum jactato *Bojaria* portum præbuit. Decem anni reliqui velut piaculares Virtuti & Patriæ conſecrati, ſuum *Henrico* nomen reddidere. Largiſſimas illius ſtipes Ditmarus prædicat. S. Pauli Monaſterium Ratisbonæ etſi D. *Wolfgangum* auctorem agnoſcit, *Henrici* tamen potiſſimùm opibus ſurrexit; Brigitta Filia loco ſanctitatem intulit, ſed

ipſam

ipſam quoque *Wolfgangi* diſciplinæ debitam, quem eo conſilio Ratisbonenſibus Infulis exornari Deus, *Henrico* rerum potiente, voluit, vt ejus liberis Moderator additus abſolutum Optimi Principis Exemplar, quale in Henrico Sancto orbis poſtea agnovit, ſuſpexit, maximus Artifex formaret.






BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

# OTHO I. LUDOLPHI F. OTHONIS M. NEPOS SVEVIÆ ET BOIARIÆ DVX VIGESIMUS NONVS.

*Sint læſa Fidei, ſint culta Præmia: Nulli*
*Sit fraudi pietas, Impietáſque lucro.*
Paruit & Meruit *cumulandus honoribus* Otto:
*Hoc ære, hanc mercem qui licitaris, eme.*
*Cur vehit immeritos rerum ad faſtigia cenſus?*
*Prætorémq; hodie Nummus & Arca facit?*
*Non numeravit opes, quem noſter inaugurat Ales:*
*Inde Coronando cernis abeſſe manus.*

STernit ſine dubio viam ad Regna Ambitio, ſed non prenſantibus, quorum animos vana ſpe inflat, manúſque armat ad rapinam; etſi enim his potiſſimùm favet ſtudétque, Gloria tamen moris ſui retinens fugit captatores ſuos, amátque fieri præda quieſcentium, qui neque manus neque rete expanderunt. *Rixoſum* noſtrum in duos Othones faſtus incitavit, ſed eorum Re-

Regno imminentem etiam Principatu excluſit. Othonum æmulum *Otho*, quem nunc producimus, & *Othonis* Filius excuneârunt. vtrique *Henrici* ambitio profuit. illum exauthoravit, hos inauguravit. *Otho* hic Ludolpho Patre natus eſt, cujus impia adverſus Othonem Patrem bella ſuprà libavimus. Sveviæ imperabat, cùm *Henrico* in exilium deportato ſuffectus eſt, tanto ſine dubio majore eius ſenſu morsúque, quòd *Othoni* jam olim parùm æquus, eundem velut ex ſuo ſibi inſultantem nido ſuſtinere Exul cogeretur. Magna erat *Othonis* apud Cæſarem Patruum auctoritas, vt ejuſdem admonendi libertatem nemo fidentiùs vſurparet. Fortè evenerat, vt Gero Comes Virfortis Waldonis maleferiati criminationibus in periculum adductus, capitis innocentiam aſſerere manu cogeretur, cum quadruplatore commiſſus. Waldo bis ſecundùm tempora ictus vires ab vltimo furore mutuatus, adverſario vicem reddidit, ſupinatúmque ad porrigen-

dam

dam herbam adegit; mox tamen libatâ aquâ, dum loricam diffibulat, inter amicorum manus mortuus. Quod ad abſolvendum Geronem valere debuit, in invidiam & perniciem vertit. Nempe ne ſupereſſet Victori, carnifici addictus eſt. Patrocinari miſero & fortaſſe innocenti nemo adverſus ſententiam Cæſaris auſus eſt. Vnus *Otho*, peracto jam ſcelere, ſuperveniens liberâ illud cenſurâ diſtrinxit, negans cauſæ ſatis fuiſſe, vt ſervatum duello nobiliſſimum ſanguinem vindex latrociniorum enſis hauriret. Ex Numinis mente locutum eſſe etiam illi cenſuere, qui nefas ſervili ſilentio acceleraverant; vtique poſtquam cognitum eſt, Ludolpho Corbeienſi Abbati Geronis caput inter ipſas oblatum Aras velut piacula poſcentis. Anno Octogeſimo ſecundo fata *Othonem* in Italiam traxerunt; quo tempore Saracenis Calabriam infeſtantibus *Bojos* pariter Suevóſque juſſus obijcere res memorabiles geſſit. Tarentum eorum viribus expugnatum; Ba-

I ſen-

ſentellum hoſtibus ereptum; iidem acie victi, quódque non eam duntaxat victoriam corrupit, etiam timeri deſiti: revecti in contemptores ſuos latè ſtragem edidere. Fuga Othones Cæſarem Ducémque præſenti exitio ſubduxit. Cæſarem inſequentium hoſtium metus in mare præcipitem egit. Exceptum Græca navi agnitúmque ingentibus deliniti promiſſis Vectores ſervarunt; donec jam propior ſuis naratu ex illorum ſe manibus expedivit. *Otho* noſter, dum in Patriam regredi parat, in itinere deceſſit, ſervatâ Cæſaribus fide & ad extremum cultâ, quàm aliis monumentis clarior. Ingens laus, etſi vno verbo abſolvitur. Quid omnis ætas queſta eſt, quàm *Fidem* ſummum gentis humanæ bonum toto orbe rareſcere? *Hodie* quoque magna omnia nomina nullius comperta perfidiæ inſcripturum te Annulo confidas. Tu ipſe, *Maximiliane Emanuel*, quoties vel in Glorioſiſſimi Avi tui Maximiliani, vel etiam Paren-

rentis aut Tua manu Scutóque gentilitio *Pomum Aureum* contemplabere, quid potiùs quàm *Othonis* noſtri lemma repetas, *Perfidia perdidit; Fides recepit.*

# HENRICUS III. MINOR DICTUS OTHONIS I. FILIUS CARINTHIÆ ET BOIARIÆ DUX TRIGESIMUS.

*NEmpè tuos poteras imitari, Henrice, Leo-*
*Jure Bono partis juſſus abire Bonis; (nes,*
*Vim tibi vi licuit, rigidóque repellere jure;*
*Mollia ſed cordia jura fuere tibi.*
*Expendis Patriæ lacrimas, neq; ſanguinis un-*
*Viſa eſt Civilis vena ſecanda tibi. (quam*
*Nec placuit dubijs Tutelam aſciſcere rebus,*
*Quæ dextrâ* gladium, *ſed ſine* lance, *gerit.*
*Ah! hodie nemo metitur* lance *cruorem.*
Lanx *capiat, quem vix ebria terra capit?*

MVlto maximum Fidei cultæ præmium Otho in tumulo tulit, etiam poſthumam mercedem inter Juſta funebria numerante Cæſare; ad quam capeſſendam cùm *Henricus* Othonis F. jure proprio vocari nullo poſſet, acceſitus eſt paterno, & quidem, quod ſummam admirationem habet, ex carcere, & compedibus. *H*enrici Rixoſi Achates, & ambitionis Genio eidem ge-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

gemellus, raram inter ſuperba ingenia concordiam vnico exemplo ſanxit, *Majorem* illum, ſe *Minorem* dici ſuſtinens, ſolis fortaſſe annis eo inferior, ejuſdem cæteroqui ſanguinis, & ipſe quoque titulo Carantanorum Ducis tumens. Augendæ potentiæ ſpe, an odio Othonum cum Rixoſo conjuraverit, non proditur. Rem opibus viribúſque conjunctis egiſſe, irrupiſſe vnà Paſſavium, præventóſque celeritate Othonis, cùm judicio publico ſe neceſſariò commiſiſſent, damnatos Maieſtatis eandem exilii pœnam tuliſſe certum eſt. Quinque non minùs annis maceratus carcere, Patre mortuo, Veronenſibus comitiis receptus in gratiam, & *Bojariæ* Principatu auctus eſt; inſigni Othonis comitate hanc remunerandi Patris in Filio, alia omnia merito, rationem amplectentis, quem neque pœnitentiâ admiſſorum de reditu ad innocentiam cogitare compererat. *Rixoſus* paulò ſeriùs non Othonis ſed temporis beneficio recuperata libertate ad vrgenda improba vota abuſus in *Henri-*

co opis adeò nihil reperit, vt ne vultum quidem illius ſubire auſus, damnare credulitatem ſuam cœperit, Conſtantiam Fidémque in amicitia quærentis, quam perfidia & privati cura commodi, improbæ lenæ, copulârint. Intererat tamen Reipub. *H*enrico Rixoſo pennas inſanæ ſpei ab illis ipſis evelli, qui eas ſubvolare geſtienti affixerant. Defluentibus ambitionis fulcris metiri ſuo ſe modulo & pede *H*enricus didicit, patiénſque mollium conſiliorum, pacis interpretem *H*ermannum Comitem ſana loquentem jam non invitus audiit. *Hic* inter *Majorem Minorémque* medius vtrumque in rigidi juris pugnas prurientem, ad æqui boníque ſcita amplectenda deduxit, doctus æſtimator humani ſanguinis, cujus impendio decidendam litem videbat, ſi Martem, quàm ſe Arbitrum maluiſſent. Ita *Henricus Minor* jure ſuo ceſſurum ſe pollicitus eſt, niſi aliter Cæſari videretur. Ad hujus nutum, abdicatione Principatûs, majore quàm alius quiſquam pretio, Pacem rede-

redemit, ea ſola facilitate dignus, qui vel Imperaret, vel Imperatorem Orbi daret. Poſterius feret. Conradum Salicum Filium illius in Purpura videbimus, atque ex eo Cęſares & *Bojariæ* Duces plures. Prodiga emolumentorum ſuorum videtur Modeſtia, cùm nulla Virtus ſit quæſtuoſior. *Sedendo & Cedendo* Vincit, & Pomœria Potentiæ ſuæ dilatat ſine tumultu, quódque ſuavius eſt, citra Invidiam.



# HENRICVS IV. SANCTVS, CÆSAR, HENR. RIXOSI F. DVX BOIARIÆ TRIGESIMUS.

*TU dubites,* Henrice, Pila *hac, quam Mundus adorat,*
*Sitne* Ferenda *manu? ſitne* Terenda *pede?*
*Nempe minus peccant, qui calcavere jacentē,*
*Indignâ quàm qui ſuſtinuere volâ.*
*Sed Tu quid trepidas, cùm te bonus Augur ad iſtud*
Wolfgangus *certa voce vocârit onus?*
Poſt ſex *in curta ſcripſit, duo verba, Tabella,*
*Quæ tradenda Annos te docuere* Pilæ.
*Sed qui annos cecinit, fortaſſe & ſêcla notavit,*
*Nota tibi aſſerto* Maxmiliane Globo.
*Quis te* Wolfgango *cura neget eſſe, Kalendis*
*Qui tibi dat* Patris nomen *habere Sui?*

QVatuor Syllabis Miraculum Orbis evoluimus. Dici poteſt, oſtendi poteſt, prædicari pro merito non poteſt *Cæſar Virgo*; Pater nihilominus nobilitatis *Boicæ*, quam in Triginta Duobus Babonis Abenſpergii Filiis adoptavit; ab hæreditate verò vir-

tutum




BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

tutum ſuarum, quæ in illo cupiditatem Liberorum extinxerunt, omnino neminem excluſurus. Gloriæ erit *Boÿs* ſuum Principem, imò Orbi vniverſo, Cæſarem habere Sanctitatis Magiſtrum. Eam illi D. *Wolfgangus* infudit non munuſculis Diſcipuli induſtriam exacuens, ſed Coronas in caput, & vera Regna pollicitus, primúſque noſtri Cæſaris inaugurator. Jam cælo receptus Tabellam objecit indicem anni, qui illi Purpuram eſſet injecturus; etſi Sanctus noſter eo oraculo non ad Solium ſed Tumulum vocari ſe credidit, itáque ſe comparavit, quaſi *poſt ſex* ſive dies, ſive Menſes, ſive denique Annos moriturus; vt Cæſarum nullus modeſtiùs Inaugurationi ſuæ præluſerit. Anteceſſit tamen, vtcunque properantibus in ejus honorem annis, majus aliud Auguſto nomen & *Henrico* noſtro glorioſius; cùm locata Vngariæ Regi Sorore Giſela Fidem vnà Pietatémque regno eouſque barbaro intulit, & ex eo cognomentum *Apoſtoli Vngariæ* reportavit. Domi multò humi-

I 5 mi-

miliora aucupatus B. Senis *Ramvvoldi* D. *Wolfgangi* Patruelis funus non tantum duxit, ſed Sandapilæ Bajulus viſus in publico tumulum ſubiit, & cadavere ritè collocato, Clavem Vrnæ pretium laboris abſtulit, geſsítque etiam Imperator, velut inſigne triumphi, vt Arnolfus Vohburgius Comes ſcripſit. Idem Pietatis genus etiam Othoni Imperatori impendit, cùm priùs vitam ejus Romanorum inſidiis appetitam ſervâſſet, quam illi paulò pòſt Fœmina, veneno in manicis tranſmiſſo, abſtulit. Exuvias illius *Henricus* Pollingæ excepit, multíſque inundatas lacrymis, iterum Veſpillo factus, ſuis humeris tulit, & in D. Vdalrici Æde Auguſtæ, perſolutis liberaliſſimè piaculis, tumulavit. His ſcilicet artibus prenſabat Imperium *Henricus*, ab ambitioſiſſimis competitoribus Eckhardo Thuringo & Hermanno Suevo facilè labefactandus, niſi S. *Wolfgangi* Tabella divinæ mentis interpres *Henrico* ceſſanti Septemviralia ſuffragia collegiſſet. Facit hoc quoque ad *Boica* glo-

gloriam, Romani Molem Imperii nuper admodum à Gregorio V. Othonis *Bojariæ* Ducis ſuperiùs à nobis memorati Filio, & Othone III. Cæſare Septemviris ſuffultam Atlantibus, prima eorundem ſuffragatione *Henrico Bojariæ Duci*, Willigiſo Moguntino auſpice, impoſitam, cùm Æmulorum alterum hoſtile jam ferrum ſuſtuliſſet; Hermannum *Henrici* denique modeſtia exarmâſſet. Sed Hezilo Franco intempeſtivus *Boici* Principatus Candidatus vi compeſcendus fuit, cùm ex prenſatore publicus hoſtis & fœdiſſimæ factionis, in quam etiam Brunonem *Henrici* Fratrem pertraxit, antesignanus factus, nullo maleficii genere temperaret. Eundem tamen calamitatibus ſuis exilióque, quod ipſe ſibi conſciverat, edomitum, carcerem inſuper in ſpem regiæ gratiæ pro beneficio ſibi depoſcentem, cùm pauliſper in Witgenſtainia Arce deferbuiſſet, Gottſcalci Friſingenſis Epiſcopi oratione victus plenæ libertati reſtituit. Brunonem verò Fratrem Schongaviæ non

medio

modò in gratiam recepit, ſed ſuis ipſe lacrymis, quantas reo conſcientia ſceleris exprimere non potuit, elotam perfidiam vindictæ, imò memoriæ ſuæ ſubduxit. Quo ipſo tempore cùm pro ſe alium *Boicæ* Ducem dederit, nolit fortaſſe ingentia facta ſua jam Cæſareo nomine inſignita in huius ſcenæ anguſtias compingi. Bellicis certè & Martiis abſtinebimus, mitia tantùm libaturi, vt ſupra humanam laudem imitationémque. Quis enim Principum omnium Mille templa, quæ Gottfridus Viterbienſis ab eo ſtructa commemorat, ſuis opibus hodie ſuſtentet? inter quæ non pauca Cœnobia, imò Epiſcopatus numeres vel reſtitutos, vel inſtitutos. Bambergenſis prima dignatio; quem in hæredis locum aſſumptum cùm excolere ornaréque inſtitiſſet, haberétque in ea re adverſarios potentes, ingreſſus Comitia *Henricus* Patrum pedibus advolui non erubuit, eodem oris animíque habitu Pietatem ſuam illis comendans,

quo

quo Rei pro ſuo capite ſupplicant. Nondum perfecerat illud opus, cùm etiam Baſileenſis Baſilicæ fundamenta jecit, ipſa quoque regium ærarium gravantia, niſi eo ingenio *Henricus* fuiſſet, vt parcitate magis, quàm liberalitate offenderetur, iratus eo nomine Fratri ſuo Fabricæ Mauritianæ Auguſtæ præfecto, quòd non tam Fundatoris pietatem, quàm Architecti ſordes oleret. Vincitur tamen quantacunque ejus Munificentia Miraculis Modeſtię, quam neque Inaugurationis Imperatorię Pompa obruit. *Pilam* Auream offerente Pontifice, ſubtrahere manum viſus eſt, Imaginem illam Orbis Terrarum collocari in tam debili baſi non ſuſtinens: miſitque paulò pòſt Cluniacenſibus Monachis, doctis ſcilicet hac *Pila* ludere, jactatámque generoſo contemptu calcare; invidens iiſdem felicitatem ſuam, &c, ſi liceret, purpuram cum eorum Centonibus mutaturus, ægréque, ne id faceret, Richardi Virdunenſis Ab-

Ab-

Abbatis oratione à ſententía abductus. Jam illud quis in Regia, imò in privato lare æmulatur, quòd de ſuſpicionis iniquitate, qua Heriberti Colonienſis Antiſtitis innocentiam defixerat, edoctus temeritatis ſuæ veniam non modò publicè lacrymans petiit, ſed ſubſtratâ inſuper pedibus ejus purpurâ, lege in ſe & rigidiſſimo jure animadverti poſtulavit? Quis iram promptiùs poſuit? cùm hic juratum Trojanis excidium, Infantibus Patriæ ſuæ Cauſidicis & ſuum Kyrieeleiſon balbutientibus vnica hac voce flexus remiſerit. Finem nullum inveniat quantumvis properans oratio, ſummos tantùm Virtutum flores, quorum plenum erat *Henrici* Viridarium, carpens. Itaque in *Lilio*, à quo cœpi, finio. Vltima morientis & *Kunegundem* amicis commendantis vox fuit, *Recipite, quam mihi tradidiſtis, Virginem Veſtram*, tantò id confidentiùs profeſſus, quòd ignitos calcantem vomeres tam illæſo pede viderat, quàm

in-

intactus impuris ignibus animus fuit. Sed collocemus hoc inter Admiranda. Illud nolim de Solo *Henrico* à Gottfrido Viterbienſi dictum, ſed commune Regibus omnibus eſſe,

*Pauperibus, viduis, ſpes, via, vita fuit.*

HEN-

# HENRICUS MOSELLANUS S. KUNEGUNDIS FR. DUX BOIARIÆ TRIGESIMUS SECUNDUS.

*QUis Venatrici ſimilem te dicat Arachnæ,*
*Si meliora tuæ penſa* Sororis *ames?*
*Bambergam* Filo Kunegundis *muniit uno;*
*Conſilÿ tela eſt pernitioſa tui.*
*Retia tendentem qui ridet Ephebus Arachnen,*
*Te quoque Bella rogat* cui, *meditere* bono?
*Venatrix miſeranda! Miſer Venator! utriq;*
*Obvenit tanto præda labore minor.*
*Illa tamen Muſcam implicuit; Tu Victus &*
*Hæres ipſe tuis illaqueate plagis.* (*Exul*

HEzilone Francone de ſpe Boici Principatûs impudenter primùm, deinde hoſtiliter prenſati, quemadmodum commemoravimus, dejecto, *Henricus* Moſellanus, inauditum adhuc *Boicæ* nomen, Affinitatis jure cæteris eſt præiatus. Kunegundis Auguſtæ Frater fuit; ex cujus indole ſi de eo *Henricus* conjecturam fecit, mirum non eſt, neminem eo honore viſum digniorem. O-

thoni




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III - NAPOLI

thoni Cæſ. in Italia militaverat. exuviis ejuſdem Aquiſgranum deveɫtis, ſua ad *Henricum* ſtudia tranſtulit, ab eodem A. MV. XII. Kal. Aprilis Ratisbonæ Dux *Bojariæ*, Vexillo manibus ejus inſerto, inauguratus. Et cavit quidem ille aliquamdiu, ne Cæſarem tam benigni judicii pœniteret, magno ei in bello præſertim Polonico vſui. Fraternæ deinde contagione inſaniæ actus in præceps Famam Fortunámque ſuam eâdem ruinâ involuit. Adalbero frater illius Pontificatui Trevirenſi inhiabat, magis ad Galeam quàm Mitram natus factúſque. Cæſar, cujus ſuffragatione non ſe minùs, quàm fratrem, ſperabat ſublevandum, noluit Religionum ſanctitatem, impoſito tali Myſta, profanare. Inde Adalberonis in eum odium, & conflata cæteris quoq; ejus factis invidia, Epiſcopio Babẽbergenſi maximè, velut ex ſororis ſuæ dote, & ſpoliis Moſellanę gentis, impia pietate, à captatore popularis auræ extructo. Quiritanti primus Theodoricus Metenſis Epiſcopus ortu frater, ſed moribus

gemellus acceſſit,armavítq; furentẽ.*Henricus Bojariæ* Dux paululũ cunctatus,poſtquam infelix Fratrum temeritas in ipſis oppreſſos principiis ad famem, quæque porrò obſeſſi timent, compulit, non putavit ſalva pietate deeſſe ſe periclitantibus poſſe, & illis quidem libertatem; ſed eâdem operâ ſibi exauthorationem peperit. Cæſar Anno nono Ratisbonam profectus eum contra Remp. feciſſe pronunciavit,& Principatu dejecit. Quo tempore priſci candoris Fideique Germanicæ nobile documentum *Boÿ* dederunt,negantes, integrum ſibi eſſe ſacramento in trienniũ adactis, reverentiam qualiſcunque Principis exuere; quoad religio concepta animis vera jurisinterpretatione eſt erepta. Succeſſit mox turbulenti capitis deteſtatio,& irrepere tentanti paratum malum ſolâ fugâ evitandum. Metas regreſſus cum Theodorico Fratre devotas Cæſari clientelas omni genere injuriarum vexavit, quæ juſto exercitu ad Vrbem adducto vindicatæ ſunt. Nondum detume-

ſcen-

ſcentibus id quoque ex ſupervacuo Cæſar indulſit, ſi cauſæ, quam armis tueri non poterant, tantopere confiderent, eam vti oratione jureque defenderent. Sed cùm apud tam benevolas aures iterum corruiſſent, aſpernati patentem Regiæ Clementiæ arcem, dolori ſuo remedium ab inſania petere perſeverarunt, auſi etiam apud Pontificem calumniari Cæſaris Innocentiam & offundere nebulas huic Soli, donec de ſumma improbitate patientia triumphavit. *H*oneſtiſſima legatio viris principibus à Cæſare impoſita Moſellanorum pervicaciam fregit, neque tantùm exarmatos, ſed excalceatos etiam ad mitiſſimi Principis pedes adduxit. Pauculæ illic lacrymæ plurium annorum noxas abluêre. Venia primùm, tum priſtinus gratiæ locus datus. *Henrico* inſuper, poſt nonnulla fidei experimenta, *Boica* Principatus Anno MXVII. extremo redditus. Kunegundis ſoror Ratisbonam reduxit. Jus illic dicenti res ad memoriam inſignis contigit, ipſi Judici, qui diu jus pati nullum

potuit, revocatura curam amorémque æquitatis. Bruno Cæſaris Frater peſſimam cauſam optimis fretus Cauſidicis ad illius tribunal adduxerat, oppoſiturus D. *Emmerammo*, cui prædium quoddam ſuum invidebat, exercitatam Eloquentiam, & pugiles multarum palmarum. Ii & impudentiâ ſuâ & fucatis argumentis robuſti cùm exonerare malam mercem vellent, vocem nullam reperere, quæ turpiſſimo miniſterio dignaretur deſervire, *Emmerammo* ſtrangulante mendaciorum folles, & attritas frontes turpi rubore velut ſtigmate calumniæ perfundente; proſtituto ad ignominiam etiam Brunone, quoad improbam litem, datis piaculis, eſt execratus. *Henricus* ad Annum MXXVII. vſque provixit, nullâ benefactorum memoriâ, quæ malefactis ſuperinijcerentur. Oſterhofa tamen ab eo reſtituta & Canonicorum Collegio, denique etiam ipſius aucta tumulo creditur. Nihilo felicior Pater quàm Princeps fuerit, ſi fractam filio ejus laqueo gu-

gulam credimus; neque nos Conſilio-
rum ejus telam Aranei comparatam la-
boribus ſatis infamavimus, ſi eâ de-
nique etiam Filius illaqueatus
pependit.



# HENRICVS VI. INTER CÆSARES III. CONRADI SALICI CÆS. F. DUX BOIARIÆ TRIGESIMUS TERTIUS.

*DVctus ad Herculeas, niſi dedignabere, Cunas,*
*Quod juvet, à Puero diſcere magna potes. (nes*
*Ecce in Lernæos manus olim armanda Draco-*
*Roboris in parva dat documenta fera;*
*Præludit q; ſibi nudus Tyrunculus, Anguis*
*Ludus erit Pueri; ſit Labor Hydra Viri.*
*Sic teneras decet Heroũ occalleſcere dextras.*
*Non bene fert ſceptrum, cui gravis Haſta fuit.*

NIhil intereſt in Sceptrum an Crepundia *Henrici* involes, *Maximiliane Emanuel*: cùm Majeſtatis inſignia, quæ decennis iſte paulò majore dextra fert, Felicitati natalium tuorum debeantur, & illa ipſa jaculatrix aquarum *Fiſtula* magnis etiam Principibus inſtillare Sapientiam poſſit. Sed Principem ipſum priùs agnoſcamus. Conradi Salici, qui poſt Henricum S. imperavit, Fi-




BIBLIOTECA NAZIONALE

Filius *Bojariæ* Principatum ab eodem, nono ætatis anno, accepit, ſequenti in conſortium etiam Imperii aſcitus. Ætas illius Brunonis Auguſtani, eóque mortuo, Engelberti Friſingenſis Epiſcopi Sapientiâ ſuffulta. Regia in Andecenſi Clivo collocata. Regiorum operum primitiæ, ſancitâ cum D. Stephano Vngariæ Rege Pace, dedicatæ. Primam Lauream Vdalricus Bohemus victus ei impoſuit. Anno Trigeſimo ſeptimo Chunelindam novam Nuptam; Biennio pòſt Patrem extulit, Cadaveri ejus Trajecto Spiram delato, quoties in Templorum conſpectum toto illo itinere ventum eſt, commemorabili & fortaſſe vnico pietatis exemplo ſuccollans. A. XLII. in Bohemos, ad abolendam acceptæ cladis ignominiam moturus, inermem exercitui Cohortem extra ordinem adjecit, ſed in qua plus, quàm in Cataphractis ſuis, ſpei collocaret. Homines inculpatæ vitæ familiaréſque Numini conquiſiti, preces fuſuri, dum ipſe tela ſpargeret, & Victoriam cælo detracturi, quam glo-

rioſi Milites fruſtra ſuo ſitam in gladio putant. Ea arte Provincia in poteſtatem adducta. Dux ipſe gentis nudis pedibus, in obſoleta veſte, Victoris de ſe arbitria expectavit. Eodem habitu, eodémque ferè tempore Petrum Vngariæ Regem, calamitates ſibi ſuas commendantem, in fidem tutelámque ſuſcepit, humanitatem eam maximis è veſtigio favoribus compenſante Numine, ipſi vt *Henrico* nimia jam ſua magnitudo videretur, niſi eam partiretur in plures. *Boica* certè Principatu ſe abdicavit, cùm quindecim años ei præfuiſſet, nihilominus in Theatro Regio Principibus omnibus in exemplum proponendus. Quid enim ſpectaculo digniùs, quàm in ſacro ſuggeſtu videre Cæſarem, quem hic noſter, in Conſtantienſibus Comitiis Anno XLIII facundus Orator, Hepidanni Teſtimonio, factus Pacis Præco aſcendit? Illic ex animi ſui ſententia cum omnibus ſe mortalibus in gratiam redire profeſſus, Pacis & Concordiæ commodarum luculenta oratione explicavit, vt rubori


bori eſſet privatis, Iracundiæ obſequi; cùm offenſas ſuas Cæſar toti Reip. condonâſſet. Jam illud quoque quàm dignum omnium Regum æmulatione, quòd ne Geniales quidem Epulas ſecundùm Maritus dicacitate Hiſtrionum Scurrarúmque, quos culinæ nidor attraxerat, contaminari paſſus, perdendum malis ventribus paſcendis ſumptum in ſtipem pauperum derivavit, tanto felicior foris, quanto domi erat Religioſior. Pietas certè illius, quam ſena *Bojorum* Bohemorúmque millia adverſus ducenta Vngarorum millia educta ſperare non poterant, Victoriam meruit. Illa oculis animiſque hoſtium caliginem offudit; illa ſabulum in ora reſtitantium ſufflavit; illa ſolem luce publica indignis ſubduxit, & Henrico totum indulſit, velut Joſue redivivo & agnoſcenti hos Cæli Cælitúmque favores, nihilque de Victoria præter communem lętitiam decerpenti. Non Cæſar ſed *crux* triumphavit. erubuit adeò in pompa Purpuratus conſpici. Sagatus illam nudiſque pedi-

bus adoravit; ne Ratisbonæ quidem plaudi ſibi vt Victori paſſus, templa, quotquot vrbs habet, itidem excalceatus obiit,& omnia Altaria veſtivit, antequam Regiam ſubiret. Sed potuit ſcilicet in colendo Numine Majeſtatis ſuæ obliviſci. Fecere id plures. Sed Gregarii militis licentiæ, qui equitanti manum injecit, & litem de equo movit, non iraſci, imò in ſe pariter equúmqne vindicias permittere, & militari tentorio, aut, ſi mavis, carceri ſuccedere velut obnoxium & repetundarum reum, cùm vis ab eo dolúſve abfuiſſent, id verò non eſt ad noſtri ſeculi ſtomachum, libentiùs accuſaturi nimiam virtutem, quàm imitaturi. Sed vtinam æquè facilis veri erroris eſſet defenſio, quo Sutrii ad cauſæ Pontificiæ cognitionem impulſus, eâ Cenſurâ ſacroſanctæ Immunitatis confixiſſe Pupillam eſt creditus, & ſementem Cadmæam feciſſe, quæ poſtea ſub Everſoribus Pontificum maturuit. Id nomen Filio ejus Nepotíq; debitum, etiam Patri, ſed ſerò, eſt allitum; ſuo

enim

enim ævo *Pius* audiit. fuitque, advigilantibus pro ejus innocentia Superis, ne alius eſſe vellet. Huc enim Fiſtula *Henrici* argentea ſpectat donata nondum gnaro magnitudinis ſuæ, ab homine Togato, & Aris addicto, tantíque æſtimata Regulo, vt cenſeret Infulâ remunerandam, facile revocatus in ſponſionis ſuæ memoriam, cùm jam dare poſſet, quod promiſerat. Non placuit cælo mercimonium. Triduum integrum exanimi ſimilis inter tormenta *Henricus* jacuit, profeſſus recepto ſpiritu, Stygias ſibi flammas illo ipſo Tubulo inhalatas, quem Mitrâ puerilis promiſſi tenax emerit; conflagraturum fuiſſe haud dubiè, niſi Laurentius Martyr impenſiùs à ſe cultus frigidam perituro Clienti affudiſſet. Cætera Pietatis documenta Epitomes anguſtiæ excludunt, & æquè obſtupeſcenda piacula, quibus noxias redemit, Cenſoribus vſus Viris ſanctis, quorum rigorem hodie non tantùm Coronati Vertices abominentur. Quis enim Ferulæ ſe ſubijciat, quam Sanctus Anno in *Henrici* ter-

tergo jam Imperantis fregit? Monſtra-
lis loqui videbimur, quos non ſceleris,
ſed pœnitentiæ; id eſt, non Vulnerum, ſed Remediorum pudet.




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI



# HENRICVS VII. MOSELLANVS DVX BOIARIÆ TRIGESIMVS QVARTVS.

*Conſilium Forma Speculum dum* Sponſe, *requiris,*
*Neſcio quid Speculi proferat arca vicem.*
*Cui ſi hodie litem de forma forte movebis;*
*Vince hodie; cauſâ cras rediture cades.*
*Diſſimiles hodie faciet cras Parca gemellos;*
*Sola nitet, quæ te conteget, Vrna minùs.*
*Tu Thalamũ obijcies tumulo, & conſortia Calua*
*Vt fugias, a vi flore probare voles;*
*Ah nunquam efficies, calua argumenta loquentì*
*Ne Caluas inter det tibi parca locum.*

HEnrici Moſellani, quem cognominis ex eadem gente *Bojariæ* Principis Fratre genitum nunc producimus, læta initia, & triſtem exitum, nec ferè quidquam amplius nimis parcæ literæ annotârunt: etſi hoc ipſum magnis exemplis ingerendum eſt ſtupori mortalium, acquieſcentium in fucata Fortunæ blandientis fronte, & ex primo

mo ejus cachinno captantium omen longævæ Felicitatis, quemadmodum apud Perſas quondam Equi Hinnitus pro ſuffragio ad Regnum valuit. Principatum *Henricus* A. MXLII. Baſileæ, Henrico Cæſare inaugurante, ipſis Liberalibus adiit, cùm laureatæ ex limitanea *Bojariæ* Præfectura literæ de inaudita trecentorum *Bojorum* ab Adelberto Marchione ſeculi ſui Gedeone evocatorum Victoriâ, cæsíſque à tantilla manu decem Vngarorum legionibus, vſitatam ſolennium feriarum licentiam nova feſtivitate auxiſſent. Ejuſdem anni Autumno maximæ iterum in Vngaria res geſtæ, ſed illius duntaxat famam auctura, cujus auſpiciis pugnatum eſt. Sequenti pacem petentes Vngari Ratisbonam ad Concilium *Bojorum* relecti, iniqua æquis admiſcentes nihil ab iis impetrarunt. vis è propinquo oſtentata contumacibus alias conditiones obtruſit; quibus cùm non ſtaretur, via ſtrata eſt *Bojorum* gloriæ, qui in proximam expeditionem ſoli cum Bohemis deſcri-

ſcripti, vetera Gentis Deo dilectæ miracula Cælitum facti commilitones renovarunt, tantâ apud Victos Virtutis ſuæ famâ excitatâ, pro magno vt beneficio *Jus Boicum* à Victoribus ſuis expeterent, à quibus divinum nuper, Henrico Sancto Imperante, acceperant. *Boij* eos voti compotes fecere; etſi prioris Beneficii conciliatrix Giſela *Henrici* S. ſoror Regis Stephani Vidua ab ejus Succeſſoribus Petro & Ovone ita accepta fuerat, vt vitæ reliquias ingratæ ſubducendas genti putaverit, eo ipſo tempore Paſſavium velut Portum Securitatis ingreſſa, quo Petrus *Bojorum* operâ in regnum reductus, *Ha*ſtâ Aureâ *Henricum* Cæſarem, Patronum ſcilicet Cliens, & magno auri ſignati pondere remuneravit; quod Cæſar intactum *Boicæ* Virtutis ſtipendium fecit. *Henricus* Dux cùm à Regis latere vix vnquã diſcederet, eo Francofurti in morbum lapſo, jam non diſſimulanter alterum Imperio caput quærebat, præpoſterâ curâ, quam ſibi rectiùs impendiſſet. In illius caput, de quo deſpe-

ſperaverat, multæ poſtea Coronæ, inque iis etiam Auguſtalis, aſcenderunt. *Henrico* contra Mors *Nuptialem* invidit, eámque jam Sponſo cum ſpe Poſteritatis eripuit. Ita Principis Perſonam Ludis Bacchanalibus extra Provinciam ſumptam Anno MXLVII. itidem Ludis Genialibus, Treviris poſuit, inter *Hilaria* Dux factus & *Funus*.






BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# CONRADVS INCERTA STIRPE DVX BOIARIÆ TRIGESIMVS QVINTUS.

*Non nimis iraſcor tibi Textor Serice Bom-*
*Si propriũ rupto vellere perdis opus. (byx,*
*Te pulchrè cœptam,* Conrade, *retexere Telã,*
*Et Patris à Genio degenerare, probrum eſt.*
*Qualis eras, ſic cùm rueres cataphractus in*
*Cum juſſus Galeæ cedere ceſſit Apex? (hoſtẽ:*
*Principe dignus Apex, quẽ nunc non ſponte ca-*
*Indigno Capiti Cæſaris Ira rapit. (dentẽ*
*Nunc illo Patriæ jugulum fodis, improbe, ferro,*
*Quod Patriæ vindex, ne foderetur, erat.*
*Miramur talem ſi Peſtis ſuſtulit? annon*
*Quod fueras Patriæ, debuit eſſe tibi?*

Nihil in *Conrado* mediocre. Optimum Peſſimúmq; Principem dabimus, adoraturi ortum ejus velut benigni ſideris; donec in curſu degenerantem à ſeipſo, neque tam ad occaſum, quàm exitium ruentem deteſtabimur, omnibus jam Cometis horribiliorem. Qua gente domóve productum Henri-

cus Imp. *Boicæ* impoſuerit, gaudemus neſciri. Annus ei quadrageſimus nonus Principatum; Quinquageſimus ſegetem gloriæ obtulit. Gebhardus Ratisbonenſis Epiſcopus privatis auſpiciis & prædę ſtudio invectus in Vngaros, pœnas dederat ſuæ cupiditatis, & jam pridem deſitos timeri erexerat in ſpem amiſſæ Fortunæ. eam quamprimum retundi cùm *Boicæ* vniverſæ intereſſet, coacto gentis Concilio, de remediis eſt conſultatum. Placuit Haimburgum nuper dirutum reſtitui, & illo jugo premi iterum elatas cervices. Vtrumque ſibi *Boÿ* depopoſcere ſoli; Gebhardo ad inducendam infamiam, *Conrado*, ad colligendam Famam, Populo ad veterem gloriam tuendam ex æquo incenſis. Parva hominum manus ingentes ad opus animos attulit, perfecítque meditata inter telorum imbres, incaſſum ferè incidentium, ſive divina vis ea retudit, ſive noſtris vicem ſcuti fuit. Hoc certè magis, quàm rudibus, munimentis aut numero freti & erumpere ipſi, & irrumpenti hoſti ſuas

ob-

objicere copioſas nunquam dubitarunt. Miraculi inſtar fuit, tenue præſidium Vrbi novæ impoſitum ad ſuſtinendam acerrimam oppugnationem toto triduo nunquam intermiſſam, non animo non corpore labefactatum, cùm vtrique frangendo ſola ſufficere ſtatio potuerit. vſi nihilominus etiam manu ſunt, tam ſtrenuè quidem, vt cadaveribus hoſtilibus ſex naves ſtipatæ ſint, è noſtris vnus duntaxat deſideraretur, credo, vt ipſi quoque mortales ſe meminiſſent. Cæleſtibus auſpiciis rem geri, nulli dubium fuit; vtique cùm Turturem majore, quàm pro Genio volucris, conſtantia circumvolitantem capitibus ſuis plaudentémque alis aſpicerent, præſentis Numinis certum pignus, aliàs quoque in illa Ave agniti, neque tantum ſua fruſtrantis deſtinatione hoſtium tela, ſed jactas pariter faces & malleolos ſuffocantis, citra hominum ædiúmque noxam. Tantis rebus *Conradi* ductu geſtis ſequenti anno Henricus Imperator colophonem impoſiturus, totũ Imperium

in Vngaros armavit, tanto minore gloria, quanto debilior eſt vis ſeipsâ quàm Deo nitens. Neque proximi ab hoc Anni ſucceſſus votis vel apparatui reſpondit, nemo in magna Ducum multitudine ad *Conradi* famam aſcendit; ſed nec ipſi decora incrementa cordi fuere. verorum quin imò hoſtium oblitus, inimicitias cum Gebhardo Ratisbonenſi Epiſcopo egregiorum nuper operum conſorte exercuit, & Parckſteiniam Vrbem Transdanubianam ejus odio in cinerem redegit, in quos pariter omnis ejus gloria ſubſedit. Cæſar Patrui injuriam Popularibus exaggeratam criminationibus non neglexit, & *Conradum* ad cauſam dicendam evocatum, præcluſis gratiæ veniæque foribus, in ordinem redegit. Atrocem ſententiam paucíſque præter accuſatores probatam *Conradus* indigniſſimè tulit; néve fruſtra Patriæ Hoſtis à Cæſare declaratus videretur, ejus nominis infamiam crudelibus confeſtim factis implevit. Primùm enim quòd meditato ſceleri vnus non ſufficeret,

ceret, *Schyrenſem* omnem ſanguinem contagione ſuæ inſaniæ corrupit; cúmque hanc velut Patriæ Facem ſubdidiſſet, in Carantanos profectus ea omnia egit, quæ à Catilina exſpectare Roma potuit. Vngarum adeò ſuis nuper armis domitum, & tunc quieſcentem, pacis odio imbuit, ducémque ſe illi obtulit communes hoſtes vlturo. Suave Regi Andreæ fuit, clades à *Boijs* acceptas præcipui auctoris manu iis remetiri; útque id ſine mora fieret, inſtructum copiis viciniæ immiſit. *Conradus* magnam partem provinciæ populatus Hengſtburgum in poteſtatem adductum ſpoliarium ſuis prædonibus attribuit: quod etſi paulò pòſt de iis receptum eſt, diu tamen ad *Conradi*, *Boicam* aliunde infeſtantis, reprimendam violentiam nemo evigilavit. Colligebat publicus Latro felicitate prædatoria non opes tantùm, ſed etiam Invicti Nomen, ſummis ſceleribus eò propemodum evectus, quò neque priſtinis ſe virtutibus ſperaſſet evaſurum. Nam quæ æterna ejus ſeculi

eſt nota, minimo minus abſuit, quin Cæſari, à quo exauthoratus fuerat, Coronam viciſſim detraheret, & quidem ſummis viris volentibus, ínque iis Gebhardo Ratisbonenſi Epiſcopo *Conradi* nuper æmulo & everſore, qui *Henrico* etiamnum vivo talem belluam ſubrogare meditabantur. Dicas, ab his Magiſteriis profeciſſe perfidiam, vt iiſdem exemplis noſtro ævo inclareſceret. Sed tenet etiam ſolenne ſuum Deus, & antiqua ſcelera ex Orco revocantibus, cum iiſdem Virgis & Securibus occurrit, quibus eadem peccantium ſanguis à prioribus ſeculis adhæret. Idem enim, qui *Conradum* ad ſpem Coronæ ſuâ alienâque ambitione graſſantem peſti devorandum objecit, eadem auſum meritúmque, cujus nomen etiam Pueri deteſtantur, ejuſdem fati carnificinâ, penè in noſtris oculis, extinxit.

HEN-

# HENRICVS VIII. INTER CÆSARES IV. DVX BOIARIÆ VIGESIMVS SEXTVS.

*PArue, nec invideo,* Boicæ *da jura, Puelle;*
*Aut ſi dulce magis ludere, lude Trocho.*
*Seria* Tutor *aget, magni ſub Nominis vmbra;*
*Tu dabis innocuos, hoc vigilante, jocos.*
*Namq; Pedũ verſare manu Ferrúmq; viciſſim*
*Doctus,* Amor *Patriæ, ſed* timor *Hoſtis erit.*
*Hæc pariet triplicem Capiti Tutela* Tiaram,
*Quémq; habuit Patrem* Boica, *Roma leget.*
*Tu ſatur interea Scuticaq; Trochiq; propinquã*
*Grandior incipies exagitare* Pilam.
*O miſerum in manibus malè nati Principis Or-(bẽ!*
*Cui Tale Imperium perdere,* Ludus erit.

INtellexiſſe Magnitudinem ſuam Alexander adhuc Puer viſus eſt, eâ conditione certaturum ludo ſe profeſſus, ſi cum Æqualibus, id eſt, Regibus committeretur. At ego te, *Maximiliane Emanuel,* cum hoc ſaltem Regulo, imò Auguſtulo nolim colludere, etſi orbe Terrarum pro Pila abuſus, eum non minus

quinquaginta annis per ludum jocúmq; jactavit. Quintum annum natus Principatum *Bojariæ* Conrado ademptum Henrici Cæſaris Patris indulgentiâ Oetingæ, ipſo Natali Chriſtiano Milleſimo quinquageſimo Tertio, adiit, eundem intra triennium aſſumptus in conſortium regni ceſſurus Conrado fratri, niſi hunc mors etiamnum quadrimum abſtuliſſet. Ita Ducis nomen quarto etiam anno retinuit; vis enim Imperii penes Gebhardum Aichſtettenſem fuit, cujus ornamenta propiùs inſpici æquum eſt. Pupilli enim, & Magno Parente & Maximo Tutore indigni, dedecora ſub poſterioribus Principibus, vel invitis nobis, publicabuntur. Gebhardum *Boij* pariter Suevíque ſibi aſſerunt, magno claritatis argumento, cujus radios plures ad ſe rapiunt. Suevum fuiſſe verius eſt, ſummo genere ortum, vt quem Henricus Cæſar & Gebhardus Ratisbonenſis Epiſcopus Cæſaris Patruus inter neceſſarios ſuos agnoſcerent. Et hic quidem Aichſtettenſem Cathedram admodum Juveni

ni conciliavit, ægrè adducturus Cæſarem in ſententiam, niſi Bardo Moguntinus Antiſtes, Vir ſanctus & futuri præſcius, eum cunctanti ſcrupulum exemiſſet, negans Iuvenis illius fortunam plebejo pede timidè metiendam: ad ſumma omnia natum, ne in illo quidem faſtigio acquieturum. Neque illud de nihilo fuit, quòd Pater ejus deſtinatum Mitræ Filium, & *Wilibaldi* quoque nomen, qui eam primus tuliſſet, audiens, negavit *Wilibaldum* ſibi ſed *Petrum* ſomnio promiſſum eſſe, cujus Ovibus Filius ſuus Paſtor debeatur. Et ſanè ita ſub aditi honoris initia ejus ſe virtus explicuit, vt Cæſar ipſe de Theatri anguſtiis quereretur; cúmque *Henrico* Filio in *Boicam* immiſſo adjungendum Proprincipem circumſpiceret, præferendum *Gebhardo* huic neminem putaret. Eam Spartam *Gebhardus*, retundendis Conradi proſcripti improbis conatibus, & *Schyrenſibus* Dynaſtis factionis ejuſdem primipilis evertendis ita geſſit ornavítque, vt Cæſar Bardonis oraculum animo repetens,

ejus fidem vicarii magnitudine imperii, & incrementis partæ in eo glorię exiſtimaret impletam; cùm pacis belliquе artibus Remp. ita ſuſtentaret, vt dubium relinqueret, manu an conſilio prętaret. Major tamen conſiliorum ejus fuit admiratio, idoneum omni nodo cuneum extemporali felicitate aptantis, vt Haſenriettanus ſcriptor, *in exercendis diviniis humaniſque judiciјs* cum planiſſima aſſeveratione *neminem mortalium habuiſſe ſuperiorem* fateatur. Quę fama cùm orbem terrarum impleſſet, etiam Comitiis, quibus Leoni Pontifici A. MLIV. ſucceſſor quęrebatur, nomen *Gebhardi* intulit, & omnia ſuffragia nec opinanti vindicavit. Exhorruit ille ad maximum Virtutis ſuę Teſtimonium, egitque omnia, vt illud convinceret falſitatis, contra ſe perorantem cùm nemo audiret, venales linguas ſtipendio conduxit, ad locandam ſibi maledicentiam, & popularis aurę Favonios corrumpendos. Fruſtra fuit ſummę modeſtię artificium. Puriſſima frons nullum ſtigma, nec offuſas

Si-

Sidus nebulas recepit. Itaque anno LV. manus dedit, Victoris aſſumpto nomine de Orbe Chriſtiano ita meritus, vt alia ei facies reddi potuerit, ſi optimis conatibus triennium ſuffeciſſet. quanquam id quoque ſceleratis hominibus, Cenſorem & Vindicem turpitudinis ſuæ non ferentibus, nimis longum viſum. Fuit, qui ſacrificanti venenum in ipſa Ara propinaret, mortem è Calice Vitæ bibituro, niſi nefas ſupra Cæli patientiam fuiſſet. Calix levari attollique (tantum fuit meditati paricidii pondus) non potuit. de cauſis monſtri dum Numen conſulitur, ſuo ſe paricida indicio prodidit, iiſdem furiis palàm agitatus, quibus in adornanda Pontifici morte paruerat. Is eo ſupplicio contentus mille mortes meritum ab inſania liberavit; aliàs etiam tantâ in omnes munificentiâ, vt Romanis Aureum conditurus Seculum videretur. Invitatus à Cæſare in Germaniam, eidem morem geſſit; contractóque inter venandum morbo decumbenti ad vltimum vſque ſpiritum adſtitit; precibus etiam

etiam vltimis obſecutus, Henricum filium, à cujus Tutela ad Pontificatum aſcenderat, Aquas deductum in Caroli M. ſolio collocavit, id quoque in parte felicitatis numerans, quòd cujus ipſe Vicarium in *Boico* Principatu egerat, eundem Vicarius Numinis rebus humanis imponeret. Dictavit etiam præcepta regendi, & cereum animum in effigiem Boni Imperatoris artificioſa manu duxit; neque antè ab ejus latere diſceſſit, quàm ſuum *Boicæ* Principem & Proprincipem in ſupremo vtrumque faſtigio Ratisbonæ oſtentâſſet. Romam non attigit, v. Kal. Aug. in Hetruria defunctus. Exuvias Patriæ deſtinatas vnà cum opibus Ravennates intercepere. Petrus Damiani, quo illud ævum nihil doctius nihil ſanctius habuit, Agneti Auguſtæ, quam mox producturi ſumus, Henrici Mariti & Pontificis tam brevi diſtantiæ intervallo funera inter argumenta humanæ inconſtantiæ ingerit, Virum vtrumque *Sanctæ Memoriæ* apellans, quorum occaſum cælum luxerit, *cùm Luna*

(ipſi-

( ipſius verba ſunt ) *ſereniſſimo terram fulgore perfundens, Eclipſin paſſa repentè contabuit, & rutili ſplendoris ſpeculum ignobili non dicam pallore, ſed obſcuritate mutavit.*

AGNES

# AGNES EXAUGUSTA HENRICI III. IMP. CONIVX DVX BOIARIÆ TRIGESIMA SEPTIMA.

*SI* Mater Patriæ *tantùm, non Cæſaris eſſes,*
*Nulla* Alis *fugiant Regna ſubeſſe tua.*
*Sed quæ hodie reliquas commendat gratia Ma-*
*Invidiæ eſt, aliquia parturiiſſe, tibi.* (*tres,*
*Quid poterat ſpondere Orbi, Patriǽ, Tibíque*
*In gravido viſus creſcere ventre Draco?*
*Huic tamen injecta eſt quinquenni Purpura Monſtro,*
*Et per luſtra decem ſanguine pulſa ſitis.*
*Ergo in Cæſareis meruit duo nomina Faſtis;*
*Par huic nemo Annis, nemo Furore fuit.*

NOn facimus Heroibus injuriam, quibus Heroidem hanc jungimus, Sapientiâ & Virtute maſcula ſupparem Viris, ſoláque ſui ſexus felicitate infelicem. Non eſſet, quod de natura quereretur, ſi Mater nunquam fuiſſet. Poſtquam ex Henrico gravida pro homine *Draconem* parturire ſibi viſa eſt, non potuit ſterilibus non invidere; etſi

nato

nato Henrico inter Cæſares Quarto, inter noſtros Principes Octavo, & amabili ejus pueritia impugnante ominoſi horrorem ſomnii, illud quoque inter vſitata noctium ludibria rejectum, damnata credulitate, veriſimile eſt. maximè cùm Victor eum Pontifex vt in ſuo eductum ſinu regióque à ſe imbutum genio ſummæ rerum admoviſſet, nunquam ſine dubio Romanas Aquilas Draconi commiſſurus, ſi ſuis conſentanea ſomnii argumenta in commiſſa fidei ſuæ indole deprehendiſſet. Itaque in meliorem erecta ſpem non modo Ducatum *Bojariæ* A. MLVII. *privato, quoad vellet, jure*, vt loquitur Lambertus, poſſidendum à Filio recepit, ſed ejuſdem ſeptuenni haud majoris confiſa auſpiciis Clavum Imperii moderare mulier auſa eſt, *tanta arte*, ejuſdem Lamberti verba repeto, *periclitantis Reip. ſtatum tutata, vt nihil in eo tumultus, nihil ſimultatis tantæ rei novitas generaret.* Boni publici amore, non prava ambitione hos animos ſumpſiſſe, ex favore Numinis intelligitur, Puerile & Muliebre

bre Imperium præſentanea ope ita provehentis, vt graves factiones complures ætatis ſexúſque contemptu gliſcentes *divinitus ſedatas* Annalibus Auguſtanis perantiquis traditum ſit. Bellorum, quæ *Boici* Vngarique ſanguinis tantum hauſerant, finiendorum molliſſima ratio inventa, repetitóque Henrici S. exemplo, Sophia Filia Salomoni Andreæ R. filio deſponſa, eóque pignore pax ſancita eſt. Ad Filii potentiam ſtabiliendam nobiles illi amicitias vt fulcra circumdedit, & fortiſſimum quemque, vltro largiendis, quibus avara cupiditas inhiat, à rerum novandarum ſtudio ad obſequium Principis inflexit. Ita Rudolphum Rheinfeldenſem filiæ nuptiis, & æquè potenti vinculo Sueviæ Principatu illigavit. Bertholdo Zäringio, quòd ſe jure potiorem videri vel et, lenimentum repulſæ Carantanos objecit; Ottonem Göttingenſem cùm itidem in partes tractum cuperet, ſed deeſſet illecebra, ſuis ipſa ornamentis ſe ſpolians, *Bojariæ* principatu, anno ſexageſimo primo, ei ceſſit,

ma-

malam ſequenti mox anno gratiam relaturo, cùm attractis in ſocietatem conſilii ſummis viris, Annone Colonienſi,& Ecberto Comite, filium Matri vnáqueReip. clavum velut Viris debitum extorſit. Regulus per ſpeciem contemplandæ Navis prolectus in littus, ſimul eam incomitatus ſubiit, remigum alacritate occupatus receptum ad matrem amiſit: ratus ſimul de libertate actum vitáque, ne eam alieno arbitrio perderet, ſuo maluit vti, exiliénſque de navi non enatare ſed perire properabat, iratior Ecberto Comiti, qui è mortis faucibus retraxit invitum, quàm fluctibus, qui jam hauſerant nihil obluctantem. Coloniæ denique innoxium conſilium approbavit, gratéſque habuit fortibus viris, qui ſub larva ſervitutis ſuæ libertati conſuluiſſent, raptúmque è Gynæceo virilis majeſtatis admonuiſſent. Auguſta inſignem injuriam generoſo contemptu vlta, cœpit etiam reliqua odiſſe, quæ humanos animos ſpe metúque verſant, & fortunæ invidiæque obnoxia nunquam bona fide poſſidentur.

Itaque facinus aggreſſa omni ævo laudem habiturum, etſi imitari pigebit. *Mutavit coronam velo*, Petri Damiani verba audis, *Purpuram ſacco, & manus, quæ in modum Columnæ geſtare conſueverant ſceptrum, portando Pſalterio attrivit; equóque, qui vix menſuram deſidis Aſelli excederet, vecta Romam*, eam rigidæ ſanctitatis exemplis, an miraculis? implevit: quæ vt poſteritas quoque intelligeret, diſertiſſimo calamo ſanctiſſimi Viri Petri Damiani depicta ſuperſunt, cui illa *per Lugubres gemitus & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquennis infantia tenera adhuc & nuper ablactata levitate, quidquid ſubtile vel minutum in humanitatis potuit titillare viſceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum, fidelibus relationibus evoluet.* Aurea interim ætas, quam, Imperatrice in Ordinem redacta, Viri ſibi ſpoponderant, planè in Ferream deſiit. Pacem cæteráque Reipublicæ Bona cum *Agnete* voluntarium ſibi conſciviſſe exilium diceres. approbata pariter nocturni oſten-

ti

ti veritas; credidítque jam non ſomnio; ſed miſerrimis convicta argumentis Mater, *Draconem* ſe in perniciem orbis terrarum genuiſſe. Nihil illi eſſe tanti debuit, vt hoc monſtrum ſponte reviſeret. Semel tamen iterúmque, cùm inter vltima miſeriarum remedia Matris Patrocinium imploraretur, Rempublicam privatis commodis antepoſuit, & cicurandæ belluæ ex ſe genitæ non omnino inutilem operam impendit. Diſceſſum ejus quantumvis rediturae, ſi quid Damiano credimus, non Roma modò, ſed tota lamentata eſt Italia; quòd ſola illa *velut aureum ſidus terrena quærentium illuſtraret caliginem, atque Deum provocans micantis exempli ſequentibus ſe claritatem refunderet.* Damianus ipſe ſeveriſſimi moris vir vecordiæ ſeipſum accuſavit, quod *rutilantem cæli gemmam de Capite Mundi Roma* ad qualecunque tempus *avelli paſſus eſſet.* Reducem certè non vidit, eodem anno menſe Februario rebus humanis exemptus; ſepulchrum tamen *Agneti* prius ad D. Petri metatus; *Illic*,

inquiens, *cum Petronilla ſimul te habere libeat ſepulchrum; ut inſignis ille Pater geminam juxta ſe Carnis videlicet ac Spiritus gaudeat requieſcere Filiam. Agnes* eo titulo ſupra mortales omnes, quos vnquam tulit, delectata, A. MLXXVII. recepta cælo expertáque eſt, quanto pluris ſit *Filiam* eſſe *Piſcatoris*, quàm *Conjugem & Matrem Imperatoris.*






BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

# OTTO II. GÖTTINGENSIS SAXO DVX BOIARIÆ TRIGESIMVS OCTAVVS.

*ALcidæ in totã manus unica ſufficit Hydrã;*
*Auxiliũ dextra fert,* Otho,*læva tua.*
*Vnum omnes vires iráſque abſumis in ictum;*
*Et tamen Alciden te quoque Saxo vocat.*
*Certè aliquid Monſtri natũ feralius Hydrâ eſt,*
*Cujus in exitium vis geminata ruit.*
*Fallor? an* Invidiam *tanto petis impete, Famæ*
*Quæ fuit & titulis ſemper iniqua tuis?*
*Digna quidẽ exitio, & dudũ matura: ſed illud*
*Afferre armata non didicere manus.*
*Heu mihi! non uno mala Bellua gaudet Aſylo;*
*Invidiæ hoſpitium qualibet Aula dabit.*
*Delator linguam, Rex illi commodat aurem;*
*Auréſne an linguas iſta Machæra petet?*
*Quid facies oculis? etiam his te lividus uret,*
*Integra donec erit Fama, vel Area tibi.*

ARma, *Virumque* iiſdem per omnem vitam exercitum damus. *Otto* Göttingenſis eſt Agnetis Exauguſtæ judicio ad Principatum *Bojariæ* ſubve-

ctus. eum vt Virtuti non Gratiæ datum, oſtenderet, nihil ſe Mulieri, omnia Patriæ debere credidit; cujus cùm intereſſe putaret, Regem Puerum ſub virili Tutela adoleſcere, primus ejus Matri eripiendi autor fuit, ſpecioſiore quàm feliciore conſilio. Regulus Innocentiam in Gynæceo ſartam tectam, inter Viros perdidit. Adelbertus Bremenſis Antiſtes eam propinatis voluptatibus ſuffocaſſe creditur; idem qui etiam *Ottonis* fortunas per inconceſſas illecebras evertit; cùm Altahenſis Cœnobii ineſcatum opibus Auri Sacri & verè Tholoſani contagione deuſſit. Fama ad eum vſque diem intacta prima flammam concepit. domi malè adminiſtratę Reip., foris concitati belli, & paulò pòſt inſidiarum in caput Cæſaris inſimulatus eſt. Egino impuriſſimus Nebulo conſcientiam & miniſterium ſceleris confeſſus, ſicam adeò, qua in Cæſarem armatus videri voluit, ventilabat in *Ottonis* infamiam, duello convicturus inficiatorem, Henricus, qui non *Otthonem* modò, ſed quidquid vſ-

piam

piam virorum erat fortium, everſum vellet, indicium avidè arripuit & *Ottonem* in Arena & Circo diluere objecta juſſit, haudquaquam detrectaturum infamem aleam, ſi fide publica vocaretur. Commeatu non impetrato, noluit in macellum devota cultro hoſtia proficiſci. Itaque velut convicti bona publicata; ipſe *H*oſtis Reipub. declaratus. Templa adeò Aræque impio odio everſa, quæ *Ottonis* ſumptu creverant. Clientelæ ejus eâdem cum Patrono flammâ involutæ, nec infantiæ, nec imbelli ſexui parſura. Ea iniquitas etiam *Ottonem* armavit; cúmque ſubrogatum ſibi in Principatu Welfonem ex Genero *H*oſtem intelligeret, in *H*aſengunenſem montem omnia juſto neceſſaria bello comportavit. Parato ad decernendum Eberhardus Comes Ellenburgius arma detraxit, & ad tentandam Cæſaris manſuetudinem amplisſimis promiſſis perduxit. iis *Otto* irretitus facilitatis ſuæ pœnas, libertate perdita, dedit, acquieſcens nihilomninus in æquitate Numinis tres infortunii

ſui Architectos eodem ferè tempore in jus rapientis. ex quibus Lupoldus Mersburgius in gladium, qui nuper *Ottonis* fuerat, incubuit. Adalbertus Bremenſis ſicca morte, ſed plaudente Germania, extinctus. Egino catenis oneratus, effoſſis oculis, ſceleratam animam ſtipe ſuſtentavit. In Henricum tota Saxonum natio conjuravit. ſæpius ad manus ventum, tantúmque Germanici ſanguinis fuſum, quantum non modò Regiæ iræ, ſed nulli omnino cauſæ fuit impendendum. Enituit omnibus præliis *Ottonis* Virtus; vt primo, quod ad Vnſtrutum flumen geſtum eſt, ſatis conſtet, illius potiſſimùm manu Suevorum *Bojorúmque* juſtos exercitus retroactos, tantámque cladem acceptam, vt de ea *Bojos* multò antè Deus per B. Wilhelmum Windbergenſem Anachoretem duxerit admonendos, ſi fortè triſte oraculum in ſua fata ruentibus pro freno eſſet. Paulò poſt cùm Saxones, Henrico è ſuis finibus cum ſummo dedecore Ratisbonam rejecto, perſuaſi à ſummis viris,

ſeſe

ſeſe dedidiſſent, *Otto* iterum adverſus datam fidem Libertate & propè Vitâ excidit, ipſam Natalis Chriſtiani noctem ſuo cruentaturus ſanguine, niſi paratam ab innoxio capite perniciem ſua manu depuliſſet. Abreptus alieniſſimo tempore à quatuor ſtipatoribus in devium nemus, mortiſque certus, locum ſcilicet tempúſque ad vltimas preces expetiit, cùm neutrum impetraſſet, proptèr incurioſiùs aſtantis enſem corripit, eóque vultu, quo armatis occurrere Legionibus eſt ſolitus, latrocinii miniſtros diſſipat, rectáque non jam virium ſed innocentiæ fiduciâ in Regiam regreſſus, attonitum facti admiratione Regem ad pœnitentiam ſævitiæ ſed mox reſumendæ adducit. Ea etiam Welfonis à Rege animum abalienaverat, junxerátque partibus Ottonianis, *Ottone* ipſo non recuſante integrationem amicitiæ tantâ injuriâ ruptæ, & ruente in Welfonis amplexum, qui illi Principatum eripuerat, Filiámque exturbatam Matrimonio remiſerat; Rudolphum Rheinfeldenſem,

qui repudiatum ab *Ottone* regium nomen adverſus Henricum ſumpſerat, nihilo minore fide juvit, cúmque inſtructâ ad Strowam flumen acie, alterum cornu duceret, invocato teſſeræ vicem D. Petri nomine, hoſtem pro victore ſe ferentem non tantùm ſuſtinuit, ſed toto campo profligavit, tantâ ex eo nominis famâ, vt ipſius ſigna velut invicta evitare curæ fuerit mortem fugientibus, inutili ferè induſtriâ, cùm *Otto* vbique adeſſet, eúmque ſuum locum crederet, in quo plurimum erat periculi & laboris. Ita quarto, quod ad Elſtram commiſſum eſt, prælio Victoriam ingeminantibus ſuperveniens, momento omnia reſtituit, & intempeſtivos Triumphatores flumine ſepelivit: alterum deinde agmen itidem felicitati ſuæ gratulantium aſſecutus, illud quoque carmen fulminante gladio in leſſum vertit; domitâ pariter Henrici ferociâ, vt pacem vltro, æmulo Rudolpho jam extincto, peteret; etſi eam *Otto* cum Pontificis & Eccleſiæ incommodo conjunctam in publico gentis

tis concilio tantâ eſt conſtantiâ deteſtatus, ipſi vt Henricianæ factionis ſatellites dicenti applauderent; alium enim Pietatis ſuæ & incomparabilis fortitudinis fructum non tulit, ante fœdiſſimæ tempeſtatis finem, Anno MLXXXIII. extinctus. Crus lapſu equi quaſſatum mortem Viro ſui ſeculi animoſiſſimo & planè Saxonum Herculi acceleravit, commiſſo cum multo diriore bellua, quàm *Hydra* fuit; ſive *Henricum* Matris ſomnium ſecuti iterum *Draconis* nomine traducimus; ſive infeſtam ejus Innocentiæ Invidiam deſigimus, quam prior etiam *Hercules*,

*Poſtquam fatali portenta Labore ſubegit,*
*Comperit -- -- -- ſupremo fine domari.*

WEF-

# WELFO PRIMUS ALIAS QVARTVS DVX BOIARIÆ TRIGESIMUS NONVS.

*Rara Avis eſt Pietas. ſed qui illam in Milite*
*Phœnicem viſum credidit eſſe ſibi.* (*vidit,*
Welfo *ſuo abſterſit probrū cognomine;* Welſo
*Teſſera pugnantum pro Pietate fuit.*
*Ipsáque Romanas Aquilas cùm Roma timeret,*
Guelfa *Gibellinas Factio fregit opes.*
*Conſtantine, Tuos renovavit* Welfo *Trium-*
*Vicit adoratâ fretus uterq;* Cruce. (*phos;*
*Quódque meus reliquis præponit* Welfo *tro-*
*Clauſit adorata vota ſuprema* Cruce. (*phæis,*
*Hac ſibi congeſſit moriturus Cinnama Phœnix;*
*Hoc arſit Pietas concalefacta Rogo.*
*Sed ne quis dubitet redivivum dicere, quanto*
*Altiùs à tumulo Poſthuma Fama volat?*

ETiam Svevia videri vult *Boica* Duces dediſſe. Vulgus certè illi, quos jam producimus *Welfones* aſſerit, cùm Theganus, qui ejus gentis antiquiſſimum Ludovici Pij Imp. Socerum per ætatem noſſe potuit, *Nobiliſſima ſtirpe* BOIORUM

*ortum*


WELFO I. DVX BOIARIÆ XXXIX MORT. A. MCI
DVM MORIOR ORIO



*ortum* ſcripſerit; Marianus etiam *Bojorum* Ducem apellârit. Quem hîc damus, *Welfonibus* non niſi materno jure inſertus Azonem Eſtenſem Patrem, Italiam Patriam habuit, minùs vt mirere, ad Principatum non Germanicis artibus graſſatum eſſe; dúmque Ottonis per injuriam exauthorati loco imminet, affinitatem ei, remiſsâ Filiâ, renunciâſſe, & ęmulos auro ſubmoviſſe; *cunctis deteſtantibus*, Lamberti verba repeto, *quòd clariſſimam atque opinatiſſimam in Repub. dignitatem tam fœda ambitione polluiſſet.* Sed neque operam *Henrico* iniquiſſimis bellis navatam, laudaverim, vt ab ipſomet damnatam, ſimul ac inviſam Superis improbatámque Pontifici agnovit; quo tempore etiam cum Ottone in gratiam reverſus ſimultates oſculo finivit, nihil veritus tranſitione ad meliores *Henrici* in ſe furorem acuere, & capite pariter fortuníſque periclitari; cùm & avitas in Svevia poſſeſſiones ejus Cæſar militi in prædam objiceret, & *Boicam* ferè omnem ab eo abalienaret; donec optimus quiſ-

que

que ſanguinario ejus ingenio offenſus, *Welſoni* reconciliatus, & Cæſar cum copiis è Provincia eſt ejectus. Non vulnerata tantùm eo tempore, ſed diſſecta in partes ægrè ſpirabat ſub duplici capite Religio; feruebant, obtentu Pietatis, impia bella, victis Fortunas, Victoribus ferè Innocentiam ereptura, emicante nihilominus in illo velut Æqui Boníque Juſtitio *Welſonis* ſacro ardore; qui erecta in Caſtris ingenti *Cruce*, cùm reverentiæ causâ pedeſtrem totum exercitum feciſſet, illum *Crucifixo* denuo authoratum à Triumphalis Signi adoratione publica, in Henricianos, eodem, quo Conſtantinus, pignore de Victoria certus eduxit; iratus nihilominus infelicitati temporum, quòd attritâ Bellis Civilibus Ætate, ſinceræ Gloriæ fructus legere ſibi nondum licuiſſet; cùm interim Godefridi Bulionii ſociorúmque Heroum Triumphi toto orbe cantarentur. Iis excitatus ſacrum ipſe quoque Claſſicum, Anno ſeculari MC. cum Wilhelmo Pictavorum Comite cecinit,

tan-

tantâ piorum lubentiâ, ſatis vt conſtet; vtrumque Ducem ſub Chriſti ſigna centum & ſexaginta hominum millia coëgiſſe. Generoſo impetu ruentes in hoſtes *Crucis*, Græca fides cum Turcica immanitate certans in exitium, nullo facinore memorabili edito, præcipitavit. Adrianopoli à Bulgaris injuriarum initium factum, quæ Conſtantinopoli fallacis neque duraturæ benevolentiæ fuco oblitæ, mox iterum nuda in miſeros fronte incurrerunt. Navigaturis Alexius Orientis Imperator mare; terrâ profecturis omnia itinera intuta reddidit, Turcis in eos, Canibus ſcilicet, quemadmodum impius dicebat, in Canes concitatis. Iniquiſſimè comparata concertatio fuit; vt per omnes mortis imagines jactatis acerbius eſſet vivere, quàm perire, ſtarétque Barbaris, non niſi excarnificatos occidere. Quatuor Gentis Duces, infinita hominum multitudine prætexentes adverſum viatoribus littus, aquatione ſitibundos prohibebant, cujus præterquam ex eo flumi-

ne

ne nulla copia. Maceratis aſpectu aquæ extabeſcendum, vel propinandus invicem ſanguis fuit. Illud tormentum deſperantium ordines ſolvit; diſſipatis mors tamen incubuit, & pecorum ritu ſtravit palantes. *Welſo* magnitudine animi ſeipſum ſuſtentans, loricam omniáque Fortunæ inſignia pretioſa impedimenta projecit, & Antiochiam denique cunctis ignorabilis perreptavit. Reliquiarum, ex tot hominum millibus, diu moratus vix quidquam collegit. Itaque militares curæ Pietati ceſſere, cæteríſque extinctis, Hieroſolymæ adorandæ deſiderium vehementius exarſit. Ejus compos factus, & ærumnis ſuis ignovit, & jacturas contempſit, rerúmque humanarum faſtidio feliciter laborans in reditu interceptus eſt. Deceſſit Paphi in Cypro. *Hæredes* exhumatum Weingartenſi Cœnobio intulere. Id *Welfoni* incrementa ſua; Raittenbuchenſe initia; viciſſim iis *Welfo* optimam vitæ clauſulam debet; vt tamen beatior Thyemonis Saliſburgenſis Antiſtitis exitus

tus fuerit, qui vnà profectus, in regione Corizana à Saracenis exceptus, Jacobi intercisi ſupplicium fruſtillatim cęſus exantlavit, ſinguláque Deo membra adnumerans, non niſi extracto poſt inteſtina corde, voluit coronari.

# WELFO II. WELFONIS I. FILIVS DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMUS.

*ÆNeam potiùs te*, Welfo, *an Atlanta vocemus?*
*Patrem & Cœlum humeri ſustinuere tui.*
*Schiſmate diffiſſa Cœli tremuere Columnæ;*
*Sed ſuffulta tuâ eſt fœda ruina Fide.*
*Exarſit Face Perfidiæ non Troja, ſed Orbis;*
*Communem ambuſſit noxia flamma* Patrē.
*Ambuſſit tantum? Captum luxere Quirites;*
*Sed quis opem præter te, Pie* Welfo, *tulit?*
*Sit laus ſumma Ducū, quo dicit Patria Patres;*
*Tu* Patris & Patriæ *dicerū eſſe* Pater.

PArva dictu res *Welfonem* Filium ſupra Patrem extulit. Cùm vterque in tempora virtuti iniquiſſima incidiſſet, ſæpe illorum accuſatione Pater excuſandus eſt; Filius illud aſylum aſpernatus, Famæ ſæpe, ſemper Conſcientiæ, nunquam Tempori ſervivit. Eam in nobiliſſimo Juvene indolem Vrbanus II. Pontifex deprehendiſſe cenſendus eſt, cùm


WELFO II. DVX BOIAR: XL. MORT. A. MCXX.
PATRI ET PATRIÆ



cùm Mathildem Marchionis Bonifacii Filiam latè per Italiam dominantem & *omnibus, quæ Mortales prima ducunt, ſupra cæteros Terræ illius Principes* (Lambertum audis) *abundantem* illi non ambienti collocavit, vt Munificentiſſimæ Heroidis opibus, & Fortiſſimi Herois viribus cauſa Pontificia adverſus Cæſarem fulciretur. *Welfo* invidiæ pariter gratiæque contemptor non modò conditionem acceptavit, ſed Conrado inſuper Cæſaris Henrici Filio à Patre profugo hoſpitium præbuit, eundémque ad capeſſendam Italiæ Coronam animavit, non tam rependendæ Pontifici gratiæ ſtudio, quàm quòd id ex vſu Reipub. cenſeret, & cujus illi nomen ſacroſanctum ſemper fuit, Religionis. Suis enim privatim commodis velificatum non eſſe, id documento fuit, quòd neque facto intra ſextum annum cum Mathilde divortio, Cæſaris amicitiam vtcunque rebus ſuis neceſſariam ambiit, ſed quantum ſalvâ Patris reverentiâ licuit, hoſti Eccleſiæ eſt adverſatus. Principatu *Bojariæ* A. MCII.

 po-

potitus, Henrico itidem Cæſaris Filio, in Patris impietatem armato, junxit ſe inter primos, & neceſſarium magis quàm plauſibile remedium, quo Imperii Vlcus ſi non ſanatum, at certè ruptum eſt, approbavit. In Adalbertum etiam Tirolium Dynaſtam, qui Cæſari exauthorato gratificatus, Legatos publico nomine ad Pontificem profectos violârat, & in vincula conjecerat, exempla luculenta edidit, exciſiſque, quarum fiduciâ peccaverat, arcibus, reum excalceatum ad Legatorum pedes adduxit. Cùm deinde Henricus Cæſar ſpem Chriſtiani orbis fruſtratus, Patri quàm ſibi ſimilior, fœdiùs etiam quàm ille exerraret, & ob ſacrarum dignitatum Nundinationem cum Paſchali Pontifice colliſus, eundem in poteſtatem adductum traheret captivum, & è ſacris Præſulibus præter Salisburgenſem Antiſtitem inviſum ante illum diem nefas nemo palàm abominaretur, multi etiam defenderent; nobilitas autem regia muſſitatam ab Epiſcopis injuriam multò minùs ad ſe pertinere

nere arbitraretur, vnus omnium *Welſo* ignavam extremi ſceleris patientiam, tutúmque ſervili ſilentio probrum deteſtatus, plenum pietatis exaggeratúmque Religionis ſtudio pectus cordatiſſima oratione in regias aures effudit, quódque vnum potuit, illum publicæ Infamiæ triumphum, non tempori ſed candori ſuo obſecutus, egregiis vocibus interpellavit, plus gloriæ eo ſacroſanctæ poteſtatis Patrocinio, quàm accumulandis manu laureis adeptus; quanquam etiam harum, bellis Italicis adverſus avitarum poſſeſſionum incubatores geſtis, ſatis ſupérque ei partum eſt. Sed Pacis artibus excelluit. Severitatem abditam, Clementiam in procinctu ferre, ſempérque Patrem miſcere cum Principe ſolitus, & leni imperio libentiùs amorem collecturum, quàm metum; profeſſus eâ curâ, intelligere ſe, cur Serenitas proprium Cæli Soliſque decus in nomina Principum tranſierit. Idem Genius omnem ejus Regiam pervaſerat imbuerátque iiſdem moribus,

 qui

qui in Principe amabantur. Viridarium Elegantiæ Aula ejus fuit, in quo Nobilitatis Germanicæ flos genuino ſucco aleretur ad maturitatem Heroicæ Virtutis; vt hîc quidem temperaturus convitio fuerit, qui ſcribere auſus eſt,

*exeat Aula*

*Qui vult eſſe Pius.*

Deceſſit Kauffringæ ad Lycum, Anno MCXX. contentus hæredes aſpicere ſuarum Virtutum Noſtros Principes, & in Auguſtiore illorum Regia Majorem Innocentiam.

HEN-




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# HENRICVS IX. WELFONIS PRIMI F. SECVNDI FR. DUX BOIARIÆ QVADRAGESIMUS PRIMVS.

*QVid tibi poſt Patris laudes, Fratriſq; relictum eſt?*
*Quod tua, quò creſcat, Gloria carpet Iter?*
*An quò te Exuvias poſiturus provocat Anguis,*
*Heroum proprio ſidera calle petes?*
*Non fallor. neq; ſolus abis. ſua ſigna ſequentē*
Bernardus *Natum*; *Te* Benedictus *habet.*
*Non te illi ſortis junxit violentia, cujus*
*De ſola poteras proſperitate queri.*
*Tanto illi minùs auſurus confidere, quanto*
*Majores cornu divite fudit opes.* (*fœno;*
*Nempe Bovem fugimus, cui turgent cornua*
*Fortunam, ſua cùm Cornua farſit, ames?*

QVod nomen in Exordiis tuis reperimus, *Maximiliane Emanuel*, id *Henrico* Welfonis fratri temporum felicitas contulit, vt ſalutari *Princeps Pacis* poſſet. Perdiderat hoc tantum Bonum, benè exacto ſub duobus Henricis Ferreo Seculo, Germania. Pauculi ſenes, iique




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# HENRICVS IX. WELFONIS PRIMI F. SECVNDI FR. DUX BOIARIÆ QVADRAGESIMUS PRIMVS.

*QVid tibi poſt Patris laudes, Fratriſq; relictum eſt?*
*Quod tua, quò creſcat, Gloria carpet Iter?*
*An quò te Exuvias poſiturus provocat Anguis,*
*Heroum proprio ſidera calle petes?*
*Non fallor. neq; ſolus abis. ſua ſigna ſequentē*
Bernardus *Natum*; *Te* Benedictus *habet.*
*Non te illi ſortis junxit violentia, cujus*
*De ſola poteras proſperitate queri.*
*Tanto illi minùs auſurus confidere, quanto*
*Majores cornu divite fudit opes. (fœno;*
*Nempe Bovem fugimus, cui turgent cornua*
*Fortunam, ſua cùm Cornua farſit, ames?*

QVod nomen in Exordiis tuis reperimus, *Maximiliane Emanuel*, id *Henrico* Welfonis fratri temporum felicitas contulit, vt ſalutari *Princeps Pacis* poſſet. Perdiderat hoc tantum Bonum, benè exacto ſub duobus Henricis Ferreo Seculo, Germania. Pauculi ſenes, iique

ferè capulares, annos ſuos à Bellorum Civilium initio computabant, neque meminerant, quis patriæ pacatæ olim vultus fuiſſet; quò ſerenior denique ille annus, ille dies fuit, qui Guſtum Pacis inexpertis crudúmque ſanguinem ructantibus ex tanto intervallo renovavit. *Henricus* hinc ferè Principatum auſpicatus, cæleſte Donum in *Bojaria* publicavit, comitiis eâ vnâ gratiâ Ratisbonæ ad Kal. Nov. Anno MCXXI. indictis, vt ipſo Principe & Othone Babenbergenſi viro ſancto præconium facientibus, communis felicitas totam patriam inundaret. Concordiâ in terras reductâ, exules etiam Virtutes, quæ inter bella ſtationem ægrè tuentur, reverti auſæ, ſacris præſertim domiciliis cum triumpho immigrarunt. Salisburgi ſummæ Ædis Canonici in D. Auguſtini leges jurarunt. Cœnobia, quotquot per totam Provinciam ſparſa ſunt, ad primævam ſanctitatem revocata, duobus duntaxat Cenſuram repudiantibus. E prima nobilitate plurimi, rebus humanis abdicatis, ſanctiori

ri militiæ nomen dedere, *Henrici* Ducis Filio Conrado anteſignano: cujus capiti cùm jam Infulæ imminerent, ille tutius iter eodem tempore à D. *Bernardo* Deum amantibus apertum maximo animo ingreſſus, primus, de quo conſtet, è *Boica* Juventute Claravallenſe Mel guſtavit, ærumnarum nihilominus ſitiens, quarum vni illi nemo ſatis propinavit. Itaque eas peregre quæſivit, peragratáque Palæſtinâ, corpus montibus, animum cœlo affixit ſui ipſius tortor. Exhauſtis per voluntaria ſupplicia viribus, de reditu cogitantem Barii in Apulia beata mors cælo tranſmiſit. Exempli pulchritudo, non niſi Virtutem intelligentibus probandi, patrem ad æmulationem accendit, vt devexa ætate ſua Fortunæ munera remitteret, nullâ ab ea injuriâ affectus, & haud dubiè fortunatiſſimus ſuorum Majorum. Itaque à ſeipſo exauthoratus Monachum induit, anno Principatus quinto, vxore Wulfhilde Magni Saxoniæ Ducis Filia etiamnum ſuperſtite, quáque licuit ve-

 ſtigia

ſtigia Viri premente in ſtadio Virtutum:
ſedecim diebus ſeriùs ad Metam venit,
cùm cœlum ſubeunti Maritus jam
coronatus, non ſine Filio,
occurreret.

HEN-






BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

# HENRICVS X. SVPERBVS HENRICI IX. F. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMVS SECUNDUS.

VVElfonum *Soboles, nomen ſortite* Superbi,
*Va tibi! ſi mores id meruere tui.*
*Si ſupra Rhodium turges inflate Coloſſum,*
*Quòd gemino vibras ſceptra timenda Mari;*
*Si numeras ventos, qui per tua regna jubentur*
*Ferre Codano hyemes, & tibi Thuſce roſas.*
*Si quocunque alio ſurgit tibi nomine criſta,*
*Et* Pavo *inferior reſpuis ire Tuo.*
*Tarquinij te fata manent, causámque ruinæ*
*Una ſcribemus voce,* Superbe laces.

MOdeſtiſſimo Principi, mira rerum converſione, Superbus Hæres ſucceſſit, ille ipſe, qui Patrem ſuum Fratrémque de Faſtu triumphantes jam jam nobiſcum in cilicio ſpectavit, plausúmque, qui iis datus eſt, audivit, quantum Glorię Mancipia ludis ſuis nunquam collegerunt. Eos *Henricus* à Nuptialibus Pompis auſpicatus, illa-

rum

rum inſolentiâ primùm in ora hominum venit. Offenſus Vrbium anguſtiâ, Lycates campos extemporali ſcena & ſubdialibus tentoriis implevit, exemplo ante illum diem fortaſſe nunquam viſo, & nomen *Superbi* captanti ſanè appoſito. Fortem manum Lothario Cæſari, à quo Gener lectus fuerat, pluribus bellis approbavit. Spiram certè Friderico & Conrado Sveviç Ducibus, quæque cum Viris magnitudine animi certabat, Judithæ Sorori ſuæ, Friderici Vxori extorſit, magnâ facti gloriâ, niſi eam mox perfidia libâſſet, fędius Superbiâ malum; quando Friderico receptum ad Cæſaris gratiam pollicitus, in Zwifaltenſi Cœnobio inſidiarum ſecuro ſicarios immiſit; è quorum manibus Fridericus pręſenti ope Numinis in ſummam elapſus turrim, ex illa ſpecula *Henrico* flagitium animoſiſſima oratione exprobravit, hortator nihilominus ad fugam factus, niſi à ſuis paſſim confluentibus opprimi vellet. Hoſtili ad hunc modum fide ſervatus paulò pòſt etiam

ſer-

ſervili mortem effugit. Wolffratshuſium arcem prætervectus, agnitúſque à loci Dynaſta, cujus ſanguini nominíque erat iniquior, perierat ſcilicet, niſi equiſo mutatis raptim inſignibus equíſque, Principi in calonem transformato iter explicuiſſet ad fugã, ſub larva herili nobilem mortem oppetiturus. Anni Trigeſimi ſexti ſeptimíque ſupra Milleſimum Centeſimũ Faſtos *Henricus* egregiis factis implevit. Lotharium in Italiam ſecutus, cum mille quingentis fortiſſimis viris, eam operam Cæſari, eam Pontifici præſtitit, vt duo Chriſtiani orbis capita ex æquo ſibi haberet obnoxia, raram factioſo ęvo occaſionem nactus, oſtentandæ fortitudinis ſine injuria Innocentiæ. Præmia laudatæ militiæ non cepit maximi animi capacitas. Tituli magno numero, provinciæque in vnum hominem confluentes generoſos ſpiritus inflarunt. Ad *Bojariæ* principatum, & avitas in Svevia poſſeſſiones, Cęſar Saxoniam adjecerat: Hetturiam eidem magnámque Italiæ partem jure fiducia-

duciario commiſerat, vt quidquid inter mare inferum ſuperúmque & Oceanum Germanicum ſinúmque Codánum intercipitur, poteſtate conjungens, his limitibus ventorúmque regionibus imperium ſuum definiret, & jam proximus Divis, verbis vix homini convenientibus abuſus diceret: ſe *Dominari à Mari uſque ad Mare.* Lotharius Auguſto duntaxat nomine ſuperior, hoc quoque ei deſtinabat, Imperii inſignibus pignoris loco ſub mortem apud illum depoſitis; nihil vt dubitârit *Henricus*, ſuffragatores tam illuſtre præjudicium ſecuturos. Fraudi ei fuit nimia ſecuritas, novum argumentum faſtûs velut ſeipſum inaugurantis. Ita in ipſis Comitiis nulla ejus, ne ad ſuffragium quidem ferendum, habita eſt ratio, & Conradus quantumvis de injuria expoſtulanti antelatus. Proinde Bambergam ab eo evocatus Imperantis auctoritatem non agnovit. Ratisbonæ jam mitior inſignia reddidit. Promiſſa viciſſim exigenti nihil præter verba & ſpecioſiores, quàm quæ-

ſtuo-

ſtuoſiores ſpes repoſitum; vt noſter cavillationum impatiens, ad Jus vel Gladium provocârit, non minùs manu promptus, quàm ore liber. Conradus cùm ab vtraque diſceptatione abhorreret, aſſidentem cum copiis Lyco Henricum vitabundus clàm Auguſtâ ſe proripuit, & Herbipoli proſcriptum Goslariæ vtroque Principatu ſpoliavit. Cauſas in præcipiti Cæſaris facto cùm Boni nullas reperirent, eas è rationibus æternis mutuati, DEVM Vindicem humani Faſtûs adorarunt; etſi eum *Henricus* tum quidem poſuiſſe videri poteſt, Cæſarem non modò Clementiæ admonens, ſed Miſericordiam etiam, cui Superbia non niſi detumeſcens ſupplicat, reorum more nequicquam implorans. Cæſaris irâ ſuiſque oppreſſum fatis etiam *Boÿ* deſeruere; adeò à Fortunæ vultu pendet hominum fides. Ad ſublevandum proſtratum non plures quaternis, quis credat? accurrêre; hic comitatus in Saxoniam refugientis fuit. Eam Albertus Conſobrinus ejus voluntate Cæſaris jam

ſuam

ſuam fecerat, nihilo vt plus ſpei opiſq; illic reperturus fuerit, niſi vultū præſenti calamitati convenientem ſumpſiſſet. At enim ea dignitate Virum prenſantem populi ſtudia, perorantem pro Filio trimulo, & pupilli Innocentis ſalutem ſummis infimiſque ſine diſcrimine commendantem, mirum non eſt, apud animos humanitatis nondum expertes ingentes motus excitâſſe. Talem ſupplicem nemo antehac vidit; nemo tunc ſprevit. *Boÿ* adeò contacti calamitoſi Principis miſeratione, prioris officii negligentiam inſigni humanitate penſârunt; variis itineribus, ſub peregrinantium habitu inobſervabiles ad eum profecti. Idem Svevi factitârunt, vt brevi confidere copiis, explicare ſigna, & Albertum adoriri auſus, totâ eum Provinciâ exegerit, fruſtra reſtituendi ejus curam in ſe recipiente Cæſare, primíſque aggreſſionibus experto, faciliùs longè proſcribi Virum fortem quàm debellari, niſi Armis non minùs quàm Jure

in-

invictum venenum in ejus Regia propinatum ſuſtuliſſet. Hic exitus fabulæ *Superbi* fuit. Nam de vi Toxici nihil eſt neceſſe quærere. Intumuit ſcilicet; ſed cum jam *Detumuiſſet*.

# LEOPOLDVS AUSTRIÆ MARCHIO LEOPOLDI S. F. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMUS TERTIUS.

NEc *Virtute tua factũ eſt*, Leopolde, *nec Enſe*,
Boja *quòd* Auſtricas *Parma recepit* Aves.
*Agnoſco meritum Genitoris; ab illius* Vrna *eſt*,
*Qui tibi, quiq; tuis Fratribus inſtat honor.*
Vrna *rigat natos rerum in faſtigia Flores;*
Vrna *hac Pontifices, hac facit* Vrna *Duces.*
*Sic Patris affuſo creſcunt Patrimonia ſucco;*
*Et clam Regales ſpargit* Aqualis *opes.*
*Nunc alio vivunt Regum Plantaria Nymbo;*
*Creſcere qua cupiunt Regna, Cruore rigant.*
*O miſeros! en tota natant jam Regna Cruore;*
*Nemo tamen meminit Regna virere minùs.*
*Siſtite diluvium; cataractas claudite Martis;*
*Et* Lepoldinas Vrna *refundat Aquas.*

HEnrico Superbiæ ſuæ, ſive alienæ Invidiæ pœnas perſolvente, *Auſtriaci Marchiones* à Præfectura *Bojariæ* limitanea ad Principatum aſcenderunt. Favor & Vis juri prævaluere, &

*Leo-*




BIBLIOTECA NAZ.
NAPOLI



*Leopoldum* Leopoldi S. Filium Conradi Cæſaris ex Matre Fratrem A. MCXXXIX. inaugurârunt. Auſpicia ne Frater quidem *Leopoldi* Otho Friſingenſis Epiſcopus probavit, recenti adhuc re ſcribere auſus, *exhinc Provinciam multis malis ſubjacere cœpiſſe.* Procerum aliis ſponte, aliis metu ad obſequium adductis, Ratisbona in poteſtatem venit. Viciniora Lyco Welfonum clientelis tenebantur. Phaleiæ Comites Otto & Conradus, quos Patronorum ne adverſis quidem eorundem rebus pœnitebat, bello appetiti. Welfo Henrici frater obſeſſis non defuit, & *Leopoldum* cum clade ab obſidione rejecit, vir animi ingens & in gratiam Pontificis etiam cum Cæſare colliſus, à quo cùm Winſpergæ obſideretur, & tentata infeliciter eruptione ad vltima conſilia ventum eſſet, Fœminæ liberum ſibi pro virium modulo ſarcinatis abitum pactæ, ſuos ſingulæ Maritos humeris extulere, collaudante Pietatem Cæſare, etſi Viri, ſnque iis Welfo, arbitrio Victoris ſubducebantur, & hic qui-

dem ipſis cladibus erigi viſus neque tum de ſpe recuperandi Principatûs dejectus eſt. Favit votis ejus ab Ottone Witelſpachio Palatino *Bojariæ* in *Leopoldi* Ratisbonæ jus dicentis caput concitata ſeditio, ægrè evaſuri furentis populi manus, niſi ferro ſtrenuè vſus, & jactis in tecta facibus, per ardentem vrbem viam ſibi vi feciſſet. Miſer eſt Princeps, qui imperat invitis; quem inermem nemo amat, pauci timent, arma exoſum faciunt. Quid ſperaret *Lepoldus*, qui tam fugam ſuam, quàm reditum beneficia gladii ſui agnovit? cui fidem nemo dedit, niſi coactus, & velut iturus ſub jugum? præſertim cùm magno redimenda reducis ira, & conferendum viritim argentum eſſet ei, in quem nuper nudati enſes micuere. Ad hunc modum Cives vltus in profeſſos hoſtes accingitur, abolendíque dedecoris ad Phaleiam accepti cupiditate ardens, totam Lyci viciniam vaſtitate agrorum & munitionum ruinâ deformat, ne ab amicorum quidem injuria abſtinens, nullo inter ſacra profaná-

fanáque diſcrimine, eóque nomine ab Othone Fratre Epiſcopo Friſingenſi perpetuo ſtigmate inuſtus. Ruſticana plebs, cui adverſus militarem licentiam & prædones opum ſuarum nulla præter diras execrationes arma ſuppetunt, diu inulta non fuit; Vindictâ Numinis in ipſum Principem mox incumbente. Vix Ratisbonam attigerat, cùm viribus defectum morbus proſtravit. Levamentum mali ex patrio aëre ſibi ſpondentem mors in itinere confecit, Anno MCXLI. XII. Kal. Nov. ſepultus eſt in S. Crucis, paternæ pietatis monumento; vt eidem Tumulum deberet, cui Principatum Patris eum Virtus meruit: Filii geſſerunt.

# HENRICVS XI. LEOPOLDI FR. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMVS QVARTVS.

NEc te pæniteat Guelpho *repetita* Leoni
*Signa ad Cæſareos depoſuiſſe pedes.*
*Quod* Bojus *dedit antè tibi, dabit* Auſtria *nomen,*
*Auſpice te proprios* Auſtria *nacta* Duces.
*Dici eadem noſtri* Limes *jam deſinet Agri,*
*Et jure incipiet liberiore frui.*
*Sed quas diſcrevit ſententia Cæſaris oras,*
*Mutuus æterno fœdere nectet Amor.*
*Sic utinam noſtri Diſcordia finiat ævi,*
*Et tandem abjiciant Signa cruenta Duces!*
*An nulla humanos pacabit Virga furores?*
*Olim etiam Colubros quæ cicuraret, erat.*
*Nonne ſuos dicet ſpectans Cyllenius Angues,*
*Pacis Homo guſtum non habet, Anguis habet?*

EOdem, quo Leopoldus frater, jure *Henricus* Principatum adiit. ne eâdem invidiâ conflagraret, Conradus Cæſar caviſſe ſe credidit, cùm Gertrudem ei Henrici Superbi viduam collocavit, ſed priùs Henrico Leoni Filiolo ſu-


HENR·
XLIV·AVSTR·I·AN·MCL



ium jus eblanditam, needum per æta-
em intelligenti, quid vitrico, quid Ma-
ri, imò jam Novercæ concederet. Sed
acilitatẽ Pueri Welfo Patruus correxit,
ngreſsúſque cum milite *Boicam* funeſta
*Henrico* honoris primordia reddidit. Eo
impunè digreſſo, iterum, quod dicitur,
Achivi plexi. Otho Epiſcopus ne Friſin-
gam quidem ſuam fratris eripere iræ po-
tuit, quò minus ob pauculos factionis
Guelphæ ſuſpectos propugnaculis nu-
daretur. Ferociam cum impietate con-
junctam confeſtim Vngariæ Rex Geiſa
caſtigavit, primo Bello, quod penè A-
doleſcens cum *Henrico* geſſit, victor; quo
tempore tanta in *Boica* fame laboratum
eſt, vt ad inhumanos cibos ventum ſit,
& cortices arborúmque radices pani ſuc-
ceſſerint. Vivis adeò animalibus detra-
ctus ſanguis in epulas apponebatur, hu-
manum tam prodigè fundentibus, & in
mala plerumque cauſa, donec *Bernardus*
Claravallenſis cantato ſanctiore Claſſi-
co in Palæſtinam & veros hoſtes pugna-
ces manus avocavit. Inter auctoratos

*Henricus* quoque nomen dedit, néve fraudi ſua ei pietas eſſet, idem ardor Welfonem à rerum novarum ſtudio ad *Crucis* ſigna attraxit. Henricus Leo, quem puerilium promiſſorum pœnitentia ad jus ſuum repetendum excitaverat, tantiſper à lite & ſufflaminando glorioſæ militiæ curſu abſtinere juſſus, in Cæſaris promiſſis acquievit. Sine operæ pretio, imò ſine exercitu ex Aſia regreſſum cùm iterum appellâſſet, nihil æqui impetravit. Spectabat ad bellum res, cùm Deus, Cæſari dicta die, cauſam ad ſuum forum revocavit. Qui Conrado ſucceſſit Fridericus Ahenobarbus finiendæ litis percupidus omnia egit, vt Auſtrio vadimonium aliàs obire detrectanti, aliàs cavillationibus ingratam ſententiam ſuſpendenti *Boicam* extorqueret. Ea Goslariæ denique ab eo adjudicata eſt, vt pareret cederétque, ægrè ex Italia redux ſæpius compellato perſuaſit, nihil veritus dicere, nulla alia in re vtibiliorem ſe Reipub. operam, quàm conciliatis talibus æmulis navâſſe. A. MCLVI. Feriis

Dei-

Deiparæ Natalibus, Auſtrius ſeptem ſignis militaribus, Henricus Leo duobus Cæſari repræſentatis, ille Principatu ſe *Bojariæ* abdicavit, hic jus ſuum in Auſtriam ejuravit. *Bojaria* ad Leonem rediit. Auſtriæ Præfectura Limitanea eodem cum tribus aliis jure *Bojariæ* eouſque appendix tum primum ad *Ducatus* evecta excellentiam, cum magno agri *Boici* auctario, *Henrico Auſtrio* hæredibúſque, nullo ſexûs diſcrimine, conceſſa, aliter homini acri & dignitatis imminutionem nunquam toleraturo ſatisfieri non potuit. Voti compos Friderico Cæſari in Obſidione Mediolanenſi magno vſui, & ipſis hoſtibus admirationi fuit, vt illo potiſſimùm factis ſuis nobilitato, & Bohemo Rege interpretibus, deditione facta, ſe ſuáque Victori permiſerint. Amicum Henrico Leoni Privigno in poſterum vixiſſe, & conſentaneè Friderici Cæſaris propoſito ex *Disjunctione* Provinciarum factam *Conjunctionem* Animorum, id quoque argumento eſt, quòd Leonem in Palæſtinam

Religionis cauſâ proficiſcentem, Neoburgo à Matris Tumulo Strigonium deduxit, eodem illic die appulſus, quo Stephanus Vngariæ Rex Gener ejus venenata potione extinctus fuerat. Sub finē vitæ cum Conrado Znoymæ Marchione colliſum reperio. Vis ejus cum ſexaginta hominum millibus in Auſtriam invecti ſuſtineri non potuit. *Henricus* equum per ſublicium pontem arcis foſſæ impoſitum, ſed malè materiatum vrgens, eo collapſo crus fregit intra triduum mortuus, A. MCLXXVII. Scoti eum Viennæ tumulârunt, quorum Coloniam Duce Sanctino eò deduxerat. Quidquid hinc vſque ad Fridericum cum Conradino Neapoli capite plexum, ſeculo non integro, Auſtriaco nomine cenſum eſt, *Henricum* hunc Parentem agnoſcit. Extinctam in ea gente Lampadem *Rudolphi Habſpurgici* ſidera immortali lumine inſtaurarunt.

HEN-




BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

# HENRICUS XII. COGN. LEO HENRICI SVPERBI F. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMVS QVINTVS.

*Non ſatis eſt ſub pelle,* Leo, *prodire Leonû:*
*Pellē aliam Herculea, ſi ſapis, adde Togæ.*
*Si Vulpinari Reges decet, aſſue Vulpem;*
*Virtutem ſocia mulceat aſtus ope.*
*Aut ſi hæc dedecorāt magnas commercia Mentes,*
*Junge* Leoninis *vellera* Ovilla *jubis.*
*Junxiſti; paritérq; tua favet utraque Fama*
*Bellua: multa* Agni, *multa* Leonis *habes.*
*Hic* Agere, *ille* Pati *docuit. Tu magnus utroq;*
*Scis Parva imperium durius eſſe* Feræ.

H*Enricum* Pater *Superbus Leonem* eſſe voluit dixitque. Nos *Leoni Agnum* jugavimus, fortaſſe non invito, qui duplici Principatu dejectus, cùm Filium vix Trimulum circumferens, velut Pupillum Saxonibus commendaret, *Agnelli* ſine dubio quàm *Leonis* nomenclationem ad ciendam miſericordiam cenſuit opportuniorem. Acceſſit mox Patre mortuo vera Orbitas, eáque novercali Ma-

Matris ingenio exacerbata; quæ vt in Æmuli domum thorúmque gratioſior tranſiret; Filium blanditiis exhæredavit, & Vitrico non tantùm poſſeſſione, ſed jure repetendæ Provinciæ cedere coëgit. Quinquageſimus ſextus idémque *Henrico* vigeſimus *Boicam* illi ſed largè accisſam reddidit, cùm jam ea in Fridericum Cæſarem illius merita extarent, vt geminato jure ad aſſerendũ ſibi poſtliminio Principatum niteretur; Natalium primùm, tum deinde propriæ Virtutis. ad Derthonenſis quidem Vrbis deditionem vix quiſquam *Leone* plus contulit, amne, vnde opidani aquabantur, averſo. Romæ deinde, quo die Friderico Pontifex coronam impoſuit, tumultuantes Romanos, & caſtra ſua adortos, ſua ipſe manu ita accepit, vt de Palma Fortitudinis Duces ei pariter militéſque vltro omnes conceſſerint, & Pontifex etiam, facinorum ejus ſpectator & arbiter, ampliſſimis eum laudibus & donis proſecutus. Sed quæ recuperato Principatu vel Cæſari gratificatus, vel ſuæ ve-

velificatus Fortunæ in Saxonia potiſſimùm ad Famam inſignia geſſit, juſtis voluminibus vix explicentur. Militari certè gloria priores *Boica* Duces vel æquavit vel vicit: cum ſuo ęvo compoſitum *Helmoldus Principem Principum Terræ* appellare non dubitavit. Cætera animi bona temporũ iniquitas & Biceps Pontificatus noxia Religioni labes ſubinde inquinavit. Peſſimo publico partes jure nullo fultas Cæſaris auctoritas ſuſtentavit, tanto Alexandri Legitimi Pontificis odio; vt Oratoribus illius fractutus gulam laqueo fuerit, niſi *Leo* noſter & *Welfo* patruus furenti obſtitiſſent. Cremam obſidenti auxilia adduxerant; & *Leo* quidem mille Cataphractos, idem rebus ad exitum deductis à civibus interpres deditionis Pacíſque appellatus; eo munere perfunctus in Germaniam rediit, & confines Saxoniæ Slavos armis domitos, non ſuo ſed Chriſti jugo ſubjecit, aliquot Epiſcopatibus inſigni pietate & munificentia conſtitutis, eóque facto

Ca-

Carolis & *Henricis* Sanctis annumerandus. Nimia multis ejus felicitas viſa, perſuasítque invidia ęmulis, incrementis ejus non minore ſtudio, quàm ſerpenti incendio occurrendum, ſacri paſſim profaníque principes exorti, cum in eundem vbique *Leonem* incidiſſent, magno malo ſuo illius gloriam auxerunt. Cura deinde *Leonem* inceſſit, ne DEI erga ſe liberalem manum non ſatis agnoviſſe argueretur, niſi gratę mentis documentum illuſtrius edidiſſet. ſuſcepta proinde in Palęſtinam religioſa expeditio obitáque Anno MCLXXII, ipſa quoque periculorum ferax, & *Leonis* fatis digna. Ad Danubii cataractas, reliquis Navibus ſalvis, Leonina hauſta eſt: ſociiſque enatantibus ſolus *Leo* non emerſit, donec Scapha è mediis fluctibus jam conclamatum extraxit. Majus inter Servios periculum leviore etiam brachio dicuſſum. Ad ducenta Barbarorum millia Pium agmen infeſtârunt, in quo ęgrè quingentos ar-

ma-

mares. Jam Wormatienſis Epiſcopi caſtra oppugnabantur, volantibus etiam in *Leonis* Tentorium telis; cùm ille jactâ *Crucis* Teſſerâ iro toti genti obviam auſus, viginti cataphractos in aciem eduxit, ne hoc quidem manipulo toto vſurus. Primâ Sagittâ debellatum eſt; ea Barbarorum principem ſuſtulit, Barbaros fugavit. Conſtantinopoli conſcenſis navibus iterũ inter vada cotéſq; ad deſperationem ventum. Perituros *Mater Virgo* palàm aſpectabilis ſervavit, & incolumes Hieroſolymę ſtitit; cujus ſacraria imò veſtigia omnia religioſiùs *Leo* an munificentiùs coluerit, non facilè dixerim; vti nec illud, Græcus Imperator, an Turcarum Soldanus in *Leone* viciſſim exornando copioſior fuerit: cùm hic equorum totos greges produceret, & præterea Leopardos duos cum ſex Camelis, dona exotica, & in Germania raro viſa; ille cætera conſtanter repudianti Divorum Lipſana ditandis pluribus templis ſuffectura largè congereret.

Ta-

Talis ex Oriente *Leo* ad ſuum Occaſum properabat, in quem illum Friderici Cæſaris ira ſed crudiſſimâ laceſſita repulsâ præcipitavit. Diris Ponntificiis & furioſis infelix bellis, auxilia à *Leone* Clavennæ cùm eo congreſſus exigebat; quo loco noſter non exactorem modò ſed ſupplicem etiam Cæſarem & pedibus ſuis affuſum averſatus eſt; ſive pietatis obtentu, in cujus ſtudiis annum illum exegerat, ſocietatem profani belli, in perniciem Religionis ſuſcepti, detrectavit; ſive aliam offenſam quamcunque vltus, imparem jam Pontificiis Cæſarem objecit, magnóque Reip. commodo victum, redire cum cœtu Piorum in gratiam coëgit. Altè nihilominus in Friderici pectore hæſit rigidæ inhumanitatis vulnus, & *Leonis* ęmulis, quibus Cęſaris juſſu detracta nuper arma fuerant, licentiam vindictę non tantùm indulſit, ſed propemodum imperavit. Eorum primos inſultus cùm *Leo* fortiſſimè excepiſſet, diffiſus repentè

tè Fortunæ ſuæ expertæque tot belliſ dextræ, arbitrium litium tuarum lævo conſilio, ad Cæſarem detulit haud dubiè Marte ſibi iniquiorem, præſertim cùm propriis ardentem odiis admotæ ab aliis faces penitùs inflammarent, vt Anno MCLXXX. proſcriptum omnibus provinciis exueret, & *H*albeſtadius Antiſtes inſuper auctarii loco Diras in eum jacularetur; quod fulmen Vir militaris, ſed tamen Pius, vt formidabilius Cæſareo, vltimis precibus Epiſcopi genua amplexus à ſe avertit. Immitem Cæſaris ſententiam armis reſcindere aggreſſus, brevi eam æmulis ſuis illætabilem inſigniter à ſeipſo vindicatus reddidit, donec Cæſar ipſe Saxoniam ingreſſus novâ illum ruinâ afflixit. Vltima neceſſitas ad prenſanda Cæſaris genua *Leonem* adduxit, & nempe Fortuna Clavenenſem Ludum, mutatis Perſonis, Erfordiæ repetivit; qui etſi Cæſari Lacrymas expreſſit, iras tamen non extinxit, quæ *Leonem* denique in exili-

um ejecerunt. Anglus *Leonis* ſocer amanter exceptum, poſt triennium, cùm deferbuiſſe Cæſarem crederet, Lucio Pontifici commendavit; cujus auctoritate proſcriptioni exemptus Brunoniſuicum rediit. Non diu illic hæſerat, cùm Friderico in Aſiam trajiciente iterum exilium, vt inter conditiones, quæ plures ei ferebantur, tolerabiliſſimum ſubiit; ſed proximo confeſtim anno regreſſus optimus ſuæ Fortunæ faber eam confeſtim ex voto ſuo, fruſtra obnitente *Henrico*, quem Fridericus Pater Cæſarem appellârat, refinxit, poſt tot clades à multis Imperio deſtinatus, cùm de *Henrici* morte vani rumores percrebuiſſent. Verùm id decus Othoni Filio ejus reſervatum eſt. Alter, *Henricus* nomine, Palatinatum Rheni adhuc vivo patre adiit rexítque. *Leoni* milleſimus centeſimus nonageſimus quintus ſatis in vtraq; fortuna ſpectato fatalis fuit. Tu te illi, *Maximiliane Emanuel*, Patriam debere memineris. *Mo-*

*nachi-*

*nachium Leonis* opus eſt, ab illo conditum: *Wittelſpachij*, in quos omnis illius gloria devoluta eſt, auxere, vt, ſi nunc redeat,

*Miretur molem* ÆNEAS *Magalia quondam.*

# OTHO III. MAGNVS WITTELSPACHIVS DVX BOIARIÆ QVADAGESIMVS SEXTVS.

*Trojani non quærit Avos in ventre Caballi;*
*Hinc tamen effuſis par micat* Otto *viris.*
*Hoc Italus Græcúſq; meo de* Teutone *dicit;*
Teutonis *armatam ſenſit uterque manum.*
*Qualis erat, cùm monte tuo, Verona, latentes*
*Romana Corvos obſtupefecit Ave?*
*Cùm per inacceſſi repetans faſtigia clivi*
*Ipſe* Aquilæ *pennas viſus habere ſua eſt.*
*Certè habuit. via nulla Viro fuit invia, donec*
Boicus *in merito vertice fulſit* Apex.
*Quē tibi detractū quis non, Leo Guelphe, dole-*
*Sufficerent alium ſi tibi Fata virum? (ret,*
*Cui ſimilem Natura parens ut redderet orbi,*
*Quattuor in nixu ſecula lapſa, parum eſt.*

H*Ic Vir, hic eſt, qui nobis reſtituit rem;* qui Principatus Gloriam ſub duobus *Magnis* Carolo & Othone à *Boijs* abalienatam ipſe quoque cognomento *Magnus* iiſdem poſtliminio vindicavit, quódq; de Fortuna Romana Plutarchus ſci-




NAPOLI

ſcitè dixit, Pinnis ei Aliſque præciſis, fugæ poteſtatem ademit. Ducentis octoginta Annis *Agilolfinga* addicta Familiæ ad *Carolingos* tranſierat; indéque poſt centum viginti tres annos regreſſa ad *Bojos*, ægrè tricenis ſenis in *Schyrenſi* retineri Domo potuit; multóque deinde licentiùs duobus & ampliùs ſeculis inter Saxones, Moſellanos & Italo-Svevos vagata, *Othone* hoc *Wittelſpachio* aſſertore, A. MCLXXX. *Boijs* ſe bona fide reddidit, ſed jam conſtantior & ad fœdus cum ſuò vindice ejúſque poſteris feriendum prona: de cujus firmitate nequid ſecutura deteteret dies, Æternitati diſertè verbis ex vetere formula repetitis cavit,

*His ego nec metas rerum, nec tempora ponam:*
*Imperium ſine fine dedi.*

Ex quo tempore quatuor ſeculis cum dimidio *Othonianus* ſanguis in rerum faſtigio poſitus, quotquot priùs jura dedere gentes, felicitate & diuturnitate Imperii ſuperavit, manifeſtâ Numinis Benevolentiâ, quæ ſcrutantibus cauſas

prima occurrit, ſufficitque ſua merita non jactantibus. etſi negari non poteſt, poſt *Schyrenſem* arcem, ipſiſſima nobiliſſimæ Familiæ Cunabula, ab *Othonis* Avo Religioni conſecratam, hæredes Superos ſolenne ſuum tenuiſſe, & gentilitio ſibi cedentibus fundo, non deſiiſſe opes honoréſque accumulare, donec poſt annum ſexageſimum Pii Operis, *Otho* Principatu auctus eſt; quem ipſe quoque nimis amplum militaris operæ ſtipendium crediderit, libentiúſque Avi Patriſque pietati acceptum tulerit, quàm Bellicæ Virtuti, quæ nomen illi *Magni* peperit, & Friderico Cæſari Ahenobarbo commendatum ad Tutelam Auguſtalis Aquilæ provexit. Facinora illius Otho Friſigenſis Epiſcopus & Guntherus Poëta, longè cultior ſeculo ſuo, celebrârunt; & illud imprimis ad Veronenſes Pylas editum, quas graſſatorum globus, Alberico duce, repetenti Germaniam Cæſari præcluſerat, ferro quidem, vti rebantur, inexpugnabiles, nec niſi auro, quod tranſituro velut vectigal impera-

perabant, aperiendas. Cæſar cum Latronibus pro ſuo capite paciſci non ſuſtinens, expugnandum Corvorum Nidum *Othonis* Aquilæ, quæque illi & ducentis ex omni exercitu lectis juvenibus alas additura videbatur, compertæ ejuſdem Virtuti permiſit; eáque per iniqua omnia & inacceſſa ſubvectós in ipſum denique cacumen perduxit. Nondum ad manus ventum erat, cùm *Otho* Latronibus jam major homine eſt viſus. Regiam Avem cum Heroico claſſico inferentis impetum multò minùs tulere. Numero pariter, quo longè præſtabant, locóque diffiſi, nihil præter arbitrium mortis habuere reliqui, in præcipitia vel enſes incurſuri. Magis etiam Medio-lanenſe bellum *Othonem* nobilitavit; cùm Radevicus ipſe quoque illorum temporum æqualis, poſt ampliſſimas illius & Reinoldi Cancellarii laudes, palam affirmet, *Nihil ingens, nullum exquiſitum Virtutis facinus in ea expeditione geſtum, in quo hos Heroas aut primos, aut de primis non compererit extitiſſe.* Præmiſſi

in Italiam à Cæſare, omnia ipſi, omnia exercitui prona reddidere. Rivola primùm Italiæ veluti Clavis in poteſtatem adducta. Cremonæ conventus agentibus is honor habitus, quantum paucis retrò Regibus Amor Metúſque validi exactores collegere. Ravennatum proceribus à Græcis ſolicitatis & jam nutantibus *Otho* ex improviſo obvius & propè incomitatus immani fiducia enſem intentavit, malum promiſcuè omnibus, Guilhelmo inter eos Principi etiam vincula minitans, non tam fulminante dextra, quàm majeſtate vultûs attonitis; qua etiam Græcorum levis natio, adverſus Germani hominis planiſſimam orationem, ſed *Othoniano* animatam ſpiritu non auſa hiſcere, difflata, & nullâ aliâ oſtentatâ vi, in naves rejecta eſt. Ad Mediolani mœnia hærentis nocturna potiſſimùm pugna celebrata eſt; cùm jactis ſarmentorum faſcibus & inflammato cum propugnaculis ponte, Cives ad reſtinguendum incendium procurrentes haud ſanè optabili telorum imbre

bre perfudit. Mediolano dedito, Feraríenſes domuit. Padum vado transgreſſus, iterum in perniciem hoſtis adjuvante viri felicitatem naturâ. Ad Conſules creandos Mediolanum ex pacto regreſſum plebs in ſeditionem verſa oppreſſura fuerat, niſi ſuburbani hoſpitii commoditate periculum evaſiſſet, multo fœdiore mox turbine ad Victoris ſuppoſititii Pontificis partes attractus; quas cùm creſcere Fridericus Cęſar vellet, *Othoni* negotium datum, ad ejus obſequium trahendi etiam invitos. Pretium illaudatæ operę Dirę fuere, quibus caput *Othonis* Alexander legitimus Pontifex devovit; quo tempore Conradus frater ejus Moguntinę jacturâ Infulæ & voluntario exilio eodem involuendam naufragio innocentiam ſubduxit, ob raritatem pulcherrimi exempli purpuratis Patribus accenſus. Ne altero etiam ſacrilegio, quo Cæſariana factio, capta vrbe, & collocato in Petri Cathedra abortivo Pontifice, ſe contaminavit, *Otho* pariter conſceleraretur, augerétque vel inſani-

 entium

entium, vel, quæ è veſtigio ſecutę ſunt, pœnas Numini morte perſolventium numerum, Byzantina legatione cum Henrico Auſtrio *Boicæ* olim Principe obita feliciter prohibitus, rebúſque ſecundis extra noxam ſervatus eſt. Annus MCLXXX. in Henrici Leonis miſeriam, & *Othonis Wittelſpachij* gloriam fertilis illum *Boico* Principatu exuit, hunc auxit; útque penes eandem gentem ſumma vtriuſque ordinis decora in *Boica* conſpicerentur, illo ipſo tempore Conradus *Othonis* frater Mitram Salisburgenſem in Romana Purpura tulit, Titulúmque Legati perpetui in illam ſedem importavit. Imperium *Othonis* Tertio anno Mors finiit. Dachavienſem Toparchiam ab illo redemptã Principes hodie poſſident, non tamen ſuffecturam penſandis damnis, quæ Fridericus Ahenobarbus, mutilato principatu, *Bojariæ* intulit. Auſtriam enim evulſiſſe non contentus, etiam Meridionalis limitis ſive Tirolis Præfectos, quíque Styros & Carinthios vicario imperio rexere, dignitate Principibus

ex-

exæquavit, Ratisbonam inſuper Othoni Friſingenſi his etiamnum temporibus Norici Ducatus Metropolim dictam, Imperio aſſeruit, *Othone* beneficiis Cæſaris devincto jura illius injuriáſque eodem vultu & ſtomacho concoquente. Noluit tamen DEVS, ea Poſteritatem damna ſentire. plus adjecit, quàm Cæſar præſecuerat, quódque magno imperio longè præſtat, fecit illud æternum. Tu, *Maximiliane Emanuel*, ab *Othone* Decimuſquintus jam nomen non invenies, quo *Magnum Avum* ſalutes.

# LUDOVICUS IV. OTHONIS MAGNI F. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

*Sica Tuo* ( Landshuta *dole* ) *jam ſtricta Pa-*
*Sica Neroneā cæde profeſſa manū.* (*renti eſt,*
*Nam Sobolis, Friderice, tua numeranda Magi-*
*Si credis Senecæ præmia, nonne Nero es?* (*ſtro*
*Qui per Barbaricos tutus Cruce transÿt enſes,*
*Si cadit enſe tuo victima, nonne Nero es?*
*Nonne Nero es, ſola ſi fortis fraude, Bifrontem*
*Qua poſſint Janum fallere, tela jacis?*
*Conde Neroneas, Candor Germanice, Sicas;*
*Invideant Luſci jam tibi Jane minùs.*

PAternam Magnitudinem in *Ludovici* pueritiam inclinatam Matris Agnetis Waſſerburgo-Halenſis pietas & Patruorum ſolicitudo ſuſtentavit. Nono poſt Patris mortem anno admotus Reipub. & Wormatiæ Baltheo militari accinctus, altero confeſtim menſe ardentem bello Patriam vidit. Pogii & Ortenburgii Comites facem ſubdidere privatis accenſam rixis, ſed omne deni-

que




BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI VITTORIO EMANUELE III

que nomen *Boicum* corripientibus. Attracti à Pogiis etiam Bohemi Principem excitârunt. Juvenili ardore in eos invectus Fortunam obſequentē non habuit. Clade ad Danubium acceptâ, æquè triſtia ad Oenum exempla edita; Leopoldo Auſtrio & Bertholdo Meranenſi ſecundo adversóque flumine vaſtitatem in Agrum Ortenburgium importantibus. Cæſar denique furentes exarmavit. Bohemus propter ſuppetias Pogiis latas Principatu dejectus; Albertus Pogius proſcriptus eſt. Tertio ſupra Milleſium ducenteſimum à Salisburgenſi & Ratisbonenſi Pontificibus armis appetitus *Ludovicus*, cauſam vetuſtate magis quàm æquitate ſubnixam, adverſus illos propugnavit; ſi maximè rem ex voto geſſiſſet, haud ſanè tantùm gloriæ capturus, quantum Patria detrimenti. Anno denique ejus ſeculi decimo quinto exoſus inteſtina bella, quibus & vinci & vincere miſerum eſt, *Cruci* militaturum ſe, ſacramento publicè dicto, eſt profeſſis: etſi ante anum vigeſimum primum

in

in Aſiam non pervenit; quo tempore inter Legatum Pontificium, & Hieroſolymæ Regem Brennum ſententiis certatum eſt, quam in partem Chriſti ſigna inferri, æquius foret. Legatò Ægyptum præferenti *Ludovicus* eſt aſſenſus, ab eóque imperium in omnes copias accepit. Læta Victoriarum præludia Nilus, ſolitis ſeſe incrementis attollens, caſtríſque momento ſuperfuſus ſtitit, & obſeſſo exercitui veluti compedes injecit. Nullius caveæ aut Circi, proſtituentis damnatos ad lanienam, triſtior facies fuit; vtique cùm Saraceni, rabidæ belluæ, procurrerent, & occupatis, qui eminebant, tumulis, inſultarent natantibus & ſuo arbitrio perituris. Ægrè jam iniquum militari Virtuti locum Patientia tuebatur, cùm Soldanus Ægyptius ſuis & Nili captivis vitam ſpopondit, ſi Damiata ſibi redderetur, multo empta ſanguine neque biennio adhuc poſſeſſa. Conditio morte quavis probroſior, neque in pacíſcentium manibus ſita, difficile dictu eſt, iis ne gravior fuerit, de quorum

capi-

capitibus, an de quorum fortunis agebatur. pervicit denique humanitas, vt, his Damiatâ excedentibus, illis copia daretur enatandi: nam trophæi figendi ne hac quidē expeditione poteſtas fuit, niſi id nomen Triumphali Cruci damus, cujus ſegmentum à Soldano manumiſſis redditum, infelicis Militiæ damna penſavit. Magnum alioqui *Ludovici* in Repub. nomen; vt ſciſsâ poſt Henrici mortem in factiones Germaniâ, Philippo ejus fratri accedentem vtriuſque ordinis Principes magno numero ſint ſecuti. Philippo ab Othone Wittelſpachio *Ludovici* patruele interfecto, apud Othonem Henrici Leonis Filium Philippi æmulum eundem gratiæ locum, & illud inſuper obtinuit, vt avita paternáque in *Boicam* jura vltro ei remitteret, & *Ludovico* poſteríſque ejus Principatum confirmaret. *Wittelſpachio* nomini, quod Otho Cæſaris cæde cruentârat, premendo, *Wittelſpachiam* arcem *Ludovicus* ſolo æquavit, fundúmque Mariano inſignitum nomine, illiúſque traditum Tutelæ expiavit.

Ea-

Eadem fortuna Caſtri Andecenſis fuit; quòd Procerum nonnulli, quibus inde nomen & origo, cum Wittelſpachio capita conſiliáque contuliſſent. In Italiam quoque Cæſarem *Ludovicus* ſecutus tamdiu eum coluit, quamdiu ille Pietatem. Devotum à Pontifice deſeruit, ſuíſque ad Fridericum Henrici Cæſ. F. ſtudiis translatis, Regem ſalutatum, Romam ad capeſſendum ſupremum decus deduxit; ex eo tempore non tantùm amicorum princeps, ſed *Henrico* Filio in conſortium Imperii aſſumpto, vt oraculum domeſticum omniúmque conſiliorum moderator additus, vtrumque nomen viginti annis ita tulit, vt quotidie meruerit. Cùm ſummis officiis par nulla referri gratia poſſet, peſſimo compendio, maleficiis penſata ſunt. A. MCCXXXI. Fridericus Cæſ. inimicitias illi indixit, quarum cauſas nullus ejus ævi Scriptorum odoratus eſt. eas ipſas bello exequi non auſus, empto ex Aſſaſſina gente, vnde nomen etiam hodie Sicarii mutuantur, percuſſore, ejus ſicâ Kelhaimii XVI. Kal.

Oct.

Oct. *Ludovicum* confecit. Fœdiſſimum facinus Innocentius IV. cæteris Friderici probris annumeratũ vulgavit, *quòd Ducem* BOIARIÆ *ſpecialem Eccleſiæ Romanæ devotum, Chriſtianæ Religione neglectâ, fecerit occidi*, ipſum iniquiſſimi odii fontem *Romanæ Eccleſiæ ſtudium* indigetans; quod ſi ei mortem attulit, propè eſt, vt ſic cadenti Lauream decernamus. Certè Landishutum, Straubinga, Landavum & Aicha, quæ Vrbes ſua *Ludovico* initia debent, tantò juſtiùs eo Auctore gloriabuntur, quantò propiùs ad Martyrii gloriam acceſſit. Palatinatus etiam Rhenanus, inſigne *Boicæ* magnitudinis Incrementum, vtraque Domo nuptiis colligata, & Othone Filio cum Agnete F. Henrici Palatini Henrico Leone geniti juncto, *Ludovici* felicitati debetur, qui Palatini nomen ex Wittelſpachiis primus tulit, & ad poſteros propagavit; quibus tamen illud magis cordi eſſe vult, quod à Pontifice datum Cæſar illi invidit, ſed eripere non potuit, etiam occiſo.

# OTHO IV. LVDOVICI IV. F. DVX BOIARIÆ QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

*E*St tua, *ſit q; diu non inficianda,* Theodo;
*Inter* Bojugenas *gloria prima Duces.*
Boica *Vindelicis inducta Colonia Campis,*
*Imputat auſpicijs fata ſecunda tuis.*
*Quòd noſtros rigat* Iſter *agros, liméſq; tuetur,*
*Latus utrumque tuo munere* Bojus *habet.*
*Ergo feres primas. Meruit tamen* Otto *ſe-*
Iſtro Rhenanas *qui ſociavit aquas.(cundas,*
*Vt Maris Eoi ſimul Occiduíque parentes*
Bojo-Palatinum *nomen & acta canant.*
*Materiam dabit illa dies, qua vidit* Othonē,
*Horrea jejuno pandere plena Codro.*
*Qui ſtipe gratuita paſtus, jam denique, dixit,*
*Vivo fruórq; tuis* Boica Parma quadris.
*Nam mihi, quē dicit doctorū natio* Rhombū,
*Germano & Phrygio nomine* Beccus *erit.*

FElicitatem *Othonis* Gemina Inſignia Gordio ligata Nodo oſtendunt; Nominis Gloriam multò luculentiùs itidem Geminæ Nomenclationes ad nos vſque propagarunt. *Bonum* eum Patria;

Ex-




NAPOLI

Exteri *Famoſiſſimum* appellarunt. Vtrumque cognomentum primus illi Imperii aditi dies peperit, qui jejuna omnia ora in *Othonis* laudes laxavit. Annonam ſoli ſterilitas vel hominum avaritia incenderat, vt ſiliginis *Scapham* quinque Aſſium libris, immani, vt tunc erant tempora, pretio veniſſe in tabulas relatum ſit. *Otho* cùm Principatus auſpicia eſuriente populo non probaret, totius Provinciæ Granaria aperuit, & opportunæ Pietatis impensâ clariſſimam Inaugurationem ſuam reddidit, ſparsíſque in plebem frugibus optimam conſtantis benevolentiæ ſementem in ſuorum animis fecit. Omnibus amabilis vnum Henricum Frid II. Cæſ. F. infeſtum habuit, ſive ſuo, ſive hæreditario Patris ſui odio flagrantem. Id certè egit, nè *Othoni* Ratisbonæ comitia celebraturo Vrbs pateret. Senis deinde hominum millibus ad Lycum adductis *Boicam* in prædam conceſſit; quorum rapaces manus ægrè Eberhardi Saliſburgenſis oratio, & *Othonis* quadrimum Filium Obſidem offe-

offerentis modeſtia continuit. Id facinus an Auctore Patre Cæſaris filius tentârit, proditum non eſt. Numini quidem placuit, non alio illud, quàm Patre vindice, vlciſci; qui filium rebellionis compertum *Othoni* vinctum tradidit, iræ quidem ſuæ, ſed & Juſtitiæ obſecutus; quæ Patri in Filium fortaſſe tantum permiſſura non fuerat, niſi ſatisfaciendum eo pacto *Othoni* læſo fuiſſet; cujus tam faciles fuiſſe iras accepimus, vt amicitię cum Friſingenſi Epiſcopo redintegrandę ſtudio diſceptandam Judicibus apertè iniquis cauſam permiſerit, & condemnatus ad mulctam damno plecti, quàm Bello involui maluerit; ídque ne ſopiret tantùm, ſed planè extingueret, contentioſa acris controverſiæ acta olim fortaſſe in novas lites repullulatura, raro exemplo, & vix à mitiſſimis ingeniis vſurpato, exuſſit. Sed inciderant tempora, quæ pacis tam cupidum quieſcere non paterentur. Religionis nomen ſub Friderico II. Cæſ. periclitantis cùm nulli Principum ſanctius eſſet, cauſam illius

à

à Sacris Profaniſque deſertam prope ſolus, maximo ſuo periculo, Armatus Togatúſque defendit, paratus ( vt inumera alia conſtantiæ documenta ſileam ) etiam Septemvirale ſuffragium Pontifici remittere, ſi ejus jacturâ ſtabiliri pietas, & Cæſare extra ordinem lecto, reſpirare Chriſtiana poſſe Reſpublica crederetur; cujus patrocinium cùm adverſus potentiſſimos hoſtes ſuſcepiſſet, publici odii torrentem, & horribiles Cæſaris minas, in *Wittelſpachiæ* Gentis excidium intenti, vſque ad deſperationem humanæ opis ſuſtinuit, iis fluctibus pulſatus, quibus frangendis qualemcunque animum ſufficiſſe, poſteritas omnis, quæ in illius ævi acta inſpexerit, mirabitur. Cedentem denique extremæ neceſſitati contracta cum Conrado Friderici F. affinitas, amórque Eliſabethæ Filiæ quam eidem ad ſe è prælio fugienti locârat, à Pontificiis partibus infeliciter avulſere; vt Conradum Halæ & Waſſerburgi Dynaſtam, ex qua Gente Othoni Avo vxor fuerat, eâ tantùm gratiâ, quòd in deſe-

renda Pontificis factione exemplum ſuum ſequi dubitaret, vrbe ſua ejecerit, hæres poſtea Exulis cum nobiliſſima ſtirpe extincti factus. quo tempore illas quoque turbas, quæ *Othones* duos *Bojariæ* & Meraniæ Duces ad viginti ſex annos cum mutua pernicie exercuerunt, in cædes rapinas, & prælia exarſiſſe, Tabulæ Beurenſis Monaſterii vnà cum Tegerenſi & Wejerano iiſdem fluctibus involuti, lamentantur. Loca, quæ nominavi, in Tutela Meranenſis cùm eſſent, nihilo clementiùs, quàm eorundem Tutor, accipiebantur. Luctuoſiſſimus Beurenſibus ille dies fuit, quo Quingenti milites irruptione in Monaſterium facta prædas velut ex profano egêre, re nullâ intactâ, quæ avaritiam irritaret. eodem exemplo in adjunctum Parthenonem ſævitum, ne faces in tecta jactarentur, ægrè prolatis priſtinæ opulentiæ extremis reliquiis obtentum eſt. Wolfratshuſium eo tumultu obſeſſum; Templa Quingenta violata; & agreſtium opes, nullâ Sacri Aſyli reverentiâ, egeſtas, A-

venti-

ventinus prodidit. Sybotho inter Falckenſtainios Dynaſtas eo nomine Quintus, quòd Meranenſis partes ſequeretur, bello captus & Burghuſium abductus eſt; Meranenſis ipſe Schardingâ & Neoburgo Oenano ſententiâ Cæſaris ſpoliatus eſt, jure omni ad *Bojos* in Caſtris Partenſibus translato A. MCCXLVIII. Interim *Bojariæ* Epiſcopi Cæſari antehac ad infamiam vſque addicti reſipuerant, quóque nuper ſtudio Pontificem, eodem Cæſarem inviſum *Othoni* reddere conabantur, ſed jam aſpernanti hos non tam Conſultores, quàm Deſultores; qui cùm ipſi ſibi non conſtarent, alios conſtantiæ admonerent. Revocari quidem in viam ſe non ſuſtinuit, magis Potentiæ incrementis, quàm ſanctioribus ſtudiis intentus. Hermanno Badenſi, quem *Otho* ad Principatum Auſtriæ provexerat, mortuo, primùm omnium ea terrarum portio, quæ ſupra Anaſſum ſita olim *Bojos* reſpexerat, injecta manu ad veteres dominos revocata: & ſecutura fortaſſe Auſtria vniverſa fuerat, ſi Henrico F. in

provinciam accito, velificari ſponte offerenti ſeſe dignitati per *Othonis* Patris omnia ſuſpectantis ſapientiam licuiſſet. Dum is Amicos & Belam præcipuè Vngarorum Regem Henrici Filii ſocerum conſulit, ille tunicam pallio propiorem ratus, confeſtímque in ſpolium involans Generum celeritate antevertit, immoto ad eam quoque injuriæ ſpeciem *Othone*, & auxilia ferente illi, à quo ipſe conſilium non impetraverat. quo tempore id ſaltem piè ab eo factum, quòd Oetingæ, id eſt, in antiquiſſimo *Bojariæ* aſylo, Ludovicum & Henricum Filios, quanquã non tunc primùm armati prodituri fuerant, Baltheo præcinxit, & Marianæ commendatos Tutelæ à ſe dimiſit. Vltimum publicorum *Othonis* operum conſentaneum primo fuit, nam hujus quoque fundamenta Pietas jecit, ſupremámque eidem manum impoſuit. Hoc differt, quòd æternum eſt, & Pauperes non vna tantum hieme paſcit. Jam quadringentis propè annis Hoſpitalis Domus, quæ ſub S. *Spiritus* Tutela Monachii viſitur,

ſitur, liberalitate *Othoniana* ſuſtentatur, fruitúrque Vectigalibus Iſeranis, quorum pars loco in dotem ceſſit. Eo opere perfunctum Mors Anno proximo, qui MCCLIII. fuit, D. Andreæ pervigilio ſtravit, & quidem ſanum valentémque, neque cum vllo luctatum morbo, &, quę hominum opinio fuit, nondum expiatum liberúmve à Diris. Clemens proinde Pontif. poſt decimum annum litem mortuo de jure tumuli movit, ſeverâ ſine dubio cenſurâ & accuſandâ ab iis, qui libentiùs Bonis Legibus, quàm Malis Moribus iraſcuntur. Sed Pontificem Vxor *Othonis* rariſſimæ Pietatis fœmina, & ſuperſtites Filii placarunt. In cœli foro certum eſt, nullo eum magis, quàm Pauperum Patrocinio, ſublevatum, qui vtcunque verborum rerúmque inopes Numini vim faciunt, vincúntque ſacri Codicis aureo *Textu*; *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

# LUDOVICUS V. OTHONIS IV. FILIVS COGNOM. SEVERVS DUX BOIARIÆ QVADRAGESIMUS NONUS.

*PArva nota eſt, Vulgi defigi voce* Severum;
Præcipitis *Nomen turpe cavete Duces.*
*Vnũ hunc caviſſes ſcopulũ,* Ludovice, Rudol-
*Quod defers, poteras tu meruiſſe decus.* (pho
*Sed facit una dies non una cæde nocentem:*
*Infectum ô fieret, quod facit illa dies!*
*Proxima ſupplicium Nox pendere juſſa Diei*
Canitiem *capiti, non* Diadema *dedit.*
*Nunc ſi præcipites Nemeſis ſic corrigat iras,*
*O quantos numeret prima Juventa* Senes!

VTinam *Ludovici* vultum, dum innoxias Iræ ſuæ immolat hoſtias, velare Timanthis Pictoris exemplo mihi liceat, qui in Agamemnone Filiam ſacrificante id fecit cum laude; cætera omnia Principis hujus facta abſque mea illiúſque verecundia in luce publica ponerem. A. MCCLV. cum Henrico fratre Imperium & provinciam partito Superior *Bojaria* cum Palatinatu Rhenano ſor-




BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE III
NAPOLI

ſorte obvenerat; ad quem inſpiciendum ordinandúmque profectus, *Mariam* Brabantinam Conjugem Eliſabethæ ſororis fidei Danuwerdę commendavit. ea cùm ex intervallo ad Maritum literas dediſſet, Epiſtolâ alterâ ſeorſim ſcriptâ Rauchgrafium Comitem ſalute dignata fuerat; quam vtcunque diſcolore notabilem cera tabellarius fatali errore ad Principem detulit, ipſa confeſtim inſcriptione ictum, & occupato falſis imaginibus animo, ex ſingulis apicibus extorquentem oleum in żelotypiæ Caminum; qui cùm momento exarſiſſet, omnia obnoxia ſuſpicioni corripuit. Tabellarius primùm velut devotum Adulteris mancipium in veſtigio oppreſſus eſt. Idem Danuwerdæ impetus, ſed non in vilia capita, effuſus. Præfectus Aulæ, & è Gynæceo geminæ poſt Dominam victimę ceciderunt: & hæc quidem ſola Carnificis ferro; in reliqua, quæ memoravi, funera Principis manus & ira ſuffecit; quam vtcunque feſtinantem ad cruenta ſolatia celeritas tamen cæleſtis vindi-

dictæ antevertit. Illa ipſa nox iniquis irritata cædibus innocentem ſanguinem eſt vlta. *Ludovicus* in viduo thalamo, paucis horis inter animi tormenta exactis, incanuit, tanto clariùs agniturus errorem ſuum, quanto minùs, perditis Juventæ inſignibus, à ſeipſo jam agnoſcebatur. Monimentum æterni doloris Fürſtenfeldenſe Cœnobium præcipites Principis iras ſanctioribus hoſtiis expiavit. Ferro deinde meliùs vſus Patriam adverſus Ottocari Bohemi irruptiones defendit. Auſtriam hic dotali ad ſe jure traxerat, imminebâtque etiam porrectæ ſupra Anaſſum provinciæ, quam *Ludovicus*, vivo etiamnum patre, *Boÿs* vindicarat. Placidè diſceptaturum ſe pollicitus, vim nullam metuentibus supervenit armatus, jámque vicina Landishuto vrebat, cùm raptim excitas, & quidem ferè ab Aratro, copias Duces ei Fratres objecere. Cauſa his animos dedit, abſtulítque hoſti, ideo tantùm diei inducias pacto, vt noctis beneficio elaberetur. Rex ipſe fugitivum agmen duxit;

Mül-

Müldorfenſis pons pondere prægravatus ruptúſque ſtitit. Multos *Ludovicus* in ſuburbanum refugientes ſpecum ſubdito igne exuſſit. Mœnibus clauſos ad deditionem cùm adegiſſet, inviolatos omnes dimiſit, nobilémque victoriam Severitatis & Clementiæ mixturâ temperavit. Conradinum deinde ſororis filium ad Regnum Siculum repetendum pecuniâ inſtructum aliquouſq; ſecutus. Pontificiis fulminibus, quibus expeditioni illi obnunciatum eſt, deterritus pedem retulit. A. LXXIII. ejus ſeculi, evecto ad Imperium Rudolpho Habſpurgico, Mechtildem ex eo natam tertiis iíſque auſpicatiſſimis ſibi nuptiis junxit, quarum fœcunditati *Boicum* hodie nomen omne innititur, Henrici fratris poſteritate pridem extincta, filióque, quem *Ludovicum* ſibi cognominem ex Anna GloggoVienſi tulerat, Norimbergæ A. MCCXC, ex vulnere in certamine ludicro à Craffto ne Hohenlohio accepto, inter pauperum greges, quod vltimis votis expetierat, mortuo. Rudolpho Cæſari Adolphus

phus Naſſovius ſucceſſit; qui ſecundo delapſus Rheno cùm Fürſtenburgi *Ludovici* arce Prȩfectos Portorii ignaros, quem ea navis ferret, nec ære nec vllo majeſtatis indicio dignaretur, telo ab iis appetitus, injuriam in *Ludovicum* vindicavit, & prȩcipiti ſententia proſcripti bona Sacris Electoribus diripienda objecit. Moderatiùs quàm fert vſus Mortalium iniquitatem Cȩſaris *Ludovicus* tulit, memor haud dubiè, eodem ſecum jure agi, quòd ira olim dictaverat in Vxorem ſȩvienti. Vim non vi ſed advocatione innocentiæ, ſeipſam jureſurando abſolventis, depuliſſe contentus, tam candidè cum Cȩſare in gratiam rediit, vltro vt ſibi Legationem ad conciliandos eidem Principum animos depopoſcerit, comitate prorſus memorabili dignáque, quam Deus eodem confeſtim anno Secturis auri Haidelbergȩ proditis remuneraretur, dono Pacis ſtudiis conveniente; in cujus reditum, quandocunque demum terras reviſura eſt, non Auri duntaxat Montes, ſed *Secula Aurea* nobis

ho-

hodie quoque pollicemur. Cæterùm inter *Ludovici* decora omnia velut in Trophæum compoſita, mollium Artium ſymbola, ſive *Caduceus*, ſive *Olea* ipſi vt *Pacificatori* debita eminent. In hanc vnam rem ſupereſſe Poſteritati de ſe exempla voluit, haud aliis ferè Tabulis ab interitu vindicatis quàm quibus Remedia exulceratorum continentur animorum, vt quod Vitellio Cæſ. per adulationem tributum eſt, huic veriſſimè dici potuerit, *Ipſum eſſe Concordiam*. Ea ſcilicet etiam geſtis ejus colophonem impoſuit; cùm Linzium eâ tantum gratiâ deſcendiſſet, vt gliſcentia inter Albertum Auſtrium & Othonem Fratris ſui Filium, Archiepiſcopo Salisburgenſi fœdere junctum, odia extingueret. Exiguam rei conficiundæ ſpem conſtantia & exercitata in hoc foro ſuada maturavit in optatiſſimos ſucceſſus. Litium illi arbitrium permiſſum. Pax ex illius ſinu & ore cupidiſſimè accepta. Regreſſus cum triumpho, etiam in *Boica* deprehenſis offenſarum ſcintillis frigidam affudit,

Hai-

Haidelbergæ morbo tentatus eſt, quem ſua illi fatalem verecundia fecit. Nudum ſe inſpici non ſuſtinens, remediis locum præcluſit; Animi Medicis totum ſe præbuit, vltimíſque tabulis ex eorum ſententia & pietatis commodo confectis, Annulo pronubo ad Vxorem Mechtildem remiſſo, deceſſit Kal. Febr. eodem loco & conclavi in ſandapila compoſitus, quo Cunæ ejus ſtetere. Dicere cum Tito moriturus potuit, *Nullum extare factum ſuum pœnitendum, excepto duntaxat uno*; à quo tamen cognomentum *Severi* illi adhæſit, vt meminerint Principes, vel vno illaudato facinore parari infamiam: duratura encomia maximis Virtutibus ægrè impetrari.

LV-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# LVDOVICUS SEXTUS INTER CÆSARES IV. LVDOVCI V. F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMUS

*Iam ſatis eſt* Avium, *ſatis eſt, Fortuna*, Ferarum;
*Vix Clypeus Bipedes Quadrupedéſq; capit.*
*Agnoſco tua dona* Aquilas, *agnoſco* Leones,
*Quaq; ſub his plumis regna jubiſque latent.*
*Sed Meus averſo, velut hamum ſentiat, ore*
*Spes in* Matre *ſitas* Virgine Cæſar *habet.*
*Nam quantos tua dona cient, Dea caca tumultus?*
*Quot ventis pugnat Caſareana ratis?*
*Donaſſes Fortuna minus, ſecura procella*
*Luderet in placida parvula Navis aqua.*
*Ni* Virgo Cynoſura *foret, tu ſerò natanti*
*Porrigeres facilem, caca Patrona, manum.*
*Nunc nemo tibi vota facit.* Fortuna ſalúſq;
*Noſtra* Virgo parens *unica Gentis erit.*

QVomodo Heroum vultus Annuli Palâ claudimus, nullâ Majeſtatis eorum injuriâ, & orbis Imaginem in anguſto pulveris Abaco radius deſcribit, ita *Ludovici* Magnitudinem

in hoc Breviarium compingimus juſta volumina impleturam. Sub matris Auſtriacæ cura adoleſcentem Rudolphus Frater natu major, & per omnem illi vitam iniquus, in Provinciarum primùm ſortitione circumſcripſit; ex Arce deinde Schiltpergia cum Matre extractum Monachium abduxit, & Præfecto rei familiaris per ſummam injuriam occiſo, ſub perſona Tutoris omnes acerbi hoſtis partis implevit. Ætatis beneficio fratris violentiæ ereptum, altera tutela, velut fato quodam, magnis inimicitiis & gravi bello involuit. Otho Patruelis ejus ad capeſſendum Vngariæ Regnum vocatus, mirabili viciſſitudine è Solio raptus in Carcerem, eodem anno coronam & compedes tulit. ægrè ab iis extricatus patriæque redditus, Fortunam, cui nuper deridiculo fuerat, tentare iteratò inſtitit, infeliciore audacia, quam mors & tumulus caſtigavere, cùm ante tredecim non ampliùs dies Henrici filii pater effectus eſſet. Tutorem illi moriens *Ludovicum* nominavit,

Lands-

Landshutanis & Straubingenſibus ſacramento adactis, ſententiâ ſuâ ſtaturos. Procerum nonnulli in Auſtrios proniores, Fridericum cognomento Pulchrum ad Tutelam invitârunt. adverſus quem cùm *Ludovicus* jus ſuum verbis tueri non poſſet, ad bellum ventum eſt, quo gerendo *Ludovicus* ſuorum Majorum gloriam egreſſus, ad veterum Heroum famam pervenit. Quadringentis non amplius ex omni exercitu lectis rectà in hoſtem profectus, vbi comites conſilii participes fecit, tantâ omnium animos fiduciâ implevit, vt beneficio nebulæ, quæ abſcondendo furto militari divinitus ſuperfuſa videri poterat, noluerint vti, excitato potiùs ad pugnam hoſti ſpatium vltro ad inſtruendam aciem largiti, quaſi non victoriam ſed mortem quærerent. pugna oſtendit incomparabili virtuti id theatrum & ſpectatorem ſolem debitum fuiſſe. Tantilla manus Vngaros Auſtriósque cecîdit. Fugitivos ſolutus Ambronis pons ad victoris arbitrium retinuit; quos *Ludovicus*, pacis a-

mantior quàm ſpoliorum, inviolatos ſine cenſu dimiſit, plebeiis judiciis facilitatem ejus accuſantibus, quod deſquamare tales *Auratas* oblitus eſſet. Sed nimirum ejus Victoriæ fructus Imperium fuit, eodem Anno MCCCXIV. *Ludovico* non ambienti delatum. Integri intactíque ab ea cupiditate animi ſubtile experimentum primus ille ipſe Fridericus, cujus copias nuper profligaverat, cepit. hic enim cùm vnum hunc competitorem metueret, per ſimulationem ſtudii, quod Candidato paratum offerebat, alia omnia cogitantis modeſtiam eſt expiſcatus; de qua vt toti orbi conſtaret, illis quoque, qui conſenſum ſuffragiorum ad eum gratulabundi detulere, Juventutem ſuam & fortunam anguſtæ domûs in Romanæ Aquilæ nidum non ſufficientis, aliáque plura tamdiu conſtantiſſimè oppoſuit, donec legationis princeps, vnde vnde capto præſagio, palàm aſſeveravit, aut *Imperaturum* aut *Periturum*. qua demum voce excitatus *Ludovicus* renunciari Patribus juſſit, in-

co-

eorum ſe poteſtate futurum: à quorum inſigniore numero, Petro Moguntino ſcilicet, Balduino Trevirenſi, Joanne Bohemiæ Rege, Waldemaro Marchione Brandenburgico, & Joanne Saxoniæ Duce xx. Octob. Cæſar ſalutatus eſt, cùm Frater ejus Rudolphus ęmulis omnibus pertinacior cum Colonienſi, & Rudolpho Saxone itémque Henrico Carinthio id nomen Friderico Pulchro impoſitum vellent. Et factio orbis ſtudia diſtraxit, quódque fœdius eſt, etiam Sicarios in *Ludovici* caput armavit. Alzeienſis Diſcophorus cum baliſta manuali & Sagittis veneno illitis, iis ipſis prodentibus, qui paricidæ arma animóſque dederant, primis aditæ dignitatis diebus deprehenſus, impii conatus pœnas exoluit. Monachium ſubituro *Ludovico* Rudolphus frater ſeria odia mimicâ pompâ oblevit; ſed paulò pòſt merita ſua reputans, fratríſque animo diffiſus vrbe ſe proripuit, donec Conrado Friſingenſi Epiſcopo interprete fratri eſt reconciliatus. Fœdere ſancito cùm mi-

militem ad levandam ſumptu patriam Cęſar dimiſiſſet, Leopoldus Friderici frater cum copiis ad Lycum acceſſit, oppreſſurus Fridbergæ imparatum, niſi Auguſtani, inclinante in noctem die, latè collucentibus funalibus, *Ludovicum* ſua vrbe recepiſſent. Illic collecto exercitu Leopoldum Puechlavię paludibus defoſſum obſedit, fame, ſi perſtitiſſet, bene maceratum confecturus. Kraffⁱtonem deinde Hohenlohium, ob faces hoſpitio ſuo ſubditas vltus, caſtrum ejus Schillingsfurtum expugnavit & incendit. Rudolphum fratrem novi fœderis oblivione ad vetera maleficia relapſum, obſidione Wolffratshuſio admota, in exilium expulit, quod illi tolerabile invidia fecit, non ſuſtinenti fratrem videre felicem. Anno xx. Auſtriis fratribus *Boicam* cum milite ingreſſis, majus Cęſari in propriis caſtris infortunium cudebatur. Conjuratum in illius caput eſt; delecta Templi ara, ad quam nobilis victima cæderetur. vagatum per omnia tentoria ſcelus ſolius

Cæ-

Cæſaris aures præteriit, militémque non ad ferendam opem, ſed fœdiſſimam fugam incitavit. Henricus adeò Inferioris *Bojariæ* Dux ita periclitantem deſeruit, vt *Ludovicus* facta circa ſe ſolitudine, priùs in quanto periculo eſſet, quàm quantum evaſiſſet, animadverterit, & illius perfidiæ, & reliquorum, quibus eum Corona objecerat, incommodorum faſtidio, impendentium etiam malorum facili præſenſione in eam ſententiam adductus, vt ſtatuerit, rejectis in ſinum Fortunæ fallacibus donis, ſeſe in libertatem aſſerere, qua ſub nomine Imperii excidiſſet, glorioſiùs exiſtimans, è faſtigio ſponte deſcendere, quàm inter præcipitia pendere ſemper cadenti ſimilem & denique caſurum. Id conſilium vt intempeſtivæ modeſtiæ & Reip. noxium cordati Viri maximis ei rationum momentis excuſſere. Peperit tamen etiam ſequens annus æquè monſtroſum nefas. Quo die Argentorati in Baſilica Cæſar adoratus eſt, hoſpitalis menſa ſanguine ejus fœdanda fuerat, niſi ho-

ſpitis fides maturo ſceleri intercesſiſſet, & de periculo admonitum furentibus ſubduxiſſet non jam cœnæ ſed animæ debitorem. Annus XXII. Beatricis Conjugis quatuor Liberorum Matris jacturam nobiliſſimâ ad Ampfingam Victoriâ penſavit. Illic partium Fortunâ peractâ, Fridericus Auſtrius cum Henrico Fr. vivus in poteſtatem venit. Joannes Bohemiæ Rex tum quidem *Ludovici* amicorum princeps, quemadmodum optaverat, ipſo Divi Wenceslai natali, libatâ divinâ hoſtiâ, pugnam auſpicatus, Scytharum Cumanorúmque miſſilibus penè obrutus, confoſſo ſub pedibus equo, & quingentis deditionem facientibus, fugæ potiùs quàm Victoriæ præluſerat. *Boÿ* equites & Henrici Inf. *Bojariæ* Ducis magnanimitas inclinatam aciem erexere: Schweppermannus *Ludovici* Legatus inſigni eam dexteritate ita convertit, vt pulverem ſolémque velut novos hoſtes in adverſa Auſtriorum ora immitteret. Burggravius opportuniſſima fraude Auſtriaca ſigna

pre-

prçferens,eóque receptus pro amico hoſtem ſtrage latè edita ſeſe probavit. quingenti etiam dedititii reſumptis animis armiſque priorem ignaviam tam ſtrenuè correxere, vt cenſeri poſſent deditionem non metu ſed conſilio feciſſe. Prior *H*enricus Friderici Fr. de Fortuna deſperavit. Fridericus omnibus maximi Ducis officiis expletis, nulla ſpe reliquâ, Alberto Rindmaulio ſe dedidit. Secutum eſt Epulum Caſtrenſe haud ſanè pro magnitudine Victoriæ. cùm præter Ova nihil ſuppeteret, *Ludovicus* ſingulis ſingula, Schweppermanno extra ordinem virtutis causâ bina decrevit, plauſibili indulgentia, qua fortiſſimus vir per omnem Vitam gloriatus *Ovationem* illam ſuo etiam tumulo juſſit incidi. Leopoldus captorum Principum frater jam illorum feſtinationem, jam ſuam tarditatem accuſans, ſera auxilia domum reduxit, ſuſpiciens nihilominus *Ludovici* moderationem, Victoriâ tam humanè vtentis, cùm vtique

ſanciendæ æmulorum capitibus potentiæ jus nactus, facere ſine invidia Victor poſſet, quod patiendum Victo fuerat. At enim illi non placuit Victoriam cœlo datam ſævitiâ corrumpere. Magnæ *Virginis* ope ex acie ſuperiorem exceſſiſſe, illuſtri prodigio demonſtratum eſt. Landishutum è prælio redeuntis equus repentè collapſus vnà cum ſeſſore ſuo obriguit. Cauſis nullis apparentibus Parcivaldus Sporneckherus ſtabuli præfectus piè veréque cenſuit, deſignatam inſolenti caſu aream *Dei Matri Boicæ* Gentis *Tutelæ* eodem jure, quo ipſam Victoriam deberi: haud dubiè Ædis illic condendæ voto ritè concepto vigorem Jumento Seſſorique rediturum. Dictum, Factum. Equus ipſe cum phaleris & ornatu regio omni Ædi in dotem ceſſit *Sattleriæ* ab Ephippio dictæ, cujus pretium inter dona eminuit. Quem maximè optabat Victoriæ fructum, Benevolentiam Pontificis, *Ludovico* ferre non licuit. Sequenti confe-

feſtim anno, in maxima publicæ ſerenitatis ſpe, gravi ſententiâ perculſus ſuæ nihilominus pietatis inexſpectato documento orbem terrarum in ſtuporem conjecit; cùm Transnitium vltro profectus Fridericum non modò libertate donavit, ſed, obliteratis inſuper offenſis, in intima àmicitiæ jura recepit, qualem inter Coronæ Rivales contrahi poſſe, nullo ævo creditum eſt.

Anno MCCCXXVII. Italiam ingreſſus in ea triennium perdidit. neque Regis Italiæ nomen cum Corona Ferrea Prid. Kal. Junii Mediolani ei delatum, neque Auguſtum Diadema Romæ è profanis acceptum manibus, quæque tempore eo omni in Toga & Sago ad memoriam inſignia egit, tanti ſunt, vt emenda *Ludovico* jacturâ Bonæ Montis fuerint, quam ſuſcepto cum Joanne XXII. legitimo Pontifice certamine odiorum ſui impos perdidit. Illud plenum humanitatis cæteróque *Ludovici* ingenio conſentaneum, quòd Papiæ Anno XXIX. prid. Non.

Non. Aug. Fratris ſui Filios Rudolphum & Rupertum, quíque ex Adolpho eorum fratre nuper extincto ipſe quoque Rupertus nomine ſupererat, diviſis ex æquo Provinciis, in omnia Principatus jura, quo Rudolphus Pater eorum, ob acerba in fratrem odia, exciderat, ipſe ſibi pulcherrimi facti Auctor reſtituit, novíſque Tabulis confectis etiam poſterorum concordiæ providit, ſi potiſſimum caput de ſuffragio ſeptemvirali alternis ferendo prava ambitio & vis non eliſiſſet. Alterum Romani Itineris innoxium monimentum Etalenſe Cœnobium poſſidet, *Dei parentis* ſtatuam ex Alabaſtrite, quam *Ludovico* in ſummis rei pecuniariæ difficultatibus neſcio quis ſive Monachus, ſive ſub religioſo ore cultúque latens Angelus obtulit, promiſſo addito, res ejus meliuſculas fore, ſi Deiparæ Ædem in Ampherangenſi fundo voviſſet. Loci indicium reduci Vendius venator fecit. *Ludovicus* obſecutus divinæ menti, Admira-

mirabili Virgini Nobile Templum ejúſque cultoribus Divi Benedicti aſſeclis domicilium ſtatuit; inter illa pietatis ſtudia honeſtiſſimis legationibus aliis ſuper alias Pontificis gratiam quacunque conditione prenſans, vt non dubitârit ſignatis tabulis, quas *H*enricus Inf. *Bojariæ* Dux Avenionem laturus erat, polliceri, ſi aliter quàm abdicatione Imperii ſatisfieri ſibi non pateretur, etiam Coronam ejus ſe pedibus ſubſtraturum. Succeſſit Joanni Benedictus XII, prono in *Ludovicum* animo, ac niſi Gallus & Apulus manſuetudini ejus pedicas injeciſſent, nihil roganti negaturus, vt qui patrocinio ejus palàm ſuſcepto non erubuerit dicere, Ægriùs Inhumanitatis cauſam dicturum eſſe deceſſorem ſuum, quàm *Ludovicum* ad vltima deductæ Neceſſitatis; quem certò ſciat, poſitâ purpurâ ſacro affuſum ſolio veniam gratiámque exambiturum fuiſſe, niſi ille Magnum Supplicem à ſuis pedibus ſubmoviſſet. Ita loquentis ſentientiſq; pietatem duorũ Regum metus,

qui-

quibus ſubinde etiam Bohemus novus ex amico hoſtis additus paria fecit, ſi non exaſperavit, ita certè obtudit, ut etiam qui proximi juere Legati Rupertus Palatinus Rheni & Guilhelmus Juliacenſis ſponſionem in omnia Pontificis vota *Ludovici* nomine afferentes, ſive abdicationem Auguſti nominis, ſive expeditionem Aſiaticam, ſive Ædium ſacrarum molitionem, ſive votivas peregrinationes ſtipéſque, aliáve piacula quæcunque nulla exceptione reſtricta imperâſſet, æqui nihil impetraverint. Eaſdem fores cùm Epiſcopi Germaniæ, adornatâ ſeorſim legatione, pulſâſſent, lacrymas quidem Pontifici excuſſere indices paterni affectûs, ſed liberam vocem mittere, aut manum tendere ſupplici non auſus, hoc tantùm ad pedes ſuos jacentibus inſuſurravit, *Ludovico* ſe bene velle, non item bene facere poſſe. Deſperatio obtinendæ æquitatis Septemviros ad ſenatuſconſultum condendum excitavit, quo ſtatueretur, Imperium Romanum ſacroſanctum & propri-

prium DEI munus nulli hominum eſſe obnoxium. Septemviralibus Comitiis ritè lectum Regem Cæſarémque jure quò qui optimo eſſe; Romani Pontificis approbationem, conſenſum, confirmationémque, vt pompas arbitrarias, ad ſummam rei & conciliationem Majeſtatis non pertinere. *Ludovicus* VI. Idus Aug. Auguſtali omni cultù conſpicuus Francofurti concionabundus mortales immortaléſque teſtatus eſt, ſibi æternis bonis, Deo, Fide, & Eccleſia nihil eſſe ſanctius; Pietatem Religionémque cum lacte imbibitam etiam ſanguine ſe, ſi opus ſit, obſignaturum. Nihilominus Pontificiis Cenſuris peti innocentiam ſuam, aliquo fortaſſe Famæ, nullo Conſcientiæ incommodo. in DEI omnia cernentis vultu acquieſcentem, impavidum inter humana odia ſtaturum. Magno deinde animorum motu preces à DEI Filio dictatas; verba item, quibus Angelus Dei Matrem ſalutavit; ſumma denique Fidei capita Apoſtolorum ſymbolis collecta voce

he-

heroica cùm recitâſſet, Septemvirale decretum publicavit. Anno XL. *Bojariæ* Inferioris Principibus fato ſublatis provincia omnis ſub *Ludovici* poteſtatem recidit; iſque confeſtim lata lege ſanxit, vt corporis iterum coaliti vnum perpetuò caput eſſet; quiſque de eo partiundo dividundóque ante vigeſimum à ſua morte annum mentionem feciſſet, hæreditate excideret. Saluberrimæ legi poſteri non paruerunt. Anno XLII etiam Tirolis ad *Bojos* rediit, Margaritæ Maultaſchiæ cum *Ludovico* Cęſaris F. nuptiis, quem Pater, Brandeburgicis Marchionibus extinctis, in ea provincia & Septemvirali dignitate ſucceſſorem ante annos novendecim dederat. Id conjugium novâ Cæſarem invidiâ oneravit, quaſi eam conditionem Filio ſuo cum aliena injuria quæſiviſſet. Joannes Bohemiæ Rex ſic loquebatur, cujus Filium, nihil Viri ſed neque ſani hominis habentem, Margarita prolis appetens res ſibi ſuas habere juſſerat, probatúmque ſacris Judicibus divortium fecerat

cum

cum ſpadone. Inde calumnia Cæſari ſtructa, vt inceſtarum auſpici nuptiarũ, auctoríque peſſimi exempli, qui ſanctiſſimis vinculis, augendæ potentiæ causâ, ruptis, Principatum Præmium Adulterii fecerit. Cæſar duratâ inter multò indigniores injurias patientiâ, hanc quoque innocentiâ fretus concoxit, causáque Principum examini ſubjectâ, quos inter Regis Bohemi Patruus fuit, eorum ſententiâ infamiam extinxit. Regi calumniæ auctori, moris magis ſui retinens, quàm quòd vllo ad id jure teneretur, pro Tiroli Luſatiam objecit, & magno inſuper argenti pondere, vt latrare deſineret, obtinuit. Patre conciliato, Carolus F. implacabili odio longè potentiores machinas *Ludovico* evertendo intendit. Cùm Benedicto Clemens ſucceſſiſſet, ille ipſe, qui adhuc Rothomagenſis Epiſcopus Franciæ & Bohemię Reges in *Ludovicum* incitaverat, & huic ipſi Carolo Pontificatum ſibi deſpondenti Imperium alternante præſagio addixerat, mirum non eſt, illum pro

oraculi ſui fide laborare non antè deſiiſſe, quàm Carolum in *Ludovici* ſolium impoſuiſſet. Tentata eſt tamen etiam hujus, quam nomine promittebat, Clementia, Legatíque miſſi, qui ſi decidere aliter non poſſent, qualemcunque Reconciliationis formulam à Pontifice referrent: quæ cùm triſtiſſimis gravida conditionibus denique prodiſſet, Cæſaríque præter confeſſionem læſæ pietatis, neceſſitatem ejurandi Imperii & expectandorum, quæ Pontifex de capite, Liberis, fortunísque ejus feciſſet, arbitriorum impoſuiſſet, acceptata nihilominus eſt, & Cæſaris manu ſubſcripta, ipſo legislatore ad tam acerbi imperii patientiam obſtupeſcente. Id per Germaniam divulgatum mirificos in libera gente motus excitavit. In maximo Principum, quíque ex vrbibus miſſi aderant, Legatorum conventu, renunciatum Cæſari eſt, contra Remp. facturum, ſi per ſpeciem pietatis vnà ſecum Imperium ſub jugum traxiſſet. Germanicum omne nomen interceſſurum Ponti-

tifi-

tificię Sententiæ videbatur, niſi Joannes Bohemiæ Rex conſenſum illum animorum, refricandis veteribus cicatricibus, ſolviſſet. Legatio tamen obita à ſummis viris hoc plus prioribus egit, quòd qualicunque pendentes filo *Ludovici* ſpes planè abrupit. Pontifex Anno XLVI. Idibus Apr. omnia Joannis XXII. arbitria rata habuit, & Electoribus, vt aliud Imperio caput imponerent, ſi ſalva ſibi ſua jura vellent, imperavit. Pontificis auctoritas & multò validius Bohemi aurum Electores pleroſque labefactavit. Julio Menſe detractum *Ludovico* Auguſtum nomen & Carolo impoſitum. Nuncio exauthorationis in Tirolim allato *Ludovicus*, ex ſuo candore amicos æſtimans, diu fidem non habuit. regreſſo in interiorem Germaniam civitates pleræque operam ſuam addixere. Jactura Coronæ, ad hæredes non tranſituræ, eo ipſo annò majoribus acceſſionibus potentiæ penſata, Hannonia, Hollandia, Zelandiáque &

S 2 Fri-

Friſii *Ludovici* Conjugi & communibus liberis ſacramentum dixere; cùm interim Carolus ambitionis ſuæ præmia è Creſciacenſi pugna terna vulnera, ex Italia & Tiroli inhoneſtæ fugæ dedecus retuliſſet. Conflagraturæ inteſtino bello Germaniæ Mors Cęſaris v. Oct. Anno MCCCXLVII. obita conſulvit. à Johanna Ferretana venenum ei propinatum, graves auctores tradidere. id dum equeſtri agitatione diſcutere necquidquam laborat, feræque veſtigiis imminet, ſuperante vi mali, effuſus in terram agreſtis hominis ſinu excipitur. hîc rerum omnium præterquam æternitatis immemor, dum vltima cœlo vota inſerit, & DEVM Judicem Clementiæ, Patronam Virginem Miſericordiæ admonet, vivere deſiit, æquiores haud dubiè Superos quàm homines expertus; cùm illi juſtiſſimas iras ſuſpirio condonent; mortalium odiis vix tandem morte ſit ſatisfactum. Monachium deportatum Mariana Ædes excepit nobile pignus magnitudinis ſuæ,

in

in quam poſtea excrevit ampliſſima totius *Bojariæ* Baſilicarum. Humiliùs ſitum Avus tuus, *Maximiliane Emanuel*, Mauſoleo abſolutiſſimæ artis ſplendoríſque verè Regii intulit, cui Trophæum, quod cæleſtes ei manus ſtatuêre, adjungimus. In ſaltu Norimbergico aream ſacri Parthenonis circumſcribere aggreſſum, Aves exoticis modulis ad proceram quercum traxere. Illius cacumini Triumphalis Crux cæleſti decora luce incubuit. Eam Cæſar religiosè veneratus, impacta in ominoſam quercum ſecuri, initium fecit cædendæ ſylvæ, locóque nomen ex Crucis imagine & ſtrata quercu *Pildenreuto* dedit. Reliqua pietatis illius monimenta, compendio non narranda, in pręmiis divinę Beneficentiæ rectiùs agnoſcentur. Cæſareum nomen, Brandeburgenſis limes cum Septemvirali dignitate, & annexa Luſatia, Tirolis, Hannonii, Hollandi, Selandi, Friſiíque illuſtria Rhombis *Boicis* incrementa *Ludovico* auſpice acceſſe-

re, æterna futura, ſi in Maximi Princi-
pis Pòſteris non ſubinde Virtus, ſæ-
piúſque Fortuna nu-
tâſſet.

STE-




VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# STEPHANUS LUDOVICI CÆS. F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMUS PRIMVS.

*Tene etiã in Patrios Sors expulit improba fluctus?*
*Heu mihi! jam rimas prodita navis agit.*
*Nec monſtrat Cynoſura viam; ſed blanda vi-*
*Siren delicias, te pereunte, facit. (ciſſim*
*Luderet illa operam, ſi te reperiſſet Vlyſſem,*
*Et nimis aurito cera tuliſſet opem.*
*Nunc malè firmatũ Bella in Muliebria,* Bullæ
*Quàm facile eludent,* Carole quarte, *tua!*
*Quarum quæ dici vult* Aurea, *debita* Boiis
Aurea Poma *meis, ſed ſine jure tulit.*
*Defendit q; nefas prope per tria ſecula, donec*
*Correcta eſt* Ferro, Maxmiliane, tuo.

S*Tephani* vultum ſpectandum damus, cui è Senis Ludovici Filiis propagatio Cæſarei ſanguinis locum inter Majores tuos aſſignat, *Maximiliane Emanuel.* Rebus illius geſtis etiam fraternas miſcebimus, ex altero ſexu ſaltem *Agnetem* non præterituri, quæ Sororibus qua-

ternis ſplendida conjugia ſortitis, ipſa cum Deo in manum convenit, & cùm omnia decora in Imperatoriam domum immigarent, *Divæ* nomen populari ſuffragio in eandem intulit. Cum Ludovico Marchione Brandeburgico, *Stephano* & Mechtilde Friderici Miſnii conjuge ex Beatrice Polona nata florem ætatis pudoríſque Angerano Parthenoni dedicavit. Patre mortuo, de ea mortalibus nuptiis illiganda prępoſtera cura ſuſcepta eſt; ad quarum mentionem conſternata Virgo in Aſylum Pudicitiæ, ſinum ſui ſe *Sponſi* conjecit, intimam amplexa Aram & cæleſtis Hierothecæ Sacrarium ſtringens brachiis votum nuncupat, Morituram ſe potiùs, quàm, repudiato Dei Filio homini Nupturam. Id *Sponſus* ratum habuit, & in eodem veſtigio quinque fatalibus Maculis inſignito Virginis corpore, velut Amoris Stigmatibus obſignavit; Mors brevi ſubſecuta implevit, quod terris relictum eſt, ſociæ Virgines pro Theſauro colunt. Ex Margarita Hollanda Ludovicus Minor Ro-

mæ

mæ natus, indéque Romanus dictus. Otho prętera, Wilhelmus & Albertus. Filiæ Magarita, Anna & Eliſabetha. Ludovico Filiorum Maximo Provincia primùm Brandeburgenſis cum Septemviratu; & ex ſecundo cum Margarita Maultaſchia Conjugio Comitatus Tirolenſis, cum Carinthii principatus Jure, Patre inaugurante, obvenere. Bella, vivo Patre, plura geſſiſſe comperio, ſed nullum majore, quàm Pruſſicum, famâ, adverſus gentes à Chriſto etiamnum alienas ſuſceptum: quo dum diſtinetur, Carolus Bohemus ſub Mercatoris habitu, qualem quidem emendo ſe Imperio præſtiterat, Tirolim penetravit, contractiſque Italicis auxiliis magna ejus parte eſt potitus. Tumentem ſucceſſibus Ludovicus Pater filiúſque brevì ad modeſtiam revocarunt, nullo illum loco paſſi conſiſtere. Paulò ante mortem Patris, Octodecim Sveviæ Regulis ab eo ad Carolum deficientibus, Vindicta Perfidiæ Vrbibus demandata; vniverſis Copiis *Stephanus* præfectus eſt. Patris juſſa exe-

quenti ejuſdem Mors manum inhibuit. Carolo nihilominus æmuli quæſiti, ſed extra Ludovici domum, detrectantibus ſine dubio filiis objicere caput fluctibus, quibus frangendis neque Patris robur ſuffeciſſet. Cæterùm plebeia ſuffragia non aliò tendebant, eóque ſolo nomine concitata Norimbergæ in Optimates ſeditio eſt, quòd ad Carolum omnia traherent, in Ludovici ſanguinem ingrati juxta injuriique: eóque proceſſit popularis æſtus, vt patricium omne nomen de ſalute ſua periclitaretur. Ludovicus, pro quo potiſſimùm nitebantur, immodica ſtudia grata non habuit, ſponte poſiturus hæreditarium Caroli odium, niſi, quo tempore ſummis viris annitentibus Paſſavii de amicitia redintegranda actum eſt, ad evertendum *Bojorum* in Belgio imperium, & Ludovicum ipſum Brandeburgico Principatu ſpoliandum fœdis Carolum graſſari artibus percrebuiſſet. Pudet Fabulæ, quam adjutoribus Saxone & Magdeburgio in Ludovici perniciem Cæſar Mimus eſt commentus.

tus. Molitorem non peſſimi vultûs, cóque ingenio, quo mentiri Principem poſſet, Waldemaro Brandeburgico, ante XXVIII. annos mortuo, oris imagine ſimilem mobili ad omnem novitatis auram Populo pro Waldemaro venditavit, & ſuffulta magnis opibus Piſtrinenſi ſcena *Boijs* fratribus bellum in plures annos concivit; quod etſi cum Molitore geſtum eſt, glorioſius tamen iis fuit, quàm quod Wilhelmum eorundem fratrem in Margaritam Matrem armavit. Batavis ejus nomine jus dixerat ſine offenſa, quamdiu intra vicarii limites imperii ſe continuit. ſimul hos egreſſum Mater credidit, imperantium concordia hoſtili odio mutata eſt; quo efferata Mater filio denunciavit, Curæ ſibi fore, ne integer periret, ſed in quatuor diſtractum partes quamprimùm aſpiceret. Ad ea Wilhelmus id tantum; Optimæ Matri ſe Vitam debere. litem ſibi cum ea nonnullam, nullum bellum eſſe. in Matrem ſe gladium non ferre, multò minùs ſtringere; neque victoriam aliter expoſce-

poſcere, quàm vt cum Matre triumphet. Orationis modeſtia cauſam illius Superis probavit, victoriámque ex navali prælio aſſeruit. Pax & Amor anno LII. coaluere: quo tempore Fratres Provincias inter ſe, quod jam antè voluntatis paternæ immemores tentârant, nova ſortitione partiti ſunt. Anno LIII. graviſſima clades totam Ludovici Poſteritatem afflixit. Eo anno Rudolpho Palatino *Bojorum* Fratrum Patruele mortuo, Septemviratus iiſdem ex Ticinenſi fœdere debebatur. Teſtatiſſimum jus Carolus Imp. evertit, & Rudolphi Fratrem Rupertum ea dignitate auxit, útque injuria perpetua eſſet, adductis in eandem ſententiam Septemviris, Norimbergæ Senatuſconſultum condidit, ne præter Palatinatus Rhenani poſſeſſores in Electorum Collegium Archidapifer futurus vnquam cooptaretur. Ludovicus adeò Romanus ipſe quoque Ludovici Cæſ. F. & Ludovico Brandeburgico in adminiſtratione provinciæ ſuffectus, tantum abeſt, vt intercesſerit, vt iiſdem

Ta-

Tabulis incredibili vecordia calculum adjecerit, tantò minore poſteritatis curâ, quantò manifeſtiùs aliàs quoque à Fratribus diſſidebat. Anno LVII. perfidiâ Petri Eckheri novæ turbæ domi natæ. Stauffiam arcem velut Clavem *Boica* Carolo Cæſari in manus tradiderat, & hoc ſcelere, & icto cum impari fœdere proditæ aut certè prodendæ Patriæ ſuſpectus. *Stephanus* & Albertus Fr. qui Eckherum propè Patris loco obſervaverat, eo Naterbergæ obſeſſo, ardebant in vindictam, majore ira, quàm quæ parentum precibus pro ſalute Filii ſupplicantium condonaretur. Duravit tamen vſque ad Caroli adventum Eckherus; qui Danubium ad Stauffiam arcem transgreſſus, corruptis auro, qui caſtra Principum ſequebantur, proceribus, obſidionem enervavit. Plerique jam ore quàm manu promptiores pro obſeſſo perorabant. Tot Patronis ſublevato vitæ, & pro ſe loquendi gratia facta eſt. quærenti verba, quibus Innocens videretur,

tur, ſua mors ſilentium impoſuit. Proximo confeſtim anno aliud res *Boicas* fatum verſavit. Wilhelmus inter fratres jam ſæpius nominatus mente excidit; prohibitúſque publico, in decimum nonum annum Vmbra Principis vixit. Albertus pro eo rebus agendis admotus, vltimus fratrum Anno MCDV. deceſſit. Ludovico Brandebürgico & Tirolenſi Anno MCCCLXI. Philippus Villanus eorum temporum æqualis propinatam à Conjuge Mortem tradidit. Menhardum Filium & provinciæ hæredem Tutores, mite nomen & paterno proximum, peſſum dedere. Ex *Boijs* proceribus terni vltima Ludovici juſſa jactantes pupillum in poteſtatē adduxerant, *Stephano* ejus Patruo & Ruperto Palatino Rheni tutelam jure ſanguinis ad ſe trahentibus, ſponte nunquam ceſſuri, neque ab aurea meſſe aliter quàm vi depellendi. quamquam eam quoque adeò non metuebant, vt *Stephani* filium Fridericum nacti ducem eam

in-

inferrent priores. Acerbum *Stephano* fuit, Pupillo & Filio iratum armatúmque occurrere: ſed neque illi talem videre ſuſtinuerunt, ſolâ adventus ejus famâ ab obſidione Kottingwerdæ rejecti. Menhardus ad Burggravium Norimbergenſem fugam intendit. Bertholdus Aichſtettenſis ejuſdem familiæ acceptum in fidem patriis montibus redditurus, mutato corporis cultu, Vohburgi cum per Danubium traduxit. Agreſtes agnitum excepere. Menhardus ſub Patruorum cura pupillares annos agere juſſus, ingratæ ſpeciem ſervitutis brevì iteratâ fugâ excuſſit. ſed majus faſtidium domi maternos averſanti mores obortũ, corũmq; odio reverẽtia extincta eſt; quin adeò cum Matre jurgatus quęrere ſuſtinuit, quid illi deberet, quæ ſuum ſibi Patrem eripuiſſet? Mulier ſauciata dicto, quod itidem Villanus prodidit, ad eaſdem ſcilicet artes rediit, quas ſibi ſenſerat, à Filio exprobrari. Paulò pòſt miſero juveni longa collectam ſaltatione-

ne ſitim confeſſo, venenum & hanc & vitam extinxit. Facinus anno ſexageſimo tertio Februario menſe patratum *Boij* fratres *Stephanus* & Otho, qui Ludovico Romano jam defuncto in Septemviratu ſucceſſerat, vlturi militem in Tirolim deportârunt; cùm Maultaſchiam Rudolphus Auſtrius, cujus ſoror Menhardo deſponſa fuerat, jam cum provincia in fidem accepiſſet. & Oenana quidem valle potiti ſunt; ſed Sterzingæ iniquitate locorum abſterriti conſtitere. Arnbeckhius domeſticus ſcriptor in famam Maultaſchiæ timidiùs invectus, de veneno tamen Conjugi & Filio cocto confitetur; evocatum nihilominus *Stephanum*, velut provinciæ ab ea imponendum. at illum neſcio quibus ludis choriſque Haidelbergæ paratis inhiantem tempori defuiſſe, & irritabilem fœminam fruſtrando, Tirolim ſcilicet deſaltâſſe. Bellorum ſimultatúmque inter vtramque gentem neque Maultaſchia neque Rudolphus finem

nem videre. Sexageſimo nono anno Schärdingæ pax conſtituta eſt. *Stephanus* & Albertus frater cum poſteritate omni Tiroli ſe abdicarunt. Centum iis & ſedecim aureorum millia ſolatium jacturæ depenſa. Septuageſimo Tertio anno naufragium multo fœdius Septemviratum Brandeburgicum, & quidquid terrarum ei juriúmque annexum fuit, *Boÿs* abſtulit. Addictum pretio Carolo Cæſari, vulgaris error eſt; cùm is ferro veriùs quàm auro licitatus ſit, quódque *Boÿ* Principes facturi ſponte nunquam fuerant, cum inſigni equitatu provinciam ingreſſus, imparatis terrore armorum extorſerit. Fridericus enim *Stephani* F. ab Othone Patruo eodémque Cæſaris Genero illic cum imperio relictus, ſecurus belli munia pacis exercebat, nulla re inſtructus, præter recens icti fœderis tabulas, quas ex improviſo irruenti obijceret: in quibus cùm nihil ei præſidii adverſus iniquitatem Cæſaris eſſet, ſerviendum ſcilicet tempori

T fuit,

fuit, cedendúmque fortiori. A pactis, quæ paciſcentium pudor ſuppreſſit, ad nundinationem ventum Carolus Mercator dici non ſuſtinens, Wenceslai F. nomē ſubſtituit; qui ipſe quoque Tabulis publicis Mercimonium profiteri non auſus, Othoni hæredibúſque centum aureolorum millia, causâ tacitâ, non tamen præſentaria objecit, oppigneratis Vrbibus, quarum fide, *Boÿs* Principibus de annuis vſuris caveretur, de ſorte non niſi quatuor aureolorum millia numerata. Semptemviri & Archi Camerarii nomen, quoad viveret, Othoni relictum, irritamentum magis quàm ſolatium doloris. Reliquum vitæ ejus ignavo otio & pudendis amoribus novitii ſcriptores infamant; id enim vnum deerat à Cæſare circumſcripto, vt fortunis exutus, Bonæ etiam Famę poſſeſſione arceretur; cùm non deſint veſtigia inſignium operum, qualia luxu inertiáque marcidi non ſuſcipiant. Nam & reductæ in Italiam pacis & conciliatorum

tum Pontifici Mediolanenſium laudem ſoli Otho & Stephanus *Stephani* F. tulere; quorum etiam ſacramentum legitur, ſuam Pontifici operam adverſus quemcunque hoſtem addicentium. Oſtendit inſuper *Ligsalzia* Familia, inter Patricias Gentis noſtræ ampliſſima, documenta Hieroſolymitani itineris ab Othone & Stephano ſuſcepti, & evitatæ inter barbaros enſes mortis; cùm Saracenis proditos Pennitus ſectâ Hebræus, tempeſtivo indicio ad *Ligsalzium* Principum comitem Monachii olim agnitum delato, ſervâſſet. Iter iis ad fugam *Deipara* aperuit, ſimul ac Otho Ædi ejus Ramerſtorfiæ *Crucis* ſegmentum, quod auro cluſum de collo ſuſpenderat, devovit. Mox enim ſecundi venti, vt miſſos à Cœli Regina crederes, navem dominóſque ab infido littore abſtulere. Othonem itaque hic tam luculentus cælitum favor adverſus iniqua judicia aliquà tuebitur. Hominum temporúmque iniquitas, quæ illi Fra-

ſuit, cedendúmque fortiori. A pactis, quæ paciſcentium pudor ſuppreſſit, ad nundinationem ventum Carolus Mercator dici non ſuſtinens, Wenceslai F. nomẽ ſubſtituit; qui ipſe quoque Tabulis publicis Mercimonium profiteri non auſus, Othoni hæredibúſque centum aureolorum millia, causâ tacitâ, non tamen præſentaria objecit, oppigneratis Vrbibus, quarum fide, *Boijs* Principibus de annuis vſuris caveretur, de ſorte non niſi quatuor aureolorum millia numerata. Semptemviri & Archi Camerarii nomen, quoad viveret, Othoni relictum, irritamentum magis quàm ſolatium doloris. Reliquum vitæ ejus ignavo otio & pudendis amoribus novitii ſcriptores infamant; id enim vnum deerat à Cæſare circumſcripto, vt fortunis exutus, Bonæ etiam Famę poſſeſſione arceretur; cùm non deſint veſtigia inſignium operum, qualia luxu inertiáque marcidi non ſuſcipiant. Nam & reductæ in Italiam pacis & conciliato-

rum

tum Pontifici Mediolanenſium laudem ſoli Otho & Stephanus *Stephani* F. tulere; quorum etiam ſacramentum legitur, ſuam Pontifici operam adverſus quemcunque hoſtem addicentium. Oſtendit inſuper *Ligsalzia* Familia, inter Patritias Gentis noſtræ ampliſſima, documenta Hieroſolymitani itineris ab Othone & Stephano ſuſcepti, & evitatæ inter barbaros enſes mortis; cùm Saracenis proditos Pennitus ſectâ Hebræus, tempeſtivo indicio ad *Ligsalzium* Principum comitem Monachii olim agnitum delato, ſervâſſet. Iter iis ad fugam *Deipara* aperuit, ſimul ac Otho Ædi ejus Ramerſtorfiæ *Crucis* ſegmentum, quod auro cluſum de collo ſuſpenderat, devovit. Mox enim ſecundi venti, vt miſſos à Cœli Regina crederes, navem dominóſque ab infido littore abſtulere. Othonem itaque hic tam luculentus cælitum favor adverſus iniqua judicia aliquà tuebitur. Hominum temporúmque iniquitas, quæ illi Fra-

tribúſque incubuere, opprimendæ quantęcunque virtuti ſuffeciſſent. Vivere Otho Anno MCCCLXXIX. deſiit, biennio poſt *Stephanus* frater; inter cujus laudes non immeritò pulcherrimum, & dignum *Patre Patriæ* juſiurandum in Comitiis Landshutanis ex ejus ore exceptum referas, quo fidem ſuam Provinciȩ obſtrinxit, Tributi ſe nullius Auctorem Exactorémque fore, dignus vel ob hanc humanitatem, cujus poſteritas perennaret. Wilhelmus, Ludovicus Romanus, & Otho lîberorum nihil tulere. Ludovici Brandeburgici Menhardum jam extulimus. Stirps Alberti in tribus filiis & vnica nepte exaruit. Belgicæ provinciæ vigeſimo ab ejus morte anno Dominos mutârunt, à *Boÿs* ad Burgundiones, ab his ad Auſtrios translatæ. ſic eunt humana. Tres nobiliſſimos Principatus Ludovicus Cæſar *Boico* adjunxerat. ex iis Brandeburgicum Filii; Tirolenſem Nepos; Belgicum Proneptis fato magis

ſuo,

ſuo, quàm vitio, amiſere

*nimium vobis* jam Boja *propago*
*Viſa potens Superi, propria hac ſi dona fuiſſent.*



# JOANNES STEPHANI F. LVD. CÆS. N. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMVS SECUNDUS.

*Cordi Bella tibi, teneræ quibus ira Dianæ*
*Sufficit, atq; hoſtē Cerva Lepúſq; parit.*
*Culta ſimul Pietas; ſed culta eſt* Mure *Magiſtro;*
Mure *Magiſtro aliquid mirius Orbis habet?*
*Ille tamen Divûm latitantia Lipſana primus*
*Defoſſáſq;* Sacro Monte *refodit* opes.
*Non puduit* Bojos *ignobilis Indicis. Auri*
*Viſa eſt ex illo vena patere die.*
*Rimata eſt Pietas latebras, & adorat in Auro,*
Muſcule, *nunc Merces, officioſe, tuas.*
*Indis Formicis ſervet cuſtodibus aurum;*
*Altiùs imò etiam defodiantur opes.*
*Sed Gazas Pietatis humi latitare, pudendū eſt;*
*Has quocunq; potes,* Muſule, *prome cavo.*

ETernis Stephani Filiis *Joannem* natu minimum venire in cenſum Majorum tuorum voluit Deus, *Maximiliane Emanuel*; quem cum Fratribus ſua ætas ita compoſuit, vt Stephanum Belli-coſi-




NAPOLI

coſiſſimum, Fridericum Prudentiſſimum, *Joannem Mitiſſimum* appellaret; etſi neque huic Bellicæ, neque Stephano benevolentię conciliatrices artes defuere; vt olim apud Mediolanenſem Vicecomitem, ſuum & Friderici Fr. ſocerum gloriari auſus ſit, eo in ſe animo *Bojos* ſuos eſſe, vt in nullius eorum ſinu noctē exigere ſit dubitaturus. ſub Annū MCCCLXXII. cum Auguſtana Republ. colliſus in tertium vſque annum Incendiarium Bellum geſſit; quòd hoſtibus paria facturus flammâ ſæpius quàm ferro vteretur, tantò majore damno ſuo, quantò plus perire illi potuit, quàm Vrbi. Inter alternantes injurias locum pietas prodigio occupavit. Chriſtianus Fraunbergius acerrimus bellator & *Bojorum* Hector, ſuperante hoſtium multitudine, cum Wilhelmo Fratre compulſus ad fugam, ſalutem, in pedibus equi ſitam, ab eodem raptus ad Iſaram neceſſariò in littore deſponſurus fuerat, niſi vitandi, qui tergo imminebat, hoſtis, vadíque aperiendi deſperatio vlti-

mæ eum ſpei admonuiſſet. Ilico *Deiparam* inclamans, ſi eius ope adverſam cum fratre ripam tenuiſſet, Beneficii accepti memoriam Templo eius Nomini poſito commendaturum ſe poſteritati ſpopondit; votique damnatus Littoralem Divæ Ædem *Thalkhirchiam* dictam familiarem Viatoribus, quibus pietas cordi eſt, ſeceſſum ſtatuit, Aſcetas etiam, qui incolerent excolerentque, additurus, ſi Patria ad debellandos Turcas Anno XCIV. profectum, recipere fortiſſimum Virum meruiſſet. Pacem inter Principes & Remp. Auguſtanam Marquardus ex Auguſtano Epiſcopo Patriarcha Aquileienſis ſanxit, Anno ſeptuageſimo quinto; Conrado Freibergio, qui adulterinâ Epiſtolâ Böracho Hebræo inſcriptâ bellum illud concitârat, opportunè mortuo; cuius Vxori Liechtenbergæ ad Lycum manifeſtè furenti cùm ſacris carminibus ſubventum, quinque infernis hoſpitibus profligatis, crederetur, tamen qui ſtationem pertinaciùs tutati ſunt, fauces eli-

ſere.

ſere. Anno MCCCLXXVII. Fridericus Joannis Fr. Vlmenſibus Caroli Cæſ. & Wenceslai F. recens coronati arma copiáſque contemnere auſis inermis ipſe ferociam excuſſit; & Civitatibus Imperii à Wirttenbergenſi Regulo & fœderata eidem nobilitate capitali odio diffidentibus, inducta injuriarum oblivione, pacis arbiter otium reddidit; quod etſi Wirttenbergicus rurſum turbavit, ſua nihilominus operę gratia conſtitit, & Duodecim Vrbium Præfecturâ à Carolo Cæſare, paulò antequam in fata concederet, remunerata eſt. ſub filio ejus Wenceslao tota ferè in factiones diſceſſit Germania; Civitatibus ad tuendam libertatem, Principibus ad proferendam potentiam vires opéſque conferentibus. Quę inter Principes Leonina dici voluit, Albertum Auſtrium, *Bojos* Fratres, Argentinenſem, Auguſtanum & Ratisbonenſem Epiſcopos, Eberhardum Wirttenbergenſem & öttinganos Dynaſtas arctiſſimo fœdere colligavit. ſolus inter ſacros Principes Pilegrinus Puechaimi-

us Salisburgenſis Antiſtes, popularitatis ſtudio & *Bojorum* Principum odio, ad plebem tranſiit, eaque diſceſſione Patriam inteſtino Bello involvit, omnibus ex æquo, ſed auctori ſuo in primis noxio. hic enim Raittenhaslachii cum Stephano Duce ad finiendas Inimicitias congreſſus, à Stephani Fratre Friderico, qui in medium conſulentibus intervenit, Burghuſium captivus abductus eſt. Id anno octogeſimo ſeptimo factum; cùm biennio antè etiam Monacenſes ſuorum Principum offenſam cæde egregii Viri iiſque peraccepti incurriſſent. Miſſus confeſtim Fecialis, luendę vel vindicandę injuriæ nuncius, ejuſdem auctores jam ſibi factóque ſuo iraſcentes ſolicitudine implevit. quærentibus receptum ad gratiam imperatum, vt centeni Cives Dachavium inermes prodirent, & arbitria Principum ſupplices de genibus acciperent. Caſtigatos, quæq; meruiſſent, admonitos, Principes paulò pòſt in vrbem ſecuti ſunt. Adventantibus melior ſexus pleno agmine

ne ſordidatus occurrit. Delicti gratia non antè facta, quàm vectigal in commune ærarium inferri ſolitum Principibus vrbs ceſſiſſet; novi præterea Caſtri moliendi, & aperiendæ, quo loco iis videretur, Portæ poteſtatem feciſſet; mulctæ denique nomine ſena aureorum millia Ducibus, bina millia familiarium intimis numeràſſet. Eodem anno Barnabos Vicecomes Mediolanenſis, Stephani & Friderici Frr. ſocer, à Joanne Galeatio Fratris F. imperio crudeliter & avarè exercito dejectus, tandem etiam in carcere, veneno Faſeolis ſuperfuſo extinctus eſt; quàmque ex ejus filia Thadæa Stephanus tulerat, Eliſabetha Carolo VI. Galliarum Regi vxor futura adducta eſt: in qua cùm omnia ſui ſexûs decora vſque ad miraculum ineſſent, dotem ſponſus ſocero comiter remiſit, affirmans, quæ ſic morata veniret, dotatam ſatis eſſe. Annus LXXXVIII. mutuis cladibus Fœderatarum Vrbium iiſque infeſtorum Principum opes detrivit. XVI. Kal. Feb. Stephano & Frideri-

derico Fratribus, per Fecialem Tabuláſque Vlmæ ſignatas bellum indictum, erepta Salisburgenſi Epiſcopo Libertas, illata Norimbergæ, Ratisbonæ, Gamundiæ, Memmingæ, Auguſtęque ſociis Vrbibus damna exaggerata ad invidiam, conciliandúmque vindictæ nomen æquitatis. Octavo poſt denunciatas inimicitias die, Equites bis mille quingenti, peditum quinque millia *Bojariam* indefenſam peſſimis modis multarunt; crudelitatis & avaritiæ exemplis, velut continente incendio, Ratisbonam vſque propagatis. Illic Danubium tranſgreſſos & perſeverantes furere, altiſſima nix, quanta ab annis xx. non ceciderat, diſſipavit. Inultos domum rediiſſe Zinggius ſcripſit. Noſtri Stephano Duci pœnas dediſſe glorioſiùs, ſi non veriùs, prodidere. Proximum impetum Möringana Arx excepit, egeſtis opibus, quæ ingentes illic repertæ, ab Auguſtanis exuſta. Stephanus cum Vdalrico Wirtembergico trans Lycum profectus vicem iis reddidit; & à Kauffbura cum

dede-

dedecore rejectus, iram in loca injuriæ opportuniora exoneravit. aliàs prædatoriç turbæ, auſpicia illius & ſubinde etiam ſigna jactantes, rixis veriùs quàm prœliis omnia illo anno inquieta reddidere. Pecus abegiſſe pro Triumpho fuit, totúſque victoriæ fructus: vtque ex vno omnes æſtimes; Warmundo Bienzenavio claris natalibus viro ad gloriam valuit, cum viginti non amplius Juvenum manipulo ad ipſa Auguſtanæ vrbis mœnia ſex currus fœno onuſtos inflammâſſe. Septembri menſe *Boicum* omne Nomen in armis fuit. Spes rei bene gerendæ, pro magnitudine apparatus, ingens. Tres *Boij* Fratres Ingolſtadio, Landshuta, Monachio cum juſtis ſinguli copiis egreſſi. Stephanum & *Joannem* Ludovicus & Erneſtus filii ſecuti. Caſtra in conſpectu Ratisbonæ Vrbis poſita. Rupertus C. Palatinus, is, qui poſtea imperavit, & Albertus Straubingenſis eodem attracti. Vrbs nihilominus tot principibus ægrè in prædam ſuffectura animos non ſubmi-

ſit.

ſit, ductáque ex obſidionis languore de obſidentium alacritate conjecturâ propior laceſſenti fuit, quàm de ſalute ſolicitæ; vtique poſtquam eruptio magnis tentata animis audaciæ votiſque reſpondit. Ad Stauffiam arcem haud multò plus actum. capto oppido, ſuis illa munimentis impetum ſuſtinuit,&, graſſante in vites Milite, Pampinū Principibus non Herbam porrexit. Expeditio nulla re magis quàm magni ſceleris nobili vindicta inclaruit. Oberhauſeri fratres (Aventinus aliud iis nomen invenit) ſervulorum operâ in caſtris vtebantur, qui militari licentia ad impietatem translata, Sulzpachii ſacram Hierothecam cum divini panis Reliquiis ſpolium fecere. Andreas nebulonum profligatiſſimus triduo circumlatam involucro ſerico nudat, redactúmque ex eo pretium ſcorto pro vſura corporis proijcit, multiplicatis ſceleribus Vltori Deo, quem quaſi captivum trahebat, inſultans, donec graves illius manus ex ſubito membrorum omnium cruciatu agno-

novit; effugiendi enim occultandique quantumvis inter dumeta abjectum poteſtas non fuit. Tormenta ſilentium ruperunt. Franciſcanæ familiæ ſodalis, qui fortè in caſtris aderat, ex reo ſceleris ſuppliciique alternas vices agnovit. Protrahi è latebra impuri hominis manu, veſtigia ſua necquicquam relegentis, Deus non ſuſtinuit; digniores illius aſpectu oculi facili ad eum indagine pervenerunt. Alberti Principis Myſta ſublatum in Werdenſi ara depoſuit, cùm jam toto pondere cæleſtis vindicta in ſacrilegum incubuiſſet, & per ſingulos graſſata articulos omnia ſuis ſedibus membra emoviſſet. Retorta in tergum facies ſerò denique Juſtitiam Vindicem facinoroſos è veſtigio inſequentem reſpexit, protuberantibus oculis & in pugni molem tumidis. Narium ſpiracula fœdiſſimè hiantia utroque ſinu ſingula ova abſcondiſſent. Teter reliqui corporis color velut debiti Vulcaniis ollis; in quas eodem die nec tamen incomitatus deſcendit. Furti

par-

particeps dum potum agit heriles equos, excuſſus in Danubium,& enatare prohibitus eſt. mille mortes merito, adminicula vitæ à littore tendi indignatum ferox animal jam jam evaſuro calcibus impactis cervices fregit. Tertius eidem affinis culpæ gladio occubuit, monitor Innocentię aliis futurus, cùm lęſę ſatisfeciſſet. Vindicato ſacrilegio etiam ab armis diſceſſum eſt. Ratisbonenſes cum Principibus in gratiam reducti, reddito iiſdem ſuburbano oppido & Neoburgo Danubiano, quę pignoris loco Joannes Zengerus, cui opulentia *Aurei* cognomen peperit, poſſederat. quatuordecim Aureorum millia, quæ Duces ab eo mutuati fuerant, Ratisbonenſes vti proprium nomen luerunt. Anno ſequenti Cęſaris Wenceslai nondum planè exoleta auctoritas etiam Auguſtanos cum Ducibus diſceptare Ingolſtadii jure coëgit. Arbiter litis Joannes Leuchtenbergius lectus, Rempub. ad dena drachmarum Auri millia Duci Stephano pendenda condemnavit.

Ægrè

Ægrè quieſcenti Franciſcus Carrarius Junior in Patavini Principatûs ſpem genitus, Patre Patriáque amiſſis, opportunè ſuas calamitates commendavit, quáſque exul non potuit, Florentinorum paratas opes oſtentavit, arma in Joannem Galeatium Vicecomitem Mediolanenſem, cujus formidabilis toti Italię potentia erat, ſumpturo. Stephanus Galeatio, quod ex ipſiuſmet literis apud Corium intelligitur, ſponte infenſus, ſublevandi nobilis Clientis & ſoceri ſui Barnabovis, quem à Galeatio principatu & vita exutum ſcripſimus, vindicandi ſtudio, Carrario præire juſſo, octingentos equites, inſignem, vt tum erant tempora, manum in Italiam deduxit. & Carrario quidem Patavium vrbem Fortuna aperuit; Arcem Stephani Virtus, quod Pigna & Corius ſcripſere, expugnavit; etſi non deſunt, qui Florentinis promiſſa ſtipendia non ſolventibus, elanguiſſe in obſidione, &, dilabente patrio milite, reliquias Romam ſubduxiſſe, affirmant, indéque exacto trimeſtri inglo-

rium, octo non amplius familiaribus ſtipatum in patriam rediiſſe. Illud ab Italicis Scriptoribus præteritum Chartæ Auguſtanæ teſtantur; Veronenſes, qui ipſi quoque, exactis Scaligeris, ſub Galeatii jura reciderant, de advocando Patavio Stephano conſilia agitâſſe; quæ cùm Galeatio ſuboluiſſent, vſurpato ſæpeà magnis Ducibus aſtu, Stephani ſigna mentitus Vrbi fucum fecit. Apertæ confeſtim velut amicis portæ, non antè deprehenſa fraude, quàm cædes fieri cœpta eſt, tanta in omnes crudelitate exercita, vt quos Atheſis vrbem interlabens à laniena ſubmoverat; exemplis ad ſe pertinentibus conſternati patriâ profugerint. Ad annum octogeſimum octavum etiam Incrementa *Boicæ* Pietatis pertinent, cui inter homines inſtaurandæ, neque Muſculi miniſterium DEVS eſt aſpernatus. contemptiſſimi ſagacitate Proditoris in nobiliſſimi Theſauri notitiam perventum eſt, quem in Andecenſis Montis Ædicula incuria oblivióque Mortalium magis, quàm Arcis rudera ſepeliverant. Mus il-

illum è Conditorio, quod Arx eouſque inobſervatum ſuberat, prorepens, chartámque indicem mordicus ferens detexit. Jacobum Dacchauverum ſacris operantem inſolens Tabellarius advertit, ſimúlque cupido inceſſit ſyngraphæ inſpiciendæ, ea elapſa Muſculo latentes ſub illo Hypogæo opes attonitis adnumeravit. Rem ad ſe delatam *Boy Fratres* minimè negligendam rati accurrêre pariter, egeſtáque humo clauſas capſellâ Plumbeâ prodigioſas divini Panis formulas ternas, quæque alia pietas mortalibus opibus chariora habet, complura protraxere in lucem; certíque divini favoris de eo per literas Bonifacium IX. Pontificem edocent; qui ipſe quoque gratulatus eorum felicitati, eámque communem facturus & publicam, eximiis gratiis promiſsíſque, mortalium ſtudia, qui expiati illa cœli Munera adoraturi eſſent, accendit. Ea, donec auguſtius Templum ſurgeret, Monachium deportata & Anno MCCCXCII, quot hebdomadibus tertiùm à Jejunio verno

ad Auguſtum vſque ſpectaculo expoſi-ta non vnius Provinciæ Incolas ad ſe attraxere; vt ſubinde ſexaginta homi-num millia in cenſum venerint, ſtipéſ-que ſacras ab expiatis quotidie in aram jactari ſolitas ſæpe modius non cepe-rit. Miraculi inſtar fuit altiſſima pax viarúmque ſecuritas mutuo conſenſu abſque conciliatore alio ſancita; cohi-bente ſine dubio prurientes in pugnam manus Deo, ne honoribus ſuis obſtre-perent. *Indulti* Pontificii memoriam nonénque anniverſariæ Nundinæ Ja-cobeæ, vſitata ſacri quæſtûs appendix, in hanc vſque diem propagant. ſub finem anni Provinciarum inter Fratres facta diviſió etiam animos diſtraxit. *Joan-nes* cùm ſe fratribus eſſe neglectui vi-deret, Monacenſem Regiam occupat, non invitis civibus, qui ſuavitate mo-rum ejus capti etiam imperium frater-no præoptabant. ea res fratres ad æqui-tatem adduxit. Friderico Inferior *Boi-ca*, ſed certam fratribus pecuniam nu-meraturo, relicta. ſuperior in ſortem ve-

venit; quæ *Joanni* Monachium, Stephano Ingolſtadium vt Metropoles addixit. Fridericus anno proximo non ſine ſuſpicione propinati Pragæ veneni, quò Sophiam Fratris ſui *Joannis* Filiam Wenceslai Cæſ. Conjugem futuram deduxerat, Decembri menſe, deceſſit, Henrico F. impubere ſub fratrum ſuperſtitum Tutela relicto. quæ res concordiæ vinculum eſſe debuit, animos dudum malè cohærentes penitus divulſit. Primus Ludovicus Stephani F. hoſtilia palàm auſus, in Bertholdum Friſingenſem Epiſcopum fœderis cum *Joanne* & Auſtriis icti causâ ſuſpectum ferebatur, Weinmanno Prætore Vrbis corrupto, qui Friſingam ſanctiſſima Natalis Chriſtiani nocte, civium animis pietati operantibus, ſibi proderet. Majus erat ſcelus, quàm vt involui ſilentio poſſet. *Joannes* de periculo admonitus in tempore adfuit, & præſidio Vrbi impoſito de proditore ſupplicium ſumpſit. Ludovicus quaſi injuriam accepiſſet ab injuria prohibitus, Neoſtadium

*Joanni* contributum vi capit & diripit. *Joannes* viciſſim jacturæ ſolatium Aichæ quæſivit. Inde cum Erneſto F. rejectus Fridbergâ potitur, vicóſque ſuburbanos militi in prædam objicit. Dum in orbem eunt clades, annus cum ſeſquimenſe circumactus eſt; quo tempore etiam privatus homo Principi negotium auſus eſt faceſſere. Hartmannus Onſorgius Wellenburgenſis Toparcha cùm Püttrichio *Joannis* Ducis clienti in provinciali Sveviæ Prætorio diem dixiſſet, eo vadimonium non obeunte, non id duntaxat impetraverat, vt Rei bona, ſed eorum inſuper, qui tecto hominem ſibi obnoxium recepiſſent, réve vlla adjuviſſent, ſibi addicerentur. Iis tabulis fretus cauſæ ſatis habere ſe credidit, cur ne *Joannem* quidem Principem eximium duceret, quod Püttrichius Monachii viſus eſſet; & adeò etiam obſonâſſet. Verſus proinde ad vindictam, hoſpitalitatem illam omni genere hoſtilitatis caſtigavit, clientelis Principis intolerabilis ex eo tempore vicinus. Fortè Hart-

Hartmanni F. Jodocus cum prædonum globo in *Joannis* copias incidit, ductúſque Landſpergam captivus, mille ducentos aureolos pactus, datis vadibus, dictáque die, qua ſe ſiſteret, poſt annum è carcere dimittitur. Vſus deinde ſolenni Nebulonum vaframento, ſatis habuit, Monachium inobſervabilis irrepere, indéque, velut liberatâ fide, recipere ſe ad ſuos. Eam nequitiam Auguſtani ſuo & Principis nomine vlti, Wellenburgum ſolo æquarunt, & Jodocum iteratò in poteſtatem adductum capitis condemnârunt. Filii periculo pater detumuit, neque modeſtè tantùm ſed ſuppliciter loqui didicit, anno nonageſimo ſexto; cùm *Boij* Fratres quinto, ad delectos è Provinciali Nobilitate Proceres delato controverſiarum arbitrio, ad concordiam rediiſſent, provinciis, quas ſecuerant, iterum conjunctis. Eo remedio magíſque *Joannis* æquitâte pax incolumis ſtetit, quamdiu ille. Nonageſimo ſeptimo cum eodem expiravit. Nos earum maximè opum æſtimato-

rem, quas à Muſculo detectas diximus, ex Sethonis Ægyptii Regis Epigraphe agnoſci volumus, qui Murium auxilio debellatis hoſtibus, ſine hoc Commilitone ſuo fingi noluit, monuitque ſpectatorem, ſuum etiam Aheneus

*In me intuens pius eſto.*

ER-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# ERNESTUS JOANNIS F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMUS TERTIUS.

CLava Tridénsque *parem tùm* Dis Erneſte *duobus*
*Te faciant, qualem credimus eſſe* Ducem?
Clavã *Hoſtis timuit; Cives coluere* Tridentẽ;
*Aucta tamen magis eſt fama* Tridente *tibi.*
*Vidiſti inſolitis fervere tumultibus Vrbem,*
*Atque inteſtinos bella ciere Notos.*
*Principis exciderat Reverentia civibus; auſa eſt*
*Patria, ſub nullo quod fuit auſa Duce;*
*Cui (niſi præſtaret Fluctus componere) quanta*
*Ventura à trifida Cuſpide plaga fuit?*
*At tu degeneres exemplis mitibus ultus*
*Perſonam egiſti Vindicis, ore Patris.*
*Sed* Clavam *& veras, uſus cum poſceret, iras*
*Herculeæ in Bellis explicuere manus.*
*Vt Genium quicunque tuum mirabitur olim,*
*Compoſitum ex Geminis te ſciat eſſe* Diis.

INter *Erneſti* decora nihil prius memorent literæ, quà Fortiſſimo Principi in amoribus ſe fuiſſe. Hic enim ille vir,

eſt, qui jam rerum potens Andream S. Magni Canonicum, Annales *Boicos* molientem, in magna Palatinæ Nobilitatis Corona humaniſſimè amplexus, déque ſucceſſu ſuſcepti operis ſciſcitatus, ſuo quoque nomini decoram in libro ſtationem, expletis Scriptoris pro ſuo Cœnobio ſupplicantis votis, impetravit. Principatum cum Wilhelmo fratre adituro improba lis, à quibus minimè debuit, mota eſt. Warmundus Bienzenavius, geſtarum rerum gloriâ opibúſque inclitus, cùm apud Stephanum *Erneſti* Patruum vnus omnia poſſet, odium *Erneſti* jam olim incurrerat permoleſtè ferentis, Ratenbergenſe oppidum invidendum pignus ei à Stephano addictum. Id repetenti cum ferociùs reſpondiſſet, iram *Erneſtus* in poteſtate non habuit, & os hominis ferro compeſcuit luculentâ plagâ inflictâ; quæ cùm profundiùs in animum quàm corpus deſcendiſſet, major ejus vindicandæ quàm ſanandæ cura Warmundum inceſſit, non ante depoſita, quàm etiam apud Monacen-

ſes

ſes invidiam Principi conflâſſet, perſuaſiſſétque Stephano, principem vrbem ab eo, qui gentis caput eſſet, jura petere longè æquiſſimum videri. Summa injuria hoc fuco oblita pro jure valuit, geminiſque Fratribus pro hæreditario Principatu exilium conſcivit. Diu nihil indignius viſum fuerat. Soli, qui injuriam acceperant, ferendam eam potiùs, quàm inferendum Patriæ bellum cenſuere. Omnia experiri placuit, ne ad extrema remedia veniretur. Ad ſubſellia arbitrorum, ad Tribunalia judicum liquidiſſima cauſa delata eſt. Domi xx. viri lecti, qui de controverſiis Principum; quindecim, qui de Monacenſium momentis aut faſtidiis cognoſcerent, quibus ad mutandos Dominos erant impulſi. interim Principum Regiæ Conradus Preiſingius velut ſequeſter impoſitus, multaturus eo pignore Principes, ſi ab arbitrorum ſententia reſiliiſſent. Provincialibus diſceptatoribus ſuppetiæ ex ipſa vſque Auſtria & inferiore *Boica* ſubmiſſę nihil tanto dignum apparatu peregere.

gere. Cordatiùs extra Patriam in eandem cauſam Rupertus Palatinus Rheni, Septemvir, & Eberhardus Wirtembergius Geppingæ ingreſſi, caput litis, de mittendis in poſſeſſionem Principatûs Fratribus, negârunt ſine ſcelere controverti poſſe. Oſtenduntur in membranis æquiſſimæ ſententiæ, fundamenta pacis & concordię; quę cùm verbis convellere nemo poſſet, factis everſa ſunt. Dum de reducendo ad obſequium Monachio laboratur, etiam Pfaffenhofium, quod in Dominorum fide manſerat, vi ab iis avulſum eſt; vt neceſſariò denique, qui Pacificatores convenerant, mollia conſilia abdicârint, eorúmque vicem auxilia in bellum contulerint; quod, quemadmodum civilia omnia, vtrique parti damnoſum, neque tamen ante Milleſimum Quadringenteſimum Tertium annum, Monachio in *Erneſti* & Wilhelmi poteſtatem adducto, finitum eſt: cùm Ludovicus Stephani F. magna omnia pollicitus, Clientes ſuos tributo priùs emunctos, digreſſus in Franciam ad

ad Reginam ſororem, ſub cultro reliquiſſet. Verùm vt primùm volitantia ad Iſaram Fratrum Principum & Henrici Patruelis ſigna viſa ſunt, plebs, quæ mitiùs furebat, veniam erroris tempeſtivo obſequio meritura, effractâ Schiferanâ portâ, Principes haud ſanè implacabiles vrbe recepit. Magis exempli prodendi causâ, quàm vindictæ ſtudio, denos duci juſſerunt. vndecimus ſacerdotem cultu corporis mentitus cuſtodes fefellit; duodecimum ſaltu ſeſe de mœnibus librantem, audacia ſecuri ſubduxit. Reorũ non nulla nomina Aventinus falſo prodidit, facilè publicis Actis refutandus; ex quibus intelligitur, triennio ante receptam vrbem pernicioſos Cives, quos nominat, initæ conjurationis pœnas dediſſe; Principum enim Clementiæ ſatis non fuit pauxillo ſanguine magnum ſcelus obleviſſe, niſi cæſorum etiam nomina premerent, & tam famæ ipſorum, quàm poſteritatis verecundiæ conſulerent. Itaque Iræ perpauxillo litatum; verſis mox ad ſananda patriæ

vul-

vulnera curis; vt ſvavitate imperii convicti Cives agnoſcerent, ab optimis Principibus imò communibus parentibus ſine flagitio non diſſentire ſe, nedum diſcedere potuiſſe. Fridericus Burggravius Norimbergenſis civilis tempeſtatis nubila inſigni moderatione diſcuſſit, & præteritorum oblivione inducta, concordiæ etiam inpoſterum ſanciendæ conditiones plebi ferè quàm Principibus æquiores, iiſdem tamen non invitis, verus Publicola tulit. Principes ipſi jura civitatis municipalia magnis immunitatibus aucta confirmârunt, & ægrè à cladibus reſpirantem neceſſariis omnibus fomentis ſublevârunt. Quies inde ad annum ejus ſeculi decimum tenuit, quo gemini fratres cum Stephano Patruo ad bellum cœptu pariter exitúque inglorium ſunt impulſi. Henricus Rotenbergius Caldarienſis vulgò dictus, Dynaſtarum Tirolenſium locupletiſſimus, contemptu Principis ſui, quem plebeia dicacitas non Fridericum ſed *Fridelinum cum vacua pera* appellitabat, ejuſ-

ejuſdem odium meritus, *Bojos* in eum Duces incitavit, vetera iis jura ingerens, quæ priorum temporum iniquitate interpellata poſtliminio vindicandi ſub inviſo Principe eóque egentiſſimo mirifica ſe occaſio offerat. vtique enim eum, qui nomen ſuum tueri non potuerit, Principatu deijcere nullius operæ fore. Nóſtri excitari ſe ſuſtinuerunt. Iter ingreſſos neſcio quis cavere juſſit, ne alieno inhiantes, ſuo nido exciderent; quod *Erneſtus* ad ſe potiſſimùm pertinere arbitratus ad ſua tutanda rediit. Wilhelmus & Stephanus per Oenanam vallem ad Volterranum vſque pontem nemine obvio progreſſi, Halenſium diligentiâ, qui eum dejecerant, retroacti ſunt. Ne nihil egiſſe viderentur, Mazenam Vdalrici Freundſpergii arcem verberare tormentis aggreſſi, illic quoque bimeſtrem prope operam perdidere, Nobilitatis fraude, quæ Vdalrico addicta vix in muros ſeriò ſæviit; vt Georgius Paſſavienſis Epiſcopus Duces non invitos, & dedecoris accipiendi certos, opportuna

pa-

pacis mentione facilè inde abduxerit.
Eam in biennium ſancitam *Ernestus* &
Wilhelmus laceſſere deſiere, non ſolùm cultæ bona fide cum Friderico Tirolenſi Amicitiæ, ſed cùm à Starckhenbergiis Fratribus & Thorero ſequentibus annis graviter premeretur, redintegratæ inter diſſidentes concordiæ laudem meriti. Stephano egregium viſum, ereptam Patri ſuo Provinciam Filii manu recuperari, ſimul proinde induciæ exiere, ſumma hieme irritas ſpes multò inſtructior, ſed auſpiciis nihilo melioribus, repetiit, & ipſe quidem Ratembergæ ſubſtitit. Miles dejectis, quæ caſtellatim ſparſa erant, præſidiis, alteram Oeni ripam legens, in agro Halenſi caſtra poſuit. Non eas adduxerat, ad quas Vrbs trepidaret, vires. ſine his vana etiam ira fuit; quæ deinde in Cannas Salinarias, ſive Laricum Tubos, quibus coquenda Salſugo in Sartagines derivatur, effuſa, vrbem nonnullo damno affecit; hoſtem gloriâ non auxit, diu poſtea ob Cannenſem hanc pugnam a ſalſis homini-

minibus irriſum. Stephanus ipſe reducem neque alia facinora jactantem militem mœſtus in patriam reduxit; eodémque anno decimo tertio deceſſit; quo etiam Ludovicus filius ejus in Gallia de vita, populari ſeditione, periclitatus, cum ingenti theſauro in patriam rediit, veteráque vlcera, quæ per ejus abſentiam cicatricem duxerant, refricando nihil vſquam paſſus eſt conquieſcere. Cognati certè Principes facta conſiliáque ejus ſpeculati, in eam denique ſententiam adducti ſunt, illum inſidiantem tempori, ferendis litibus, conflandíſque bellis, proximum quemque injuriæ opportunum carpendo, finem modúmque ambitioni ſuæ, quamdiu ſpes creſcendi ſit, nullum poſiturum. Itaque Conſtantiæ, quò commodùm Reip. Chriſtianæ proceres confluxerant, communis cauſa Ludovicū Palatinum Septemvirum, ejúſque fratrem Joannem; noſtros deinde *Erneſtum* & Wilhelmum cum Henrico eorundem patruelè & Friderico Burggravio Norimbergenſi ad ſo-

cianda conſilia auxiliáque contra Fortunarum ſuarum everſorem contraxit. Tabulæ ſuperſunt anno decimo quinto confectæ. Biennio pòſt in illo ipſo orbis Chriſtiani Theatro Ludovicus gravem probris ſtomachum in Henricum Landishutanum, aſſidente Sigiſmundo Cęſare, exoneravit, ipſos adeò natales illius vt dubios cavillari auſus. quam contumeliam etiam Terræ filiis intolerabilem mirum non eſt, ab Henrico crudiore vindicta depulſam. Ludovico propè incomitato obvius luculentâ affectum plagâ equo excuſſit, relictóque in manibus colluctantis ferro, Conſtantiâ ſeſe proripuit. Facinus atrox vterque Ordo deteſtatus eſt; vrgebatúrque Cæſar, ne mitiorem exauthoratione ſententiam in violatorem ſacroſancti Aſyli ferret; nî Fridericus Burggravius recenti Cæſaris beneficio Brandeburgico Septemviratu auctus Senatuſconſulto intercesſiſſet, & Sigiſmundi amplexus genua comperendinationem Reo impetraſſet. Ludovicus, recuperatâ præter ſpem valetudine,

ne, aliquot iterum annos in apparatu vindictæ abſumpſit. Ea vbi vigeſimo primo maturuit, Neoſtadienſes, ipſis Cineralibus, nondum digeſtâ pridianâ crapulâ, obruit. Vrbi in prędam conceſſæ, egeſtis opibus, faces ſubditę. Id exemplum à fœderatis Ducibus ſtrenuè repetitum, infinita, vt Andreas ęqualis horum temporum ſcripſit, per *Boicam* incendia excitavit. Geminis fratribus Fridbergæ expugnandæ negotium datum. Vrbs obſidionem ſex menſibus tulit. Arx ne tunc quidem in poteſtatem venit. Sed quæ illic virtuti defuit felicitas, ſequenti anno multiplex *Erneſto* decus peperit, eadémque operâ Patriæ ei ſervatę, quódque ſvaviſſimum Patri, Liberati filii coronas accumulavit. Ludovicus obſidionem Waſſerburgenſem laxaturus lectiſſimum militem ad vexandam viciniam emiſerat, qui Monacenſem Mulctram (ita jocari libuit) ſiccaret, Forúmque lacteum ſanguine perfunderet. Id imperium exequentes flamma fumúſque ardentium villarum prodi-

dit, fratréſque Duces ad decernendum per vrbem Monacenſem tumultum & ſumenda ſaga coëgit. Tota extemplo civitas in armis fuit, ſuóſque Principes ad vindicandam communem injuriam ſecuta, in Allingenſi vico hoſtem obvium habuit. Patris Patriæque amor etiam Albertum *Erneſti* filium pugnaturis miſcuit, non ſpectatorem alienæ virtutis, ſed hoſtium in ſe manus oculóſque civium averſurum. Inferentem ſeſe, vbi plurimum laboris periculíque fuit, jámque à ſociis propè deſertum, quidam injecta manu ponere inutilem ferociam, arbitriúmque ſuæ libertatis permittere fortiori juſſit. Inſultantis vox *Erneſti* Patris aures animúmque quovis telo graviùs ſauciavit, Victricémque Clavam, quam hoſtili ſanguine largiter eo die tinxerat, ad vltimum nefas avertendum, & dirimendam imparem luctam abripuit. Nemo ruentis manum, quíque vnus maximè petebatur, ne vocem quidem increpantis improba vota Herculis tulit. Illa prædam jam ſibi capitíque

ſuo

ſuo metuenti excuſſit, & aliena libertate redimere vitam coëgit. *Erneſtus*, filio vt pignore Victoriæ recepto, eodem tenore pugnam abſolvit. multis cæſis, ducentos captivos victor Vrbi, nihil imminutâ modeſtiâ, oſtentavit. Facti gloriam à Manu ſua Clavâque amolitus, Deo integram remiſit, & dedicatum in certaminis loco Templum Sacerdoti ſacra facturo commiſit. Ea clades Ludovico pacis deſiderium tam ſuperbè antehac faſtiditæ injecit. Sigiſmundus Cæſar & Branda Pontificius Legatus Ratisbonæ leges ejus conditionéſque in tabulas retulerunt. Anno MCCCCXXV. apud Hannonios & Batavos ſtirps maſcula Ludovici Cæſaris Joannis Morte defecit. Jacobam fratris filiam ſexûs indoliſque vitia avitarum opum poſſeſſione excluſerunt. *Boÿ* Principes Tetrarchiæ Straubinganæ portiunculâ ad ſe redeunte deliniti, Philippo Burgundioni litem de nobiliſſimis Provinciis non moverunt; ipſi inter ſe ſortiendo partiendóque iterum colliſi, &, niſi duorum fratrum

morata temperies ignea patruelium ingenia ſempérque fumantes in bellum iras premeret, mitigarétque, illam quoque controverſiam non niſi ferro deciſur. Ludovicus Ingolſtadienſis, ætatis prærogativâ nixus, totum hæreditatis ſibi aſſem deſtinabat. eo voto dejectus illud certè vti plauſibilius ita multò impotentiùs vrgebat, ne gemini Fratres duobus Patruelibus jure æquarentur. Cæſari, qui litem denique ad ſe revocavit, aliter viſum. ejus ſententiâ quaterni Patrueles, nullo diſcrimine, hæredes ſinguli ex quadrante renunciati. Tabulæ ab Anno MCCCCXXIX. ſuperſtites finem etiam aliis Ducum controverſiis imponunt; cùm paulò antè Sophia *Erneſti* & Wilhelmi ſoror Wenceslai Cæſaris morte vidua deceſſiſſet, à Scriptorum vulgo ob guſtatum Huſſi venenum & avitæ pietatis jacturam traducta; cujus ab errore revocandæ curam cùm *Erneſtus* frater ſibi ſumpſiſſet, verbíſque parum proficeret, impacto in frontem pugno, eam cum Huſſo ſuo deteſtatus, ple-

plenus irarum deſeruit. quę tam cruda ſororis Auguſtæ caſtigatio etſi paratam à Religionis ardore veniam habeat, imo inter *Erneſti* laudes memorabitur, multò tamen verius eſt, non ab *Erneſto* Reginam, ſed à Calumnia vapulâſſe, quæ innoxiam frontem impietatis ſtigmate inuſtam hoc etiam colapho ſignavit. Extant ejus ad *Erneſtum* Fr. Epiſtolæ complures, plenæ non ſolùm amoris, quem tantopere læſa, &c, quod caput eſt, impiè nunquam reſumpſiſſet, ſed optimæ inſuper mentis indices; quam vltimæ etiam tabulæ paulò ante mortem ſignatæ ſpirant, oſtendúntque ab Ænea Sylvio, qui poſtea Pontifex Pii II. nomen ſumpſit, non temerè laudatam, vt *Viro ſuo longè præſtantiorem*; quo teſte de egregiis ejus adverſus Huſſitarum furorem conatibus cognitum eſt, haud ſanè arma contra eos ſumpturæ, quorum ſcelerata conſilia ſcitáque probaſſet; planè vt fatendum ſit, Huſſi ſomnia vel cordi illi nunquam fuiſſe; vel certè, ſi domeſticos ſcriptores hac in re deſerere veremur, *Erneſti* dex-

trà avitæ Religionis vindice iterum ei excuſſa, quæ felicitas armatis in Huſſitarũm impietatem Germanię manibus defuit. Piæ gentis robur perditorum hominum colluviem cęco duce Ziſcha nitentium tantum abeſt, vt exciderit, vt expeditiones pleræque præter clades & ęquè turpes fugas nihil cantandum, multa deploranda poſteris reliquerint. Wilhelmus, ipſo aditæ hæreditatis adventitiæ anno, ire à ſuis in ſceleratum hoſtem prohibitus, exercitum tamen Novembri menſe in illum immiſit; qui flamma ferróque in impios graſſatus, acceptas aliis Ducibus auſpiciisque clades inſigni viciſſitudine æquavit. *Erneſtum* aliàs domeſticæ turbę ab inquieta Nobilitate, & Triſtano potiſſimùm Zengero conflatæ morabantur, quo minùs Chriſtiano nomini, quemadmodum ſæpe per literas conqueſtus eſt, inter Bohemos periclitanti ſuppetias ferret; aliàs in procinctu ſtans convellénsque ſigna, allatis ex inſperato de fuga hoſtium nunciis, fructum victoriæ ante pugnam tulit, aliâ quoque ope-

operâ, niſi ſucceſſu caruiſſet, additurus meliori cauſæ nõvas vires; cùm voluntate Sigiſmundi Cæſaris, Zagabrienſi Epiſcopo comite, in Lithuaniam profectus, gentis Duci, qui Vitoldi nomen Chriſtiano nuper ritu ablutus Alexandri appellatione mutaverat, Coronam noménque Regium afferret, auctoramentum militię & ſocietatis pignus. Verùm Ladislaus Poloniæ Rex æquari ſibi dignitate Patruum non ſuſtinens, Legatos Lithúanniæ acceſſu prohibuit. Certior malis medicina ex Concilio Chriſtianæ gentis Baſileæ coacto ſperabatur; cui cùm Sigiſmundus Cæſ. ob iter Italicum præſens adeſſe non poſſet, vices ſuas Wilhelmo *ob immota Fidei præclaram conſtantiam & ſingularis circumſpectionis & providentiæ induſtriam*, quemadmodum Tabulæ loquuntur, cum ejuſdem ſacri cœtûs Tutela impoſuit; quam in tertium annum, tanta omnium ordinũm & Cæſaris maximè approbatione, geſſit, ut qualiscunque gratiæ referendæ ſtudio Præfecturâ Sueviæ & viginti tribus Au-

reorum millibus, regio, vti ea ferebant tempora, donativo cenſuerit remunerandum. Wilhelmus ſecundo ſacræ Præfecturæ anno Margaritam Clivorum Ducis Adolfi filiam ſibi junxit; cùm *Erneſtus* frater anno priore, qui trigeſimus ſecundus fuit, Eliſabetham ipſam quoque Barnabovis Vicecomitis F. conjugem ſuam Monachii ſepeliſſet. Trigeſimo quinto III. Idus Sept. Wilhelmus deceſſit, Adolpho & Wilhelmo poſthumo relictis; qui ipſi quoque Patrem brevi ſecuti. Phœnicem inter Principes fuiſſe neceſſe eſt, ſi Vitus Eberſpergenſis verè de illo ſcripſit, etiam rigidiſſimis ipſum Cenſoribus ſatisfeciſſe, neque fuiſſe vnquam, qui eum qualiscunque *Criminis, maculæ, defectûs*, aut *negligentiæ* reum perageret; quę tam rara integritas omnium in ſe oculos rapuerit, Imperio eum ſine dubitatione deſtinantium, ſi quid Sigismundo humanitus contigiſſet. Epiſcopio Ratisbonenſi memoria illius grata æternáque erit, ob Werdanum

num Caſtrum, olim Principibus oppignoratum, gratis ab eo redditum. *Erneſtus* Triennium, quo fratri ſuperſtes vixit, Pacis Religioníſque cultu nobilitavit, eâ duntaxat gratiâ Baſileam profectus, vt, commemorandis Fratris ſui Wilhelmi officiis, Concilii Patres ad colligandos firmiore vinculo Patrueles ſuos Ingolſtadienſem & Landishutanum excitaret, quorum odiis, velut inteſtina peſte, Rem *Bojorum* publicam contabeſcere neceſſe ſit. Patres collaudato ejus ſtudio, Joannem Lubecenſem Epiſcopum, & Nicolaum Cuſanum doctrinæ omnis miraculum Pacificatores de ſuo corpore dedere; quorum induſtriâ Ducibus ſi non odia at certè arma in quatuor annos excuſſa ſunt. Vltimas optimi Ducis curas Pietas occupavit, non expiratura cum illo, ſed æternum in Andecenſi monte Domicilium, ejus liberalitate, nacta. Sex illud Myſtæ excoluere, quibus Albertus ejus filius D. Benedicti Familiam ſubſtituit, lętiſſimo

Bo-

Boni Operis proventu. Sileamus omnia *Boica* decora; *Sanctitatis Arcem* quærentibus in montem *Andecenſem* digitum intendimus.



AL-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# ALBERTUS CONGN. PIVS, ERNESTI F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMVS QVARTUS.

*AD veteres Dominos* Leo *cùm remigrare* Bohemus
*Geſtiat, à quorum nomine Nomen habet,*
*Et poſtliminium jam bis milleſimus annus*
*Suadeat ad* Bojos, *Dux* Sigoveſe, *tuos.*
*Prenſantem* Albertus *ſic averſatur, vt hoſtẽ*
*Non deceat vultu deteriore premi.*
*Ergo unus fugias, quod vulgus adorat & ambit,*
*Indignúmque tua fronte reare decus?*
*Regna putas, quod* mella Vrſo, *quod* lampada Muſcis?
Vri *aut* Compungi, *quod ſit utriſq; times?*
*Laudo metũ. ô nullus vacet hac formidine Prin-*
*Plauſibile eſt, Muſcæ, fata timere, Viris. (ceps!*
*Debebas ſimilem nuper* Leo *ferre repulſam,*
*Cum tumidum ambires jure minore Ducem;*
*Ille meo ſimilis dum fertur in Alvear Vrſo,*
*Libata heu quanto ſanguine* Mella *luit!*

INtelligit ornamenta Principum vulgus, non illa, quæ ad pompam compo-

ſita

ſita oculos implent, loculos exhauriunt; ſed quæ benignorum more ſiderum bono magis publico ſplendent, quàm ſuo, neminémque ab vſura ſuæ opulentię excludunt. Hęc quibus poteſt verbis laudat, affici,que nominibus, ſi non propriis, at certè venuſtis & multum promittentibus. Ita *Albertum*, quem nunc producimus Erneſti Filium, ſua ætas *Pium* appellavit, vnius Virtutis apellatione, quę *ad omnia utilis eſt*, exemplar Boni Principis adumbrans, in quo Patria non invita acquieſcat. Vivo etiamnum Patre involutus fluctibus, quorum auctores ſæpe nominavimus, ad factionem Ludovici Ingolſtadienſis ſe applicuit, & Neoſtadium Henrico Landishutano oppignoratum vi recepit, arbitriſque factum, rebus jam compoſitis, ita probavit, vt velut jure optimo partum in ejus poteſtate ſit relictum. Patre mortuo, Ludovici Ingolſtadienſis filius cognominis, Struma & Gibbo multóque magis Patris odio deformis, ſed, Æneæ Sylvii teſtimonio, facundus *Alberto* Pio perſvaſit,

ſit, non eſſe ſe Impium, etſi contra Patrem pugnaret; imò partim Suadâ ſuâ, partim Annâ Brunſuicenſi *Alberti* Conjuge conciliatrice, eundem ad ſanciendum ſecum fœdus pellexit; pretium operæ ejus auro gemmíſque diſtinctum monile Annę pollicitus, ſimul ac Neoburgo vel Ingolſtadio potitus eſſet. Negabat hic Gibber, patris loco eum ſibi eſſe debere, qui, ſe neglecto, amorem omnem in Wielándum Freibergium Nothum tranſtulerit; & Michaëlem Comitem Werthemium Spurii ſocerum provinciis, Spurium ipſum ęrario præfecerit. Pater viciſſim indolem filii malè habitantem, & corpore ſuo vitioſiorem, jam ex eo tempore ſuſpectare cœperat & odiſſe, quo ſpretâ Cyprii Regis filiâ, Friderici Brandenburgici capitalis hoſtis ſui gener factus, vnà cum filia etiam malevolentiam ipſius domum deduxiſſe videbatur. Id diſſidium cùm plures ferè alerent quàm ſopirent, denique in bellum erupit; cujus pars etiam *Albertus* fuit, & Fridbergam obſidenti auxilia adduxit,

duxit, quibus Georgio Schwangavio Arcis Præfecto, Auguſto Menſe Anno xxxix, quo Wielandus Nothus dubia morte periit, deditio eſt extorta. Ejus loci exemplum cùm plura alia ſequerentur, noviq; cupiditate imperii Solem occidentem pauci reſpicerent, Pater ira doloréque amens potiùs, quàm de rigore ſuo quidquam remitteret, in exitium ſe Filii accinxit, non imparati tamen, neque adverſus vim duntaxat ſed infamiam etiam muniti. Pontificias certè Cęſareáſque Tabulas, quibus Patris nomen ob illata Cœnobiis damna ignominiâ notatum fuerat, nactus, iiſdem pro ſcuto ſcilicet vſus eſt, ſuâ quidem ſententiâ nullo jam jure accuſandus impietatis, ſi qualemcunque hominem tribu piorum motum armatus perſequeretur. Itaque hoſtilia omnia denunciandis exercendíſque inimicitiis facta. Ira Patri in Filium; Filio in Patrem ad plures annos ſuffecit. Senem Fridbergæ imminentem F. Gibber ab Alberto Brandeburgico, qui Germaniæ Achilles audiit,

ad-

adjutus, poſitis juxta Danubium caſtris, ad tuendum Neoburgum retraxit, diúque ille obſeſſum, neque bona à ſuis defenſum fide ad deditionem compulit, Septembri Menſe, A. MCDXLIII. Curæ tamen hîc quoque famæ fuit metúsque invidiæ ex Patre captivo, quæ, eodem clanculùm vendito, faciliùs ſupprimeretur. Venit tamen etiàm hoc ſcelus in ora hominum, & Burccardus Zenggius novem aureorum millibus Alberto Brandeburgico venundatum ærumnoſiſſimum ſenem publicavit; Deus, nondum elapſo biennio in venditorem filium, eo de medio ſublato, vindicavit. Pater multò deinde arctiùs habitus, etiam inter injurias retinens majeſtatis, ad paciſcendum pro capite ſuo adduci nunquam potuit, æquiore animo Crudelitati daturum ſe ſanguinem dictitans, quàm Avaritiæ nummum; quæ à captivo impetratura nunquam ſit, quod liber non eſſet daturus. Patria interim vindicem barbaræ inhumanitatis vnde vnde excitatura, Chriſtianum omne no-

men libello ad ciendam miſerationem triſtiſſimis verbis compoſito appellavit. quódque mirêre, ad diſceptandam cauſam, Onolzpachii, vbi captivus attinebatur, diem impetravit. Fridericus Rom: Rex judices dedit. ad ſummam rei nihil actum eſt, Advocatis nihil præter jus & fas afferentibus, quibus Brandeburgici cupiditati non eſt ſatisfactum. Optabat apud Fridericum cauſam ex vinculis dicere jam octogenario major Princeps: ſuas etiam Carolus Galliæ Rex, ſorore Captivi natus, partes interpoſuit, nullo alio emolumento, quàm vt Henrico Landshutano cognato quidem, ſed æquè infeſto, Septemviris Imperii factum improbantibus, reúmque ad Regium Tribunal fruſtra revocantibus, traderetur. Henricus pro eo triginta duo aureorum millia Alberto dependit. Ludovico indignitatem nundinationis non inſcitâ querelâ proſcindente; cùm Dei Filius triginta Nummulis venierit, Capulari ſeni triginta duobus aureorum nummûm millibus ſub haſta vendito repertum

tum emptorem. *Albertus* Monacenſis, quem tantæ inhumanitatis odium pridem ceperat, multò jam ardentiùs inſtabat Friderico, ne jactari inter hæc ludibria diutiùs nobiliſſimum ſanguinem pateretur. verùm paratis jam vindiciis, mors Miſerrimum ſenem Burghuſii vitâ exturbavit, ne ſic quidem odiis hominum ſatisfacturum. Fraudi noxæque fuit Juſta illi peragentibus ſua pietas, velut impenſa nondum expiato, neque cum Bonis in gratiam reducto; etſi præter ærumnas carceris tam luculenta extabant piacula, quæque ad Mariani templi Ingolſtadienſis cultum & perpetuam pauperum annonam vltimis annis contulit, regiam munificentiam ſuperante. Legitur hodiéque cum ſtupore mortalium ſpiſſum Tabularum volumen non magis Liberalitatis ejus quàm rariſſimæ argumentis Modeſtiæ plenum, nulla vnquam Palinodia candidiùs ſcripta eſt; nunquam vel optimi de ſe ex virtute, vel peſſimi ex conſcientia abjectiùs ſunt locuti. *Peccatoris* Improbi nomen adeò

non fugit, vt ſibi eum titulum peculia-
rem fecerit; cúmque alumnis ſua ſtipe
victuris ſtatas ad Deum preces dictaret,
non alio præterquam infami hoc præco-
nio voluerit Superis commendari; vt mi-
hi quidem inter ſeria Bonæ Frugis ex-
empla poſt Davides & Theodoſios jure
optimo videatur collocandus. In defun-
cti Bona Henricus Landishutanus invo-
lavit, nihilo plus illi quàm *Alberto Pio* de-
bita, niſi barbara emptione Principis ju-
ri ſuo aliquid exiſtimavit accreviſſe.
Multi Pium quieſcentem monuere, vt
in Henrici meſſe ſaltem ſpicilegium fa-
ceret; præſertim cùm non deeſſent vrbes
vltro nomen ejus prenſantes, & in illud
ſacramentum dicere paratæ: quibus il-
le ſanctiſſima voce & Principibus vix vſi-
tata reſpondit, ſibi *Pacem Potentiâ Potio-
rem*, neque hujus incrementum illius ja-
cturâ emptutum. Doctiſſimos nihilomi-
nus viros, etiam per Italiam, de ſuo jure
conſuluit; in quorum reſponſis acqui-
eſcens ad arma ſibi non putavit deſcen-
dendum. Henricus tertio pòſt anno de-

ceſſit,

ceſſit, Proprid. Kal. Auguſti; multis haud temerè ad divinum tribunal eodem die raptum arbitrantibus, quo eum Ludovicus anteceſſerat. Æneas Sylvius irritatum ab eo Numen Edicto maluit credere, quo *Bojos* ſuos eo anno Piaculari ſive Jubilæo ire Romam vetuit, non alienus alioqui à pietate, & Deiparæ præſertim ſtudio inclitus; cujus Sabbatinas Ferias præcipua ſemper religione vt ſacroſanctas coluit. Ad rem attentior eſt habitus, quáque olim famâ Midæ opes fuere, eâdem Burghuſiana Turris inclaruit, quam ſtipâſſe collativo argento ferebatur. Inter veras laudes ea palmaria & miraculo proxima fuit, in provincia continuis ferè ardente bellis tuta ſervari à latrociniis itinera potuiſſe, adeò quidem, vt Viatores, ſimul ac pedem in ea poſuere, ſpatiari ſe in *Roſeto* dicerent. ſed feras pariter Aſyli jure gaviſas Agreſtium querela fuit; eáque vna res Ludovicum filium patre iis gratioſiorem fecit, quòd ingratos hos Frumentatores à ſatis arcuiſſet. Perſonam Principis minùs commodè

 egiſſe

egiſſe ſe, noménque ſanguinarii facilitate credendi parendíque nimis calidis conſiliis collegiſſe, ſæpe cum gemitu confeſſus, non inſcito mimo infelicitatem Principum repræſentavit, quorum candore Palatinorum calliditas imperantibus imperans, & Dominorum ſuorum domina ad privata commoda abutitur. In mercem figlinam cùm forte fortuna incidiſſet, amphoras vrceósque velut in theatro expoſuit, & quaſi luſtrum Teſtaceum Cenſor conderet, inquirebat ſcilicet in natales & Tribum ſingulorum, Principíſne an Palatinorum nomine cenſeri mallent? Principis nomen jactantes comminuebantur è veſtigio omnes, vapulabántque Heri vicem; cùm Palatinorum ollas ab ea clade immunes omni officiorum genere coleret, quibus clara in aulis capita adorantur. Hanc Aulularíam cùm luſiſſet, ſpecimen dediſſe ſe fortunæ ſuæ dixit, quamdiu ſolo nomine Princeps vim Imperii, rerúmque gerendarum arbitrium Torquatis ſuis reliquiſſet; illis opulentam maje-

majeſtatem conciliatam; ſibi ignominioſam inopiam relictam. *Albertus Pius* etiam poſt Henrici mortem ſolenne ſuum tenuit, & quantumvis Ludovico Henrici Filio jure par eſſet, & a Ducibus Ingolſtadienſibus nuper extinctis eodem, quo ille, gradu diſtaret, tamen ad movendam eidem de hæreditate litem adduci non potuit. Ludovicus amicè appellatus, cùm Teckhendorfio & tribus præterea arcibus haud ſanè primariis ei ceſſiſſet, ſpémque pecuniæ mutuæ non copioſæ ad redimenda Nortgoiæ oppida feciſſet, ſua *Albertum* bonitas vltra tendere non eſt paſſa; quaſi jam tum accepto pignore vniverſæ provinciæ ad filios ſuos, quod poſtea factum eſt, rediturę, majoríſque colligendi ex Modeſtia fructus, quàm ex fœda, cum cognato ſanguine, contentione. At enim viſum Numini hanc continentis animi moderationem, totis ſæpe ſæculis non viſam, in eodem homine nobiliore etiam documento oſtendere orbi terrarum. Alberti II. Imperatoris Morte, qui idem etiam

Bohemiæ & Vngariæ Rex fuit, geminæ Coronæ totidem Regna in partes diſtraxere; paucis probantibus, Ladislao poſthumo eas in cunis imponi. Bohemi pronis in *Albertum* animis ferebantur; qui adoleſcens in Wenceslai Regia apud Sophiam Patris ſororem educatus, linguęque vernaculę peritiam aſſecutus, genium etiam gentis imbibiſſe ea conſuetudine credebatur. Optimatum populique vota Vlricus Roſenſis ad *Albertum* ferre juſſus, publico eum nomine in regnum invitavit. Nullum dubium erat Friderico Cæſari, in cujus Tutela pupillus erat, ſuę *Albertum* fortunæ non defuturum. per literas proinde monendum putavit, ne ſpe creſcendi ad alienam injuriam abuteretur. ſupervacua ea cura fuit; cùm alio Modeſtiæ Magiſtro *Albertus* extra ſe non egeret; ſuo itaque conſilio, quæque *poſtquam Reges eſſe cœpere* (Æneæ Sylvii verba audis) *rariſſima ſemper fuit*, virtute vſus, cùm Legatis gratias egiſſet, quòd ſe dignum tanto imperio judicâſſent, negavit Pupilli Rivalem ſe futu-

futurum: quò oportunior ille Injuriæ ſit, eo propiorem ſe vindictæ fore, ſi vagientem in cunis offendiſſet; Innocentis ſe lacrymis magis quàm verorum hoſtium armis moveri. Dubravius ſanctius illi fortiúſque frenum à ſua injectum Pietate memorat, quòd multa Bohemi à futuro Rege flagitarent, quæ, niſi calcata Religione, nemo bonus concederet. ea cùm Legati recenſuiſſent, exclamavit *Albertus*, moriturum ſe potiùs, quàm his Legibus imperaturum, quę vna Vox *Pij* Nomen omnibus regnis clarius conciliare illi debuit, vel ſtabilire. *Majorem ſanè*, Æneæ Sylvii ſententiâ, *ſpreto ſe Regno oſtendit; &, ſi verum fateri licet, clariſſimum egit Regem; cùm Regnum apud eos potiùs ſit, qui ſpernunt, quàm qui cupiunt.* Latere fortaſſe cætera *Alberti* decora velint, ſupra quæ hoc vnum tam altè eminet, niſi vbique ſui ſimilis, quantus in tuenda Pietate & Pace, tantus in evertendis earundem hoſtibus fuiſſet. Judaicum primùm nomen omne ſua impietate Chriſtique odio quàm alia re vlla nobilius

proſcripſit & Monachio ejecit. Gentis Proſeucham Joannes Harttliebus Medicus dono Principis accepit, partémque illius in ſanctiores ſecretam vſus *Virgini ſine Labe Conceptæ* dicavit, ea donum gratum habuit, facilis vota ſibi eo loco nuncupantibus, vbi olim nihil præter maledicta in Filium ſuum audierat. Sed relanguit cum tempore Pietas; donec repetito Beneficiorum cæleſtium curſu noſtro ævo revixit, intérque Religionis ſacraria Marianam *Cryptam* toti *Boicæ* celebrem reddidit non majeſtate, quæ ſanè loco abeſt, ſed præſentiâ Virginis, humilem ſpecum, vti Bethlehemium olim antrum, non dedignantis. Ludovicus Landishutanus ipſe quoque *Alberti* exemplo quadraginta locis Hebræos incertam omnes diem & horam proſcripſit, vt mali corui nullum jam *Boicâ* totâ nidum habeant; quanquam id ei apud Frid. Cæſarem, impiæ genti plus æquo addictum, invidię fuit, & inter cauſas offenſarum non ſine exaggeratione injuriæ relatum eſt. Eadem ſeveritate Graſſato-

ſatoribus publicis *Albertus* obviam ivit, nullo Nobilitatis reſpectu, quæ latrocinandi licentiam eo tempore inter equeſtris ordinis decora numerabat. Ita duo Cameravii optimo ſanguine, peſſimis moribus, cum vndecim Prædonum manipulo excepti, Straubingæ cervices ſecuri ſubjecere. Quingenti alii ejuſdem farinæ ex Neunhuſiano ſpoliario extracti, ipſi quoque nocentem ſpiritum ſub manu carnificis poſuere. Anno LI. Nicolaus Cuſanus Brixinenſis Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis, eruditorum ævo ſuo princeps, cum *Alberto* in Montem Andecenſem profectus, veneratúſque ſacroſancta Cimelia, jam ſponte propenſum, ad Canonicorum Collegium à Patre illic poſitum Monaſterio mutandum, in ſententia confirmavit. Pontifex conſilium ratum habuit, & ter mille aureorum ſymbolam maturando operi adjecit. Quinquageſimo quinto ædificandi; ſexageſimo vivendi finem fecit, ſeptem Filiorum triúmq; Filiarum ex Anna Brunſvicenſi Pater. è Filiis quinque ei ſuperſtites

ſtites mox producentur. Heroidum Eliſabethá Erneſto Saxoni collocata eſt; Margarita Friderico Mantuano. Barbara Mortales ſponſos, inque iis Franciæ Regem averſata, Virginitatis Lilia Gallicis prętulit, Deíque Filio in Parthenone Angerano nupſit, duodecimo à patris morte anno inſtantis fati triplici prodigio admonita. Amaraci primum frutex ſtudiosè ab illa rigatus eductúſque, decimo, quàm terris excederet, die, nullâ læſus injuriâ momento exaruit. Nono canoræ aves, quas vimineo texto in oblectamentum aurium plures clauſerat, canere ſimul & vivere deſierunt. Octavo, tortilis Catella, parentum mnemoſynon, in Virginis collo ſponte diſſiliit. his nunciis evocatam ad Superos vicenę ex eodem contubernio Virgines ſecutæ ſunt, æquali ſingulæ intervallo, vt nulla earum quartum decimum ab antecedentis funere præciperet. Id ſcilicet Regiæ Nymphę Gynæceum fuit. Ejus vicem Patri ſuę Virtutes fuere, quas in Principis comitatu *Boica* agnitas, fuiſ-

que

que diſtinctas nominibus *Pacem*, *Pietatem*, *Modeſtiam*, *Humanitatem*, *Clementiam*, *Benignitatem* appellavit. Amœniora ingenia implendi ſeptenarii causâ, *Amorem Literarum*, qui in illo eximius fuit, adnumerarunt.

# SIGISMUNDUS ALBERTI PII F. DUX BOIARIÆ QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

TEcum habitas, *viviſque tuo* Dux *optime ſucco*;
*Et Titulis præfers omnibus*, eſſe ſuum;
*Hic te inter raros, Mundi Miracula, Reges,*
*Sponte ſua faſces qui poſuere, locat.*
*Privatim dare jura tibi contentus, & extra*
*Invidiam, Muſas cum Pietate colis.*
*Te fidibus ludente, ſuas jactabit Apollo*
*Poſthac culti etiam Principis eſſe* Notas.
*Jam Templum, quo* Virgo Parens *&* Benno *coluntur,*
*Acceptum auſpiciis fert Hic & Illi tuis.*
*Primitias magnæ jecit tua dextera Molis;*
*Sic primi à Lapidis ſemine crevit opus.*
Ædis *nomen habet: neq. Nomen ſpernimus.* Ædes
*Illa tamen Patriæ ſufficit, imò* DEO.

QVem ex Alberti Filiis præ *Sigiſmundo* nominem? qui Portionem longè optimam paternæ hæreditatis, *Mo-*




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
NAPOLI



*Modeſtiam* citra invidiam ſortitus, ſplendidiorem etiam, quàm acceperat, transmiſit ad Poſteros; cùm Fratres in vna occupati Potentia, eâ partiendâ tuendâque ſępe concordiam amiſerint. Caverat teſtamento Pater, vt ſe mortuo ſumma rerum ad filios duos natu majores deferretur. Ii Joannes & *Sigiſmundus* fuere, patre etiamnum vivo, in partem curarum aſſumpti; id quod ex fœdere Auguſtano intelligitur, quod Anno LVIII. propter Ludovici Landishutani ſuſpectas molitiones cum Alberto Patre & duobus his filiis Reſpub. icit. Ludovicus hic Germaniæ Principum omnium extra controverſiam ditiſſimus, quò pluribus ad augendam potentiam adminiculis erat inſtructus, eò ſtudioſiùs id agere creditus eſt, ne vllam bene gerendæ rei opportunitatem è manibus amitteret. Argumenta ſuſpicionis in oculos incurrebant. Nam Danuwerdam, ante annos pauculos Ludovico Barbato à Sigismundo Cæſare ereptam, terrore armorum, caſtríſque ad vrbem poſitis, *Boico* iterum

nomi-

nominí aſſeruerat. Dünckelſpühelanos etiam, ob prædonem intra *Boicos* limites exceptum actúmque in furcam ęre multâſſe non contentus, eoſdem ad detrahendum è patibulo cadaver, ſupremóque cohoneſtandum officio adegerat, ingenti vtriusque facinoris invidia, & Friderici Cæſaris, alia pluſcula in illo reprehendentis, indignatione; vt qui neque Danuwerdâ redditâ placatus ſit, rumpente coaleſcentem cicatricem multò acerbiore offenſa; quòd Egræ cum Georgio Podiebrachio Bohemorum Rege & nonnullis Imperii Principibus congreſſus, dę Friderico exauthorando ſufficiendóque Podiebrachio agitâſſe conſilia argueretur; & Aichſtettenſem Epiſcopum, qui Danuwerdanæ litis ſequeſter lectus Vrbem liberam pronunciârat, & Imperio reddiderat, primùm ad deditionem faciendam, tum feriendum ſecum fœdus adduxiſſet. Vſus erat eouſque Alberto Brandeburgico Patris ſui ſorore genito perquàm familiariter, quòd pueritiam ſub eodem tecto, quódque

que Aventinus tradidit, eodem ferè lecto exegiſſent, in lucta, ſaltu, ceteríſque ejus ætatis ludicris ſemper æmuli, quíque puerorum mos eſt, quotidie amici inimicíque; qua ex ſcintilla Wilhelmus Rechbergius magnum incendium præſagiens, dixiſſe olim fertur, duos illos luctatores Regulos odiorum clitellas colligere, cum clade olim publica exonerandas; quod quidem haud diu poſt Egranum conventum, cui vnà interfuerant, factum ex cauſis multò obſcurioribus, quàm clades fuere. Ludovicus Alberti Provinciam ingreſſus Weiſſenſtadium vſque ſui omnia juris fecit. Ejus quoque Vrbis mœnia cùm dejeciſſet, militem nihilominus à præda cohibuit; & Wolfgangi Pienzenavii ad cædem ſe vocantis atrociorem ſententiam illa verè regia voce refutavit: Principem eſſe ſe meminiſſet, non Homicidam. parceret proinde Innocentûm ſibi ſanguinem propinare; in illos arma ſe non induiſſe. Cujus moderationis præſentem mox fructum tulit, oppidanis eodem fe-

rè momento ſe ſuáque dedentibus. Ad Rotam deinde flumen caſtra metatus, hoſtem transgredi auſum cum clade rejecit, vrbémque fluvio cognominem in poteſtatem adduxit. Marchionem ipſum Pontificis Cæſaríſque favoribus tumentem, quorum ille Franciæ Orientalis eum Ducem ſalutârat, hic vniverſæ Germaniæ litibus cauſíſque decidendis Prætorem eum dederat, abdicare vtrumque ſpolium coëgit, & in Æſopicæ morem Corniculæ adventitiis coloribus nudavit. Id cùm atrociſſimè ferret Albertus, & ſanguinem ſibi jacturis honoris ſui diceret viliorem, digreſſo in hiberna Ludovico, nulla induciarum habita ratione, ad amiſſa recuperanda & evaſtandos Würceburgium & Bambergenſem Epiſcopos, qui Ludovico acceſſerant, toto impetu ruit. Cæſari maximè gratificatus, qui ex privato bello facturus publicum, Legatum Imperii Albertum nominavit, & parere evocanti omnes Imperii Vrbes juſſit. Anno deinde ſexageſimo primo, ſub veris initium

Lu-

Ludovicum ad cauſam dicendam citavit; qui excuſatione valetudinis, quam eo ipſo tempore Thermis Caſteinenſibus refocillabat, vſus, id duntaxat reſpondit, deliberaturum ſe cum amicis, quid è re ſua eſſet. Paulò pòſt, ad maturandam odiorum ſegetem, ab Alberto Cæſaris fratre & hoſte Ingolſtadii appellatus, in illo quoque vlcere fixiſſe vnguem creditus eſt. Proinde cùm Bohemiæ Rex, qui Fratribus pacificatorem ſe obtulerat, inter conditiones concordiæ eam quoque retuliſſet, vt quas Alberto Brandeburgico in Ludovico inflammando Cæſar faces admoverat, iterum extingueret; tantum abeſt, vt id à ſe Cæſar impetrari ſit paſſus, vt potiùs tabulis quàm primùm & quàm acerrimè ſcripis Ludovico velut perduelli inimicitias denunciârit; quas cùm ille commeruiſſe videri nollet, eas Tabulas Cæſari remiſit; nihilominus ne imparatus opprimeretur, domeſticis externíſque auxiliis comparatis, in Albertum hoſtilia iterum auſum contendit, moréque

turbinis provinciam ejus pervagatus, oppida arcésve octodecim in poteſtatem adduxit. Neoſtadio tandem, quod majoris operæ fuit, potitus milites in hiberna dimiſit. Albertus ejus abſentia & ceſſatione in rem ſuam abuſus, Neoſtadium aſtu, quod Zingius ſcripſit, ſive ignaviâ noſtrorum ſomno otióve marcentium, quod domeſtici ſcriptores prodidere, eodem anno recepit; Danubiúmque gelu adſtrictum transgreſſus, à Teſaro Fraunhofio animosè rejectus eſt; Ludovico interim ad accerſenda nova à Bohemo auxilia profecto. Appellaverat eodem ferè tempore etiam Joannem & *Sigiſmundum* Fratres, vt *Boici* nominis, tantis impetiti odiis, ruinæ junctis viribus obniterentur, quam protrito ſe ſoli ipſi ſuſtinere fruſtra ſint laboraturi. At noſtri cùm ab eo bello abhorrerent, & Cæſaris auctoritate, ne ſeſe admiſcerent, commóverentur, precisè negârunt, quidquam à ſe impetraturum, niſi à Sale, quem præterquam Monachii Iſaram transportari nefas ſit, ad

ad pontes ſibi vectigales avertendo de cetero abſtinuiſſet. Extorſit neceſſitas, quod nullis antehac tabulis, nullis Judicum Arbitrorúmque ſententiis effici potuit, vt iniquam litem ejuraret; etſi Principes ne hoc quidem delinimento capti arma induerunt, neque alias ſuas, quàm Pacificatorum partes eſſe voluerunt; id quod anno ſexageſimo ſecundo egregiè demonſtratum eſt. Dabant ſe præclarè Alberto initia, quamdiu Ludovicus abfuit. Jam Monhemium & Haidenhaimium expugnaverat; Graiſpachium etiam diruerat, & quotidianis Auguſtanorum excurſionibus *Boicam* confinem ingentibus damnis affecerat; cùm à Gundelfingæ obſidione Ludovicus recedere frementem coëgit. Id tempus *Joannes* & *Sigiſmundus* mitibus opportunum conſiliis rati, Auguſtæ commorantem Albertum de pace appellârunt, ab eóque ad Ludovicum profecti, in æqualia vtrobique ingenia inciderunt. Pentecoſtes feriis cum novis remediis ad ſanandos exulceratos

animos reverſi, id duntaxat impetrârunt, vt condicta in Julium menſem die, in arbitrorum ſe poteſtate dicerent futuros. Properabatur tamen vtrinque, ne agitata in campo Martio cauſa in forum & tribunal mitius traheretur; cecidítque ex communi voto, vt triduo ante conſtitutam diem, XIX. Julii, lis gladio decideretur. Albertum, Giengæ Curuli vallo abditum, & tormentorum in omnem partem fulminantium horribili cuſtodia ſeptum, Ludovicus caſtris exuit.

Periculoſæ id plenum opus aleę Ducibus viſum; à cujus aggreſſione Ludovicum certè abeſſe, ratio Reip. videretur expoſcere. Sed ille ſeceſſionem vt ignavam abominatus, æquiore animo moriturum ſe, quàm id facinus admiſſurum affirmavit, vallóque reſcindendo inter primos manus admovit, *Virginis Matris* nomen identidem ingeminans, quæ plumbeam grandinem è ſuperiore effuſam loco à Clientum ſuorum capitibus ſine noxa avertit, Alber-

bertúmque illum ipſum Germaniæ Achillem tanta formidine implevit vti nullam præterquam in fuga & pedibus ſalutem, fruſtra revocatus ab Helvetiis, ſitam crediderit. Victoria non tam ſanguine, cujus reverens parcúsque Ludovicus ſemper eſt habitus, quàm ſpoliis nobilis fuit; quæ inter tres Aquilæ captę: Imperialis Biceps; Brandeburgica Purpurea; tertia Liberarum Vrbium triginta duarum, quarum omnium & auxilia aderant, & inſignia vivis expreſſa coloribus Aquilam ſtipabant. Majus humanis viribus opus tantillo patratum impendio, neque glorioſi milites omniáque ſibi arrogantes negârunt. Carmen Triumphale Victrici *Virgini* magno conſenſu cantatum eſt; neque verecundiæ cuiquam fuit, muliebri pietati tantundem de Victoria, quantum armatis manibus concedere. Ita Amalia Ludovici vxor caſtis precibus donísque omnia Altaria ſub illud tempus decretorium cumulans, placâſſe Numen, vitésque ſuffeciſſe pugnaturis credita,

 pro-

proximam à Deipara partem gloriæ tulit. Ludovici laus propria eſt animi in victoria moderatio, victis quàm victoribus opportunior; cùm pari contentione pro abolenda ignominia Albertus, & Ludovicus pro finiendo bello laboraret. Giengâ quidem intactâ copias abduxit, Auguſtanis imminens, qui perpetuis excurſionibus Ludovici provinciam, qua parte Lyco imminet, graviter afflixerant. Nihilominus cùm in eorum agro caſtra poſuiſſet, dubium ſubinde fecit, ſatiſne hoſtem ſe, intérque hoſtes meminiſſet, quotidie ferè Creticum ex vrbe vinum petere in menſam auſus; Germanici fiduciâ candoris liber à ſuſpicione, *Danaos & dona ferentes* formidante. Hainhofiæ arci vt parceret, Serto à Sibylla Goſſenbrottia Langenmantelii, cujus ea arx fuit, vxore ſubmiſſo delinitus, monumentum Clementiæ, inter Coronas Triumphales olim non viſum, ſuffixum galero comiter oſtentavit. *Sigiſmundus* interim noſter Norimbergæ cum ſummis Germa-

niæ

niæ viris, quos Reip. miſertum fuerat, congreſſus, revellendis Pacis obicibus, ad pangendas inducias partes adduxit. Autumno adulto, dum pro ſolida pace Ratisbonæ laboratur, Fridericus Cæſar ab Alberto germano Fr. Viennæ in Regia obſeſſus, & in vltimas anguſtias adductus eſt; è quibus cùm Georgius eum Bohemiæ Rex, adducto ad vrbem exercitu, extricâſſet, & cum fratre in concordiam reduxiſſet, altero anno, qui ſexageſimus tertius fuit, etiam Ludovicum eidem conciliavit, opportunis ad omnes controverſiarum nodos cuneis repertis, vti ex Tabulis Regii Arbitrii intelligitur: quo etſi civilium bellorum æſtus refrigeratus eſt, reſpirare tamen Germaniæ non licuit, Peſtilitate, æquè atroci malo, in perniciem hominum è veſtigio prorumpente; quæ etiam Joannem *Sigiſmundi* fratrem ſuſtulit ſerium largúmque Principem, & amantiſſimum æqui bonique; cujus mortem nemo Ludovico Landishutano minùs luxit; quem haud dubiè ea provinciæ parte,

cui non optimo jure incubabat, ejectu- rus fuerat; ſi diutiùs provixiſſet. Jam olim illum ad duellum invitaverat, du- ûm capitum periculo, ferróque, quod innoxiam plebem non involueret, judi- ce impoſiturus liti finem. Eo in Ande- cenſi monte tumulato, *Sigiſmundum* ſta- biliendo Principatui intentum, fratri- bus invitis meditata exequi nequiviſſe, Aventinus prodidit. cùm biennium ſo- lus imperâſſet, victum ordinum conſen- ſu, Albertum in conſortium poteſtatis admiſiſſe; quę ab Antiquioribus Aven- tino Scriptoribus & temporum illorum æqualibus Vito Eberſpergenſi & Aren- bechio adſtipulationem non habent, qui nomen *Sigiſmundi* ambitionis notâ aſpergi non patiuntur, & palàm affir- mant, ſuo eum non alieno arbitrio ex il- lo faſtigio deſcendiſſe, excuſſóque cura- rum jugo, quarum moleſtiam gravita- témque nullis Principâtus emolumen- tis penſari dicebat, in libertatem ſeſe vindicâſſe. Ducem pulcherrimi ex- empli inter Majores ſuos nullum habuit.

ne-

neque Patrem illi comparaverim, etſi Regnum repudiavit, quod neque ſine ſanguine retineri potuit; & vtique aliena non concupiſcere, quàm optimo jure partis nuncium remittere, in minore laude ponitur. Egregii nihilominus Principis numeros Regiis virtutibus etiam Privatus implevit. Liberalitas præcipuè ejus, quę Principes judicio mortalium Semideos facit, admirationi fuit; quòd cùm præter Menzingam, Nanhoſium & Grünwaldam nihil ſibi feciſſet reliqui, manus tamen nunquam contraxerit, nunquam deficiente munificentiæ cornucopiæ, nullis pauperum gregibus ad ſe convolantium offenſus, ſemper habuit, quod in illos ſpargeret. Regiam ſuam Viris ſacratis, Muſis, Muſicisque patere ſemper voluit; à bonis artibus pro Mæcenate cultus, non modò paupertatem iis detraxit, ſed dignitatem inſuper conciliavit, antehac contemptis, tractare ipſe familiariter fides, & perquàm ſcitè ſolitus, non ad animi duntaxat remiſſionem, ſed in ſanctiores

vſus

vſus & augmentum divini cultus; quem cùm in humilioribus templis compluribus ad ſplendorem perduxiſſet, Baſilicæ Monacenſis Marianæ omnium, quotquot per Boicam viſuntur, ampliſſimæ condendę auctor primum in fundamenta lapidem, anno ſexageſimo octavo ſupra quadringenteſimum, ætatis ſuæ vigeſimo nono jecit, teſtem pietatis ſuę haud paulò commendabiliorem ſaxo illo altero, quod à *Sigiſmundi* fratre Chriſtophoro Trecentarum ſexaginta quatuor librarum pondere ſublatum jactatúmque palmam Miloniani roboris inter omnes Diſcobolos, qui ſuas hodiéque ad illam molem vires examinant, pridem conciliavit. Principibus certè glorioſius fuerit, *Sigiſmundi* ſaxum verſare, quódque ab illo identidem animo volutatum, eundem a Baſilicis Curis ad Baſilicæ ſtructuram impulit, & vncialibus literis ejus juſſu quadrato inciſum lapidi in propylæo templi legitur

*Clam*

*Clam Fortuna ruit, Fragili pede, Tempus & Hora;*
*Noſtráque ſunt ſemper Facta dolenda nimis.*

His cogitationibus imbuto parùm denique viſum eſt, exuiſſe *Principem*, niſi *Religioſum* indueret, & in mortis manus veniret *Cuculatus*. ea in Franciſcanæ Familiæ cultu habitúque non imparatum. Anno MDI. offendit, & nempe à ſeipſo pridem compoſitum hypogæo Baſilicæ ab ipſo conditę intulit. Leſſum in Romano cothurno optimus illi Poëta præcinuit, quem noſter hic Muſicus vltima & Cygnęa voce ſequeretur.

*Rex eſt, qui metuit nihil.*
*Rex eſt, quíque cupit nihil.*
*Hoc Regnum ſibi quiſque dat.*
*Stet quicunque volet potens*
*Aula culmine lubrico.*
*Me dulcis ſaturet quies;*
*Obſcuro poſitus loco*
*Leni perfruar otio.*
*Nullis nota Quiritibus*
*Ætas per tacitum fluat.*

*Sic cùm tranſierint mei*
*Nullo cum ſtrepitu dies,*
Plebejus moriar ſenex.
*Illi Mors gravis incubat,*
*Qui notus nimis omnibus*
*Ignotus moritur ſibi.*

ALBER-


ALBERTVS SAPIENS D·BOIAR·I.V·OB·A·MDVIII
ATA VIAM INVENIENT

# ALBERTUS SAPIENS ALBERTI PII F. DUX BOIARIÆ QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

DÆdale, nil opus eſt Labyrinthos fingere; plena
Sunt Labyrinthæis omnia Regna dolis.
Intricant curæ Dominos, redituq; negato,
Corda per ambages illaqueata trahunt.
Væ miſeris! tutum niſi præſtent Fila receptũ.
Non à plebeia Fila petenda Colu.
Quæ Titulis, Alberte, ſuis te Diva beavit,
Hæc Tibi cum pulchro Nomine Fila dedit.
Fata regant alios. præſtat Sapientia Fatis;
Illa tuum Filis quam bene rexit iter?
Hæc jam inter Boicę proſtant Cimelia Gazæ,
Inq; tuæ gentis commoda, Teuto, patent.
Quid Labyrinthæo faceres deprenſus in Horto,
Tam Bona ni Boico in Glomere Fila forent.

Talia *Alberto* Academicum cognomẽ, Germania Regium impoſuit. illa inter Principes *Literatiſſimum*; hæc *Sapientiſſimum* appellavit. Poſterius partus prio-

prioris eſt; *Sapientem* Literæ fecerunt; Principatus oſtendit; quem vti Sigismundo fratre volentiſſimo adiit, ita Chriſtophoro invitiſſimo geſſit. Partem hic imperii ad ſe trahebat, injuriam natalium ſuorum interpretans, ſi Princeps natus privatus viveret. Favebat ambitioni ejus Nobilitas Transdanubiana, ſimilitudine morum conciliata Martio juveni,& jam tum priſcis Heroibus comparando; cùm *Albertum* ſolæ eouſque literæ nobilitâſſent, quas qui non intelligunt, ferè etiam oderunt. Optimi quique & Patriæ amantiſſimi negabant, è Repub. eſſe, anguſtæ Provinciæ, exiguo ſcilicet corpori, plura capita imponi, neceſſariò, quod ſuperiora & proxima etiam tempora docuiſſent, collidenda primùm inter ſe, multóque deinde perniciosiùs divellenda. ſpem quietis in eo ſitam, ſi Chriſtophoro Sagum, Wolfgango Toga injiceretur; & ille Armis gloriam; hic inter Aras opes ſibi quęreret. Et Chriſtophoro quidem jam honeſtiſſima apud Carolum Audacem Bur-

Burgundiæ Ducem, quo Bellator melior acriórque nemo tunc habebatur, inventa erat conditio; alteri quærebatur; ſed quæ neutri allubeſceret. Illud tamen impetratum eſt, vt Ludovicum Patruum arbitrum litis paterentur. Chriſtophorus ducentis equitibus ex factiola Nobilitate ſtipatus, principali omni cultu aſſumpto, & Palatinis miniſteriis tumens, Landishutum in tempore eſt ingreſſus. Ea tamen pompa, in morem ſolſtitialis herbę, repentè exorta repentinò occidit. Ludovicus exauthoratum *Alberto* fratri faſces juſſit ſubmittere. Suſtinuit in ordinem redigi Chriſtophorus, tenuiſſétque ſe intra limites, quibus erat circumſcriptus, ſi id ci per honorarios aſſeclas, quorum ſpem illa Principis modeſtia labefactaverat, licuiſſet. Eminebant in iis Gewolfus Degenbergius & Joannes Nuſpergius, non ſolam ambitionis facem admoturi cupido Juveni, ſed Huſitica impietate candori ejus & integritati illuſuri. Occultatam ab iis callidiſſima ſimulatione

peſtem Joannes egregius Sacerdos detexit, eâ tantùm gratiâ Egrâ Landishutum profectus, vt populo pro concione duos illos Reip. Sinones oſtenderet, & deteſtabile nomen illorum piis omnibus redderet. Neque diſtulit Georgius Tharſtainius (Thornſtainium Hundius appellat) nulla re Gewolfo par, Fidei Pietatíſque hoſtem cum octoginta non amplius equitibus & peditibus centum adoriri, arcéque ejus Degenbergia occupata, inſultare inde propè potentiſſimo *Bojorum*. denique vt ſpem ejuſdem recuperandę illi adimeret, *Alberto* Principi exſcindendá objecit; viam inſuper ad Nuſpergiam & Weiſſenſtainiam Arces invadendas aperuit, æquè felici ſucceſſu, & ad exturbandam vtroque nido impietatem opportuno. Eadem res ad continendum in officio Chriſtophorum valere debuit, cùm nihil *Albertus* committeret, cur fratrem modeſtiæ pœniteret. Interim enim etiam Romam vnà ierant, ad ſalutandum Paulum Pontificem, quo adhuc purpurato familiariſſimè vſi fuerant,

rant, cùm in vrbe ad capeſſendum ingenii cultum verſarentur; quò gratior illi eorum adventus in majore jam ſua fortuna fuit, & in explendis eorundem deſideriis, indulgendíſque ſacris Privilegiis & immunitatibus profuſior liberalitas. Sed regreſſos in patriam veteres ſimultates diſtraxere, tanta à Chriſtophoro acerbitate geſtæ, & tot injuriis proditæ, vt *Albertus* Anno ſeptuageſimo primo; Bacchanalibus, ad facinus ſola neceſſitate excuſandum adactus, fratrem è Balnearum Monacenſium ſolio detractum in liberam cuſtodiam condiderit. Wolfgangus dirum exemplum ad ſe quoque pertinere ratus, rectâ Auguſtam cum quaternis duntaxat comitibus elapſus, & fratrem vtcunque amicè ſe revocantem averſatus, calamitates captivi ſuúmque periculum Principibus, eodem anno à Friderico Cæſare Ratisbonam evocatis, VIII. Id. Julii, tam appoſita ad ciendam miſerationem oratione commendavit, tantâ *Albertum* invidiâ inundavit, vt infeſta ora oculóſque, quibus

paſſim defigebatur, ferre non ſuſtinens, Sigiſmundi Fratris valetudine obtentui ſumptâ, Monachium ſe receperit. Joan. Ant. Campanus Legati Pontificii familiaris, cùm ea de re ad Cardinalem Papienſem Ratisbonâ ſcriberet, ingens vulnus Wolfgangi accuſatione omnium animis inflictum fatetur, *Fratre adverſus Fratrem, pro Fratre contendente; cùm non cauſa modò, ſed promiſſa barba, & mutatio veſtiū, & lacrymarum immodica effuſio pro duobus fratribus, altero captivo, altero exule certarent.* Decreta confeſtim ad *Albertum* graviſſima Legatio, Friderici Cęſ. & Franciſci Card. Senenſis Legati Pontificii, & communiter Principum omnium nomine, ab Alberto Saxone, Othone Palatino Rheni Novifori Duce, & Wilhelmo Aichſtettenſi Epiſcopo obita, & totius Imperii majeſtate munita; ſed nempe in *Alberti* Sapientiam facundiámque, eodem Campano teſte tantam, *quantam capere gens poteſt*, incurſura; quæ ſola illi ad excipienda expoſtulantium tela, pro ſcuto; ad remittenda,

pro

pro arcu fuit; neque ad vnum duntaxat congreſſum ſuffecit: nam qui paulò pòſt ex Sénatu Cæſareo & Ludovici Ducis conſiliariis diſertiſſimi viri prioribus ſucceſſere, nihilo plus eloquentiâ, quam priores auctoritate profecerunt. Cæſari denique ipſi Prüflingæ congreſſus ſi non ſatisfecit, inhumanitatis tamen præjudicium, cauſis facti ſui redditis, eripuit. Vltra verba itum non eſt; quibus neque capi *Albertus* potuit, neque Chriſtophorus liberari. Solus Otho, Novi Fori Dux, affectui ſuo prolixiùs indulſit; adductíſque ad vrbem centum equitibus, foſſam extemporali ponticulo ſtravit, penetraturus haud dubiè ad captivum, niſi, quemadmodum Gallos olim in Capitolium enitentes clangore Anſerum proditos accepimus, ita Olores iis vivariis ſtabulantes, Othonis audaciæ obſtrependo, excubias officii ſui admonuiſſent. Decimo octavo demum menſe, triginta ſex ſponſoribus fidem *Alberto* pro Fratre obligantibus, Chriſtophorus publico eſt redditus, Landſpergáque &

Weilhemium vrbes, cum Pala arce, ei vectigales ad decennium factæ. Infamatum Carcere Chriſtophori annum, deducta Muſarum in Academiam Ingolſtadienſem colonia nobilitat. Id Ludovici proprium opus eſt, cui ex cognomento Divitis tantundem invidiæ, quantum gloriæ, paratum fuerat, niſi hanc bene collocandarum opum rationem divino conſilio eſſet amplexus. Bonæ literæ immortali illius beneficio obligatæ, Divitem illum propè Divis exæquârunt. Fratres redintegratâ gratiâ, Cæſari anno ſequenti Badenæ honoris cauſa aſtitiſſe, comperio. *Albertus* etiam ad Carolum Audacem Burgundiæ Ducem proficiſcentis comes, ipſe quoque Burgundi conviva in eo Epulo aſſedit, quod vnicum regii luxûs argumentum Europa tunc habuit decantavítque, ſed, quæ nunc tempora morésque ſunt, laudem Modeſtiæ laturum & Frugalitatis; cùm triginta ſex fercula (nec enim plura illata ſunt) hodie etiam in plebejos ventres deſcendant. Propinata firmatá-

matáque inter illas menſas concordia. Noveſiano confeſtim bello expiravit. ſucceſſere altera Hilaria, in Georgii Ducis Nuptiis, cùm ei Ludovicus Landishutanus pater, Caſimiri Poloniæ Regis Filiam Hedwigem junxiſſet. Diu nihil magnificentius Germania ſpectaverat; quòd totius Imperii majeſtas cum Imperatore Landishutam confluxiſſet. Sumptuariæ rationes hodiéque ſuperſunt; & horrori olim fuit legentibus, Aureorum LX. millia ſeptingentos ſexaginta ſex quantacunque prodigalitate abligurriri potuiſſe; cùm eſculentorum poculentorúmque ſyllabos recenſentibus multò mirabilius hodie videatur, hoc quidquid eſt æris, in penum & cellam ſuffeciſſe. Tauros Pannonicos CCC. Gallinarum LXII. millia & amplius, Anſerum quinque millia, Cancrorum LXXV. millia, Apros LXXV. Cervos CLXII. Avenæ Medimnos ſive *Scaphas* MDCCLXXII. Vini patrii dolia vaſta CLXX. Exotici lagenas CC. Italici vaſa LXX. cæteráque hinc æſtimanda gulæ ceſſiſſe qui leget,

vili pretio obſonatum exiſtimabit. Sed nos hederam his non ſuſpendimus. Palmæ, quas Chriſtophoro & *Alberto* fratribus, iſémque Graveneckhio ſua illic virtus peperit, ſunt decentiores, & Chriſtophoro Fortitudinis primas inter ejus ævi Heroës ſine dubitatione aſſeruere. Lublinenſis Dynaſta, ſponſæ à Rege Patre additus, vaſtitatem corporis animi faſtu ſupergreſſus, Circenſia Germanorum certamina vt indigna viris ridebat, committi ſecum ſerium bellatorem poſtulans, documento futurum, vtra gens majores in bella vires & peritiorem dexteram afferret, mille aureos præmium victori pactus. Nemo erat ex Juventute Germanica, qui ad illius molem corporis ſine horrore ſeſe expenderet. vnus Chriſtophorus Cęſaris voce, multóque magis Germanici Nominis periculo excitatus, conditionem fidenter acceptavit; progreſſúsque condicta die in arenam, vt erat cataphractus, equo deſilit, idémque à Lublinio exigit, quem comperera contra leges Agonales loris e-

phip-

phippio adſtrictum, eâ fallaciâ adverſus caſum ſibi caviſſe. Ille ignominiæ certus ſi parêret, diu multúmque obluctatus, ridendum ſe denique præfectis loris præbuit, ęgrè à pluribus in equum repoſitus; cùm noſter facili in eum ſaltu ſe libráſſet, ſignóque concurrendi dato, infeſtam in adverſarii pectus haſtam tanta dexteritate & vi torſiſſet, vt ille equo excuſſus, & in ſpatium ingens porrectus, non ferociam tantùm cum ſanguine, ſed ſpem etiam vitæ evomuerit, intra triduum mortuus, negans cum homine ſibi rem fuiſſe, ita fulminanti à Superis vel Inferis commodatam manum & vires. Chriſtophoro, quò nobilius theatrum & formidabilior hoſtis fuit, eò auctior gloria ex duello rediit, omnibus ordinibus Vindicem Germanici nominis, & Principem Juventutis fauſta acclamatione proſequentibus. Matthias deinde Corvinus Vngariæ Rex caſtra ſua ſequentem, non modò fortitudinis, ſed fidei etiam nomine in pretio habuit, ejúſque operâ in maximis

rebus perlibenter eſt vſus; donec, verſis in Cæſarem armis, bellum id deteſtantis ſtudia à ſe abalienavit. Magno interim neque tamen inſolente prodigio, Argenti Secturæ in Werdenfelſianis *Boicæ* montibus, ingentem quęſtum pollicitæ, repentè videri deſiere; quòd Epiſcopo Friſingenſi & *Alberto* Duce novæ ſpei parùm amicè inhiantibus, natura parens vel odio litigantium, vel cupiditate offenſa, velut abortu facto, argenteum partum oculis ſubduxiſſet. Melior exinde *Albertum* cura ſubiit collapſæ in Religioſis Domicillis Sanctitatis erigendæ. Auctorem egregii conſilii haberi ſe contentus, majoribus auſpiciis facti gloriam conceſſit. Summus Pontifex ea de re appellatus ſacros Cenſores dedit; qui, quæſtione de moribus exercita, duos Parthenones totidémq; Virorum Aſceteria Monachii à corruptelis repurgârunt, & diſciplinæ impatientes locum dare melioribus coëgerunt. quo pacto etiam Prüelenſe Cœnobium Incolas mutavit, & pro Benedictinis Carthuſianos

acce-

accepit. Quæſita alia quoque pietati adminicula, & Pontificiæ gratiæ, rarum ea tempeſtate munus, A. MCCCCLXXXIV. Monachium invectæ. Serenitatem publicam anno ſequente Fratrum diſcordia iterum fœdavit. Decem anni, quibus Imperium Chriſtophori in Landſpergenſes definitum diximus, ante biennium exierant. *Albertus* nihilominus, ne crabrones irritaret, jure ſuo in repetenda vrbe non eſt vſus, quamdiu per cives licuit; qui ſumptui ferendo ſolvendíſque Chriſtophori debitis impares, actum de Fortunis ſuis vociferabantur, ſi diutius ſub jugo, imò cultro, opprimendi vel deglubendi relinquerentur. Difficile *Alberto* fuit, debitam Patriæ Fratríque pietatem tam doctè miſcere, vt ſatisfaceret vtrique. Id quidem ei curę fuit, ne vel defuiſſe jus ſuum poſtulantibus, vel ad vim ſine neceſſitate veniſſe argui poſſet. Cauſa primùm Nobilitati *Boicæ* probata eſt; eáque, miſſo Feciali, Chriſtophoro amicitiam obſequiúmque frequens renuntiavit. *Albertus* conſenſum

ſecu-

ſecutus, Landſpergam, Weilhemium & Palam in fidem recepit; rebúſque ex ſententia & citra tumultum geſtis, militem à ſignis dimiſit. Chriſtophorus celeritate fratris præventus, vltimum ex vindicta ſolatium captabat; cognitóque Nicolaum Abenſpergium, quem vnum omnium, ob injectas ſibi in Balneo manus, peſſimè oderat, ſexaginta tribus Equitibus ſtipatum Monachio regredi, hanc dolori ſuo victimam divinitus objectam interpretatus, armata extemplo non impari cohorte, in eum contendit. Præſagierat id quoque *Alberto* animus, monuerátque Abenſpergium, caveret paratum ſibi malum, abirétque comitatior. quod ille velut confeſſionem formidinis abominatus, etiam optima ſpolia *Alberto* promittebat, auſus ex illo quærere, Vivúmne an Mortuum videre fratrem mallet? Cùm *Albertus*, quod pietate ſua dignum erat, reſpondiſſet, Abenſpergius in viam ſe dedit, devorans ſcilicet ferocibus cavillis Chriſtophorum, déque illo inter commilitones triumphans.

umphans. Chriſtophorus Crantſpergæ raptim & quidem ſtans epulatus, ſitim invíſo ſanguine properabat extinguere; & jam Friſingæ proximus, ſociis in vicino ſaltu abditis, ſpeculatoris partes ipſe ſibi ſumpſit; vtque primùm devota cædi capita in conſpectu fuere, prolapſus in genua, tollénſque cælo ſupinas manus ſcelerum vindici Deo gratias egit, quòd ſui ſe voti hoſtiúmque compotem feciſſet: curriculo deinde regreſſus ad ſuos, eoſdémque, quibus ipſe ardebat, ignibus inflammans, quernum ramum galeæ ſuffixit, quíque ſequi ſe vellent, imitari exemplum ſuum juſſit. Solus Sunthaimius, cùm cautus videri quàm præceps mallet, Principem admonuit, ne ſe ſuóſque iret perditum; meminiſſet cum Abenſpergio rem ſibi eſſe, qui temerè nihil vnquam aggreſſus, niſi iratum genium ſuum habeat, ſine clientum catervis caput ſuum periculo non fuerit objecturus. Chriſtophorus comperta ſibi memorans, intempeſtiva hominem ſolicitudine liberavit, & per mediam vr-

bem

bem Friſingam, nemine compellato, transvectus contrà tendentibus aciem in cuneum exacutam objecit. Abenſpergius Ducem nomine ſuo compellans, eadémque fiducia cataphracto, qua olim nudo inſultans, à Dieſſero, qui haſtam vibrans toto in illum impetu ferebatur, prima commiſſione equo eſt effuſus. Chriſtophorus mirabili fato cum Burcardo Rorbeckio & Laurentio Pognero captivitatis ſuæ miniſtris colliſus, ne qua ſui voti parte excideret, vtriusque latus hauſit, eadémque cum Abenſpergio meritos, eadem paſſos vidit; nam illum quoque Dieſſeri humanitate ſervatum, conantémque aſſurgere, Seifridus Fraunbergius pactorum ignarus confecit, & Chriſtophorum à cęde in vrbem vſque propagata reverſum graviſſimo ſpectaculo exhilaravit. Illa funeſta ſcena & confuſus trium inimiciſſimorum mortalium ſanguis Chriſtophorum placavit, & cum Juſtitia in gratiam reduxit; huic enim potiùs, quàm ſibi gratulatus, *Hoc habent*, inquit, habeánt-

àatque vtinam omnes, qui inter fratres Claſſicum canunt! ſic rigent odia, quæ ſeverunt; & redeuntibus per jugulum ſanguinariis conſiliis reſpirent innocentes. Sociorũ nemine deſiderato, ſeptena duntaxat in omni comitatu vulnera numeravit; quibus adverſarii totidem funera impenderunt; nam integro corpore, pręter denos ternos nemo eorum acie exceſſit. Dux ſolidum gaudium eo adhuc veſpere Moſpurgum intulit. Monachii contrà cùm pueri honorarii, qui à cæde ſe proripuerant, omnia in majus extuliſſent, ita trepidatum eſt, vt cives in armis pervigilaverint. Qui Abenſpergium lugeret, nemo ſuperfuit. Nobiliſſima familia à Babone XXXII. Filiorum patre deducta in hoc Nicolao deſiit. Sed concordiæ inter Fratres ſanciendæ causâ frequens Monachii conventus actus. Præter Ordines Provinciales etiam Joannes Palatinus Rhenanus ſummæ Ædis Auguſtæ Præpoſitus, Eberhardus Wirtenbergius, & Schwarzenburgius Comes adfuere, & hic quidem

dem quingentis comitatus equis, & ob id ſtudium mille aureolorum ſtipendio (ſtipem hodie vocaremus) donatus. Lecti ex omni numero ſexaginta quatuor viri, quorum arbitrio ſtaretur. Jam aſſederant de cauſa cognituri, cum *Albertus* Fratri ad familiarem congreſſum pertracto facilè perſuaſit, è re vtriuſque fore, ſi alieni eguiſſe conſilii argui non poſſent. dicerent ipſi ſibi leges, neque peregrinis auxiliis amicitiam fratres fulcirent: ſe, quod bene verteret, Schongaviâ, Weilhemio, Palâ & Lechſpergâ fratri ceſſurum; Æs illius alienum omne diſſoluturum de ſuo, & quatuor inſuper aureorum millia in annos ſingulos præſentaria numera urum. Chriſtophorus æquitate fratris collaudata, in ejus ſe auctoritate futurum ſpopondit, progreſſúſque cum eo in comitium, ſupervacuo Patres labore liberavit. Anno proximo, qui LXXXXVI. fuit, Ratisbona *Boicæ* gentis caput, ſed ante CCC. jam annos liberis Imperii Vrbibus accenſa, volens nolens ad *Bojos redyt* id Rei-

Reſpubl. vniverſæ vitio factum non peſſimus poëta, ſed cujus præter fragmentum hoc nihil vidimus, prodidit;

*En tua clara Soror*, Ratis *illi nobile nomen,*
*Imperij nuper ſacri Fundamen honórque,*
*Saxea Danubium rapidũ per vincla coërcens;*
*Libertate ſua, quam prima ab origine duxit,*
*Se miſeram ſpolians didicit ſervire, jugúmque*
*Alterius patitur*, Nimium quia Prodiga vixit.

Verius eſt, propriam Magiſtratus culpam fuiſſe; quód qui Reip. ab annis xL. præfuerant, ſive rerum gerendarum imperitiâ, ſive oblivione parſimoniæ, Æs ſimul fidémque Civitatis decoxiſſent. *Albertus* ſtatum vrbis ſagaciter odoratus, illud ſuum eſſe tempus credidit, quo non oppignerata tantùm à Majoribus ſuis redimeret, ſed in eum omnia locum reſtitueret, quo ante Fridericum Ahenobarbum, qui vrbem *Boÿs* ablatam Imperio aſſeruerat, fuiſſet. Transdanubiano primùm ſuburbio vindicato, pedem in ipſa vrbe ita fixit, vt quos nuper

æs alienum duntaxat preſſerat, nunc in arctum coacta libertas multò miſeriùs ſtrangularet. Quantum ſatis erat maceratis, vltro ipſe vindicem ſeſe obtulit amiſſorum commodorum. Ad veteres dominos redituris & illa, quæ erepta ſibi dolerent, & nova quamplurima, quæ iis ex libello recitabantur, benevolentiâ Principis obventura, haud ſanè penſanda inani nomine Imperialis Clientelæ, ex qua præter ſplendidam paupertatem nihil ad illos redierit. *Boicæ* olim gentis Vrbi Principi, ipſorúmque Principum Regiæ nihil ne ad Majeſtatem quidem defuiſſe; *Boicis* ſignis refixis, *Claves* quidem Ratisbonenſibus relictas, ſed quibus nullum *Bojariæ* granarium, Principibus invitis, patuerit. ita vrbem Alumnam factam Provinciæ, cujus olim Domina fuerit. Cùm neque refellere dicta poſſent, neque promiſſa repudiare vellent, magno conſenſu in Principis poteſtatem conceſſere, & VIII. Id. Aug. in Vrbem invecto ſacramentum dixere. Tradita eidem Thumſtauffia

arx,

arx, cum facultate Caſtri intra vrbem, condendi aperiendæque portæ. Ademptum inſuper æs campanum civibus, ſive ſoni, ſive juris vſurpandi gratiâ, Monachii ſuſpendendum; cujus jactura cives magis propè, quàm amiſſa Libertas afflixit. Invito certè Numine ſpoliatos illo ſe ornamento credidere; vtique poſtquam & Nauta, qui ſpolium avexerat, præpropere interiit, & æs ipſum actis rimis obmutuit. Sub idem tempus recuperandæ etiam Tirolis multò opimior ſpes affulſit. Intercedebat *Alberto* cum Sigiſmundo Auſtrio, quem Tirolis ea tempeſtate Principem habuit, intimus vſus, non vno officiorum genere, & pecuniariis potiſſimùm in Bellum Venetum auxiliis largè ſuppeditatis contractus firmatúsque; quæ vt grata fuiſſe ſibi Sigiſmundus oſtenderet, Kunegundem Cæſaris F. quam cordi eſſe *Alberto* nôrat, inſcio illi patre conciliavit; quódque ipſe ſpem prolis nullam haberet, doti Tirolim dixit. Cæſar triplici jactura, præreptæ Imperio Vrbis, abdu-

ctæ Filiæ, & abalienatę à ſua gente provinciæ, immaniter offenſus, totidem habere ſe belli cauſas credidit, quot injurias numerabat, vltionis tam appetens, vt niſi Suevica illum auxilia deſtituiſſent, illætabiles inviſo Genero nuptias fuerit facturus. Dotem certè induxit; Sigiſmundum etiam velut gentilitiorum fœderum immemorem, & in ſe ſuóſque injurium ad antiquanda genialia pacta adegit. Iras illius viréſque mox verum ſcelus & dignum vindice Cæſare rectiùs occupavit; cùm Maximilianus filius ejus idémque Rex Romanorum, Brugis Flandriæ, non hoſtium vi, ſed civium perfidiâ libertatem amiſit. Erant in ejus comitatu Chriſtophorus & Wolfgangus *Alberti* Frr: hic fidei documentis, ille admirandi roboris & militaris peritiæ famâ inclitus. quæ in vtroque decora cùm Maximilianus agnoſceret, Wolfgango Antuerpiæ præfecto, Chriſtophorum Brugas ſubiturus, ad incerta caſuum intentum, in vicinia juſſit ſubſiſtere. Munere ſuo vterque ita fun-

ctus

eſt, vt ad accelerandam Regis libertatem, *Boÿs* Fratribus haud temerè quisquam plus contulerit. Gandavenſes Brugenſibus in ſcelere confœderati Hulſto, quod Chriſtophorus cum aliis vrbibus pluſculis in fide continuerat, imminebant. octo millia armaverant; in quibus ducenti cataphracti à Gallo ſubmiſſi. Chriſtophorus mille duntaxat quingentos pedites, Equites ſesquicentum ſub ſignis habebat; ex his lancearios octingentos, cum parte equitum tertia Georgio Comiti Eberſtainio attributos, extra vrbem loco opportuno in inſidiis collocat; reliquum trifariam partitus, qua parte periculum vrbi imminebat, curavit ipſe; quod ſuperfuit, ad geminam eruptionem expectare imperium ſuum ad totidem portas juſſit. Sexto Martii, Vrbis oppugnatione jam feruente, Chriſtophorus cum Befortio & Sonnenbergio Comitibus duabus portis erumpit, elatáque de ſumma turri, quemadmodum convenerat, luculenta face, Eberſtainium officii admonet, vt eodem

penè tempore in vtrumque latus tergúmque hoſtis pugnari cœptum ſit. Nihil fidem morata eſt paucitas: nihil numerus perfidiam juvit, *Leone Bojo* in *Canes* invecto; quod convitium in violatores humanitatis ab omni parte repetitum eſt, donec prolata eodem tenore non pugna ſed cædes Victores per cadavera & ſanguinem ruentes conjunxit. Minus deinde negotii cum fugientibus fuit; cujus nominis neque Gallos puduit; quos tamen Sonnenbergius commodiſſimo loco exceptos, non niſi vulneribus ignominiáque auctos, ſed numero inſigniter imminutos dimiſit. Milleni centeni ex Flandris ſupererant; qui abjectis armis, & ſupplices manus tendentes exitium deprecabantur, nihil ſanè impetraturi ab iratis, niſi Chriſtophorus intereſſe Regis exiſtimans, aliquos virtutis ſuæ clementiæque extare teſtes, parci miſeris juſſiſſet, & redactâ ex capite cenſis pecuniâ quęſtuoſam ſuis victoriam reddidiſſet. Majo denique menſe Brugenſis perfidiæ vomicam man-

manſuetudo Regis rupit. emiſſum vrbi centeſimo quinto Captivitatis die Chriſtophori *Boÿ* cum invictis copiis obviam progreſſi aſpectus recreavit. Chriſtophorus Brugenſibus etiam obſidem dari ſe ſuſtinuit, periculoſo obſequio, non tamen diuturno; quòd Brugenſes de eo remittendo comiter appellati, priores noxas refragando cumulare erubeſcerent. Anno LXXXIX. in *Bojorum* Fratrum comitatu Rex Monachium ingreſſus, ſorori aliquammultos dies ad ſolatium indulſit, & odioſæ liti, quæ Georgio Duci Landishutano ob Burgavienſem Dynaſtiam conflata bellum denique paritura videbatur, finem impoſuit. Sed Patrem Oeniponti *Alberto* placaturus, apud impenetrabilem animum verba perdidit, certúsque gravis procellæ in *Boicum* agrum effundendæ, paulò pòſt navigio Ratisbonam prætervectus flebilem Næniam, qua proditori Judæ vulgò parentatur, ferali TubarumTympanorúmque ſono civibus occini imperavit, immotâ nihilominus in *Alber-*

*tum* benevolentiâ, prævalente charitate ſororis, & nunquam non paratis ſibi *Bojorum* fratrum obſequiis; ex quibus *Alberti* ſumptuoſiora; Chriſtophori magis ardua fuere: nam ad hunc etiam expugnatę Anno xc. Albæ Regalis gloria rediit; vt qui iterum pulcherrimi Dux facti in eam vrbem penetravit inter primos. Pannonico Iugo, quod Matthias Corvinus Auſtriæ impoſuerat, ejuſdem morte & Maximiliani Regis felicitate, *Boijs* in partem juvantibus, contrito, Fridericus Cæſar ſolutiore jam animo *Boica* vindictam injuriæ totius imperii viribus peregit. Ratisbonenſium primùm An. xc. capita cum fortunis publicata; *Alberto* hoſtes domi foriſque quæſiti, reſidesque Chriſtophori & Wolfgangi Fratrum irę eo conſilio ſufflatæ, ne quis ſalvum vellet, quem ſui everſum irent, neque dubitarent Suevici fæderis ſodales, cauſam armis ſuis dignam eſſe, quæ fratres in fratrem armâſſet. Primi tamen ex Nobilitate Boica *Leunculi*, à factionis ſuę inſigni ſic appellati, proſilie-

re,

re, infelici impudentia & egregiè vindicata. Joannes Campanus Aprutinus Epiſcopus *Leunculis Quadratos* itidem Factioſos adnumerat, qui Pfōteram Ratisbonenſium vicum expilare auſi, ruſticam prædam ſuarum arcium Köferingæ, Flügelſpergæ & Ehrnfelſię ruinâ luerunt, & exilio vel carcere dōmiti, ſuo ſe pede metiri didicerunt. Brevis etiam Fratrum Ducum lætitia, expoliato ab iis Tōlzio, fuit; *Alberto* continuò paria faciente; vt Wolfgango præter Liechtenbergam brevi nihil reliqui fuerit. Verno jejunio Anno XCII. Philippus Elector & Otto, ambo Palatini Comites, cum *Alberto* & Georgio Ducibus, moderatore conſiliorum Wormatienſi Epiſcopo, Laugingæ congreſſi, cauſam *Alberti*, velut ad ſe quoque pertinentem, junctis viribus tuendam decreverunt. quo ex loco *Albertus*, datis ad Auguſtanos literis, de Cæſaris iniquo in ſe animo queſtus eſt; qui parato jure diſceptare, bellum inferat, damnétque inauditum; & nullum tribunal repudianti judicem ne-

get: ſe cauſæ bonitate fretum, ejus cognitionem, modò Cæſari ita videretur, non armatis in ſe vrbibus, non Principibus adverſus immerentem concitatis ſubducturum, & quantiscunque labefactatam præjudiciis innocentiam ſuam æquis iniquisque approbaturum. Paulò pòſt Maximiliano Regi Auguſtam ingreſſo Georgius Dux ad eundem profectus conciliandi *Alberto* Patris curam, quam ſponte ſumpſerat, impenſiùs commendavit, & ad *Albertum*, qui Aichæ interim ſubſtiterat, audiendum induxit, ſumptum etiam Lincium ad Patrem ituro pollicitus. Dedit hanc quoque Principibus & Patriæ Pius Rex operam; quam tamen irritam fuiſſe, Fuggerus ſcripſit. Noſtri ſatisfactum eâ difficili ſeni, majore veriſimilitudine tradidere; quòd *Albertus* eo ipſo tempore abdicata Ratisbonenſi clientela, id eſt, ipſa belli face extincta, fomitem Cęſaris iræ ſubtraxiſſet. Reſciſſa pręter ſpem à Georgio Duce Lauingana pacta, & negata in bellum auxilia *Alberti* mentem mutarunt,

tàrunt,

târunt, ſpémque ſuſtinendi difficilis belli eripuerunt. Rege abſente, Fridericus Brandeburgicus Fœderatorum copias vniverſas in campis Lycatibus, Maii menſis initio, luſtravit, accensíſque, quos Chriſtophorus & Wolfgangus adduxere, equites bis mille centum quinquaginta; peditum, qui ęra merebant, dena octona millia; Volones mille ſexcentos; currus mille quadringentos, tormenta curulia quinquaginta ſeptem numeravit. Quinque deinde Feciales IV. Id. Maii Monachium miſſi, Friderici Brandeburgici, Eberhardi Wirttenbergii, Chriſtophori & Wolfgangi Fratrum, communi denique Fœderatorum nomine Bellum Alberto denunciârunt; qui ne hoc quidem nunciorum genus indonatum ſibi remittendum putavit. Injuriarum initium à Fratribus factum, &, abacto per eos Landſpergenſi pecore, miles prædæ guſtu inescatus. Transportato per tumultuarium Lyci pontem exercitu, ſtantem in præcipitio rem *Boicam* Rex in tempore

ſuper-

veniens ſervavit, imperatíſque bidui induciis, Hugonem Werdenbergium & Wilhelmum Beſſerum ſecum Auguſtam de Pace tractaturus abduxit. Fridericus moræ impatiens, militíſque ſpoliorum avidi vix potens, tertio confeſtim die Pacificatores revocavit. Miſſus eorum loco Joannes Geſſelius Fiſci Regii Procurator, coacto Procerum ſenatu, ardentes in pugnam inſperato nuncio refrigeravit; quòd Cęſari ab *Alberto* ſatisfactum; & Georgius quoque Dux, delato ad Regem litium ſuarum arbitrio, in ejus auctoritate futurus eſſet. cujus exemplum ſi Fridericus Brandeburgicus imitetur, cauſæ nihil eſſe, quominus bellum pace mutetur. Ita fluctus *Boica* ſuperfundendi retroacti compoſitíque: & Patrię Fortuna, quæ periculoſiùs nunquam inter ſacrum & ſaxum ſteterat, à Fatali ictu ſervata. *Alberto* hæ conditiones dictæ, Ratisbonâ Vrbe & Arce eidem inædificata cedito. Cives ſacramenti religione exolvito. avita in vrbe jura integra ſervato. Legatis Cęſaris in

Vr-

Vrbem commeatum dato; regreſſuros ne morator. præſidium ſuum deducito. Dynaſtiam Abenſpergenſem dotis pignus reddito. Arma adverſus Dominum tuliſſe, nemini fraudi eſto. Chriſtophoro & Wolfgango Fratribus eorúmque aſſeclis Factionis Leoninæ ſodalibus ablata reſtituuntor. Flammâ ferróve abſumpta repetituris Nördlingæ actio dator. Captivi inviolati dimittuntor. Ratisbonâ poſt annum ſextum Clientelæ *Boicæ*, menſe decimo, Imperio iterum aſſertâ, *Albertus* Cæſari ſocero Filiam natásque ex ea neptes Linzium ſerenioribus aſpiciendas oculis adduxit. Sequens annus Wilhelmo nepoti Cæſaris natalis; Cæſari ipſi & Chriſtophoro *Alberti* Fr. fatalis fuit. inter vtriusque mortem non niſi triduum interfuit. Chriſtophorus Monachii, mediis Eſurialibus, cum Fratre in gratiam reductu, Friderico Miſnenſi ſororis ſuæ filio Palęſtinam meditanti comitem ſe junxit, & Pietati magno animi ſenſu operatus Rhodi Anno Æt. XLV. deceſſit;

iam

tam anguſtis finibus vitam Mortalium illo ævo fortiſſimi natura circumſcripſit. Diſcum illius ſaxeum jam ſupra libravimus. Æqualem admirationem Clavus habet, quem duodecim pedibus terrâ altiorem, depactúmque in parietem, agili pede ſubſiliens excuſſit, nemine hucusque reperto, qui æmularetur. Extra fratris odium, cupiditate dominandi accenſum, nemo bonus quidquam in eo reprehendit; ſed & hoc vltimo rari amoris officio compenſavit; cùm Tabulis in procinctu ſcriptis non Wolfgangum ſed *Albertum* hæredem nominavit; & armillam, qua pretioſius nihil vnquam habuit, ad vxorem ejus Kunegundem moriturus transmiſit. Rhodii Equites Heroico illum funere cohoneſtârunt, gratulati ſibi de exuviis Fortiſſimi viri, & ad nullius vnquam hoſtis, ſed ne mortis quidem aſpectum, animo conſternati. Sandapilę nobiliſſimi viri ſucollârunt, hanc quoque vicem reddente illi Deo, qui priore anno D. Simperti oſſa Auguſtę è tu-

tumulo extracta cum Wolfgango Fratre, Eberhardo Wirtenbergio & Rudolpho Anhaldino, pręſente Maximiliano Rege, decoro Principibus miniſterio, humeris extulerat. *Albertus* eodem pietatis ſtudio, adornato Triumphali Curru, D. *Arſacij* corpus ſupra annos DCC. Illmynſterii ſitum, Monachium dux ipſe pompæ Anno XCV. tranſtulit, tutelam daturus vrbi, Divo ipſi auguſtius Domicilium & plures Cultores. Turbata deinde Helveticis armis Germanię pace, *Albertus* Imperii Copiis præfectus eſt, parùm probantibus Suevis judicium Cæſaris, qui cùm inter fœderatos ita eminerent, vt de eorum nomine Fœdus ipſum Suevicum appellaretur, indignum ſcilicet exiſtimârunt, Suevico Corpori *Boicum* Caput imponi, auſi ipſum Principem *Literatorem* dicere, qui inter manſuetiores educatus Muſas, à veterum lectione hiſtoriarum repentè Pompejus aut Cæſar prodiret. Maximilianus, qui offenſos alieniſſimo tempore irritabiles animos nollet, *Albertum* haud ſanè invitum,

tum,

tum, & invitis canibus venari non ambientem, per ſpeciem novi ſupplementi adducendi, ad ſua tutanda dimiſit. Bellum Suevis Ducibus ita geſtum eſt, vt *Albertum* abſentiæ non potuerit pœnitere. Ab Helvetiis egregiè vindicato Cæſar Anno ſeculari, qui M D. fuit, in Comitiis Auguſtanis quinquaginta ſeptus Principibus, eandem dignitatem reddidit, & decretis in Chriſtiani nominis hoſtem Turcam copiis cum ampliſſima poteſtate præfecit. Id bellum intra meditationem ſtetit; Patria inteſtino arſit, quod accuratioribus, quàm aliud quidvis ab vltima *Bojorum* memoria, deſcriptum commentariis extremis duntaxat digitis libabitur. Georgius Inf. *Bojariæ* Dux, cùm ex Hedwige Polona duas duntaxat filias tuliſſet, & ex his Margaritam Hohenaugiæ Chriſto; Eliſabetham Ruperto ſororis ſuæ & Philippi Palatini Rhenani VII Viri F. collocâſſet, omnia egit, ne quis præter Generum Hęres ſuus eſſet, ſcripto unque teſtamento Cæſar agnoſceret. Sed is

mani-

manifeſta iniquitate offenſus *Albertum* & Wolfgangum Fratres prętulit, moréque majorum inauguratos in ſpem magnæ Fortunæ liberali ſententia provexit; cui ne deeſſet *Albertus*, haberétque parata in tempore auxilia; non modò Suevicum fœdus latiſſimè patens ipſe quoque amplexus eſt; ſed Wirtenbergenſem inſuper, Brandeburgicum Haſsúmque, cum Norimb. Republ. maximis jacturis in omnes ſibi caſus conciliavit, ſive veriùs trecentorum quindecim millium Aureorum ſtipendio emptos autoravit. Georgius Anno MDIII. Sept. menſe, valetudinis curandæ causâ iter ad Thermas Badenſes ingreſſus, ſed Stockheri Vlmenſis Medici ſententiâ, quæ illo ævo per Germaniam omnem pro oraculo valuit, à propoſito deductus, Laugingâ Ingolſtadium rediit, Provinciæ Ruperto tradendę tam certus, vt *Alberti* Legatos, ne quid adverſus animi ſui decreta audire cogeretur, aſpectu colloquióque prohibuerit. Jam Tabulæ eodem exemplo ter mille trecentæ,

per omnem ſpargendæ provinciam, confectæ fuerant, eas Wilhelmus Rorbachius, clàm in *Albertum* pronior, vitioſas cauſatus Georgio perſuaſit, niſi adverſus cavillationes magis munirentur, parum olim roboris habituras. quo aſtu id conſecutus eſt, vt quantumvis properantium in tranſcribendo Notariorum manus Ducis Mors anteverterit. Stanti in extrema vitæ linea cùm Moderator conſcientię *Alberti* odium radicitus evellere non poſſet, alius quiſpiam nobili Sacerdotio inſignis, idémque inter Amicos olim primæ claſſis habitus, ex priſtina fiducia tam potentes ei machinas admovit, Titulorúmque inania æternitatis memoriâ ita de pulmonibus revulſit, vltro vt in ſeipſum moriturus deſcenderit, abdicatiſque, quibus transverſum actus fuerat, inſanis affectibus, pulcherrimam quomodocunque actæ vitæ clauſulam, D. Andreæ pervigilio, impoſuerit. Eo Landishutæ tumulato, Cæſaris Principúmque Legatis pro nobili hæreditate nitentibus, ab Ordinibus Pro-

Provinciæ magno illic numero præſentibus Senatus eſt datus. Cæſarei quaſi pro imperio agebant, Principes more candidatorum prenſabant; *Albertus* jure potior; Rupertus favore; qui quotiès nimius eſt, non magis amicitias, quàm bella parit. Primus illum Maroltingerus ex equeſtri ordine palàm accuſare non auſus, libello furtim in Curiam injecto acerbè notavit, Lenones & Nebulones appellitans, qui provinciæ præter *Albertum* alium Dominum, velut ſponſæ pro Marito Adulterum quærerent; cujus illi dicti cruda libertas conſtatura capite fuerat, niſi ſui eum pedes ſervâſſent. Hæſit tamen exploſę veritatis aculeus, permovítque ictos, vt cauſam Cæſari integram remitterent; qui etſi de *Alberti* Jure non dubitabat, aurès nihilominus Auguſtæ diſceptantibus præbuit, facturus etiam ipſe aliquid ſuum ex nobili meſſe; jam tum deſignatis animo inſignibus potentiæ Auſtriacæ per Sueviam, Alſatiám & Tirolim additamentis, quorum ſe compotem cogna-

 torum

torum Principum diſcordia eſſet factura. V. Februarii commiſſæ partes, Gregorio Lampartero *Alberti*, Leonardo Egloffſtainio Ruperti cauſam agentibus. quibus vt fidem faceret Cæſar æquitatis ſuę, provocato ad amicum duellum Chriſtophoro Comite Limburgio, in Arenam Candidatus deſcendit, cultu corporis præferens imaginem animi ſui, profeſſúſque eodem Candore, quo Equeſtre illud ludicrum abſolviſſet, ſerio certamini ſe præfuturum. Ad decimum vſque ſeptimum Februarii Cauſidicorum prælia, jura ſua magna contentione vibrantium extracta ſunt, faſtidio ferè quàm operæ pretio majore. Silentibus cauſidicis, *Bojorum* procerum ſententiæ rogatæ. Iis cùm pacis major cura quàm æquitatis eſſet, auctores Cæſari fuere, vt partitus Provincias, Danubium limitem vtrique Principi ſtatueret; quem paſſurus etiam *Albertus* videbatur, modò ne Ingolſtadium Ruperto accederet. Fœderati Societatis Suevicæ delinimento pecuniario ejus quoque vrbis deſiderium

rium extincturi, dena aureorum millia *Alberto* obiecerunt,ſed indignanti & irato, exiſtimantibus tali hamo vel ſe capi, vel talem trahi vrbem poſſe. Cæſar denique auctoritate ſua pervicit, ne, qui vniverſam litem arbitrii ſui feciſſet, ob vnam vrbem ſecum tricaretur. Cedentis cauſam Fortuna peregit. Cùm ferendam ſecundùm Rupertum ſententiam ſolum prandium moraretur, accumbenti Cæſari nunciatum eſt, Landishutam vi occupatam in Ruperti nomen juraſſe. Ita Landishuta amiſſa Ingolſtadium *Alberto* ſervavit, Rupertique miſerationem primùm Cæſari; eáque mox conſumptâ,odium conflavit. Proceres per interregnum provinciam adminiſtraturi, Landishutæ domicilium fixerant, cùm Ruperti miles armorum terrore, & Eliſabethæ præſentis blanditiis ſubactâ plebe, Chartophylacium quatere tormentis inſtitit. Illa tonitrua Præfectos, vltimúmque ex iis Joannem Aichpergium fugarunt. Dingolvingam ſecedentes Georgius Roſenber-

gius cum copiis confeſtim ſecutus, inde quoque expulſos Schärdingam rejecit. Facti indignitas æquitati viam apecit. xviii. Apr. *Alberto* abſenti, & Wolfgango Fratri ejus præſenti, Georgii Ducis Provincia opéſque, in Foro Pretoriano Auguſtę, ſententiâ Cæſaris adjudicatæ ſunt. Rupertus læſæ Majeſtatis reus peractus, &, cum factione ſua vniverſa proſcriptus eſt. Priorem ſententiam à Ruperto pręſente exceptam Joan. Jacobus Fuggerus in operoſiſſimo, quod *Auſtriaco* Nomini dicavit, *Honoris Theatro*, ſcripſit, & tum denique à cohorte prætoria, quam circum ſe habuit, incitatum Auguſtâ exceſſiſſe; cùm pridie dolium, pice fiſtulíſque ignem vomentibus prægnans, ad *Alberti* hoſpitium devolutum, concrepantibus Æneatoribus inflammâſſet, igneæ tempeſtatis ſimulachro admoniturus *Albertum*, eandem mox *Bojariæ*, quam Dolii faciem fore. Bellum quidem tantâ fiduciâ aggreſſus eſt, vt Millo ſive Collari aureo, quod Moloſſo injecerat, vernaculum carmen

bene

bene longum opere encauſtico inſcripſerit, omnia in eo *Alberti* auxilia deridens; quod hic quoque legeretur, niſi certare cum canina facundia Latina Muſa erubeſceret. Futuri improvidũ ſibíque fidentem multò magis Burghuſianæ arcis & captivi in eà Theſauri deditio inflavit. Adami Törringii ingenio vtroqne potitum Fuggerus ſcripſit. Is *Bojorum* ea tempeſtate potentiſſimus & bellicoſiſſimus habitus, neminem in familiam, quam numeroſam alebat, cooptavit vnquam, quem vel in tentandis vadis, vel foſſis ſeptíſque tranſiliendis meticuloſiorem, vel denique in vibranda haſta gladióque, ipſemet cum ſingulis congreſſus, imbellię imperitiæque notâſſet. Hanc ille domeſticam cohortem, & ſecum omnia auſuram non regiâ viâ, ſed vliginosâ & equitem non portaturâ inobſervatus ad arcem adduxit, ſemitam ſuam plauſtris ferens, quæ onuſta tabulis, profundiori cœno per intervalla inſternendis, eum comitabantur. Hoc aſtu vrbem ingreſſo non diu apud ejuſ-

ejuſdem Præfectos pro Ruperto laborandum fuit; multóque faciliùs viam illi per hominum perfidiam, quàm ſibi per paludes explicavit. Ita Theſauro priorum Principum anxiis curis comportato Rupertus non Hæres (hoc enim illi nomen Cæſar negavit) ſed Raptor potitùs eſt, vt per opes Patriæ Patria everteretur, & tot annorum ſymbolas Martis voracitas intra menſes pauculos vel diſtraheret, vel abliguriret. *Albertus* XVIII. Apr. cum CCC. Equitibus Auguſtâ egreſſus, ſequenti Monachium pervenit, ne in tanto rerum motu ſuis deeſſet. Erdingâ per Comites Sonnenbergios receptâ; Brunovium auxiliorum ſpe confirmatum, oppugnationem à Georgio Wisbeckhio maximo ardore ſuſceptam fortiſſimè ſuſtinuit, eundémque per inducias ad ſolicitandos Cives intromiſſum exploſit, quòd verbis ſe plus quàm tormentis ſperaret effecturum. Maii initio Neoforum Neoburgúmque in hoſtis poteſtatem venere, Wilhelmi Hennebergii Comitis operâ, cùm Ruperti

ti F.Georgium ſublimem in equo civibus oſtentâſſet; qui intra duos menſes mortuus maximo mœrore parentes affecit, quantumvis ignaros, hunc ſui ſe funeris anteambulonem brevi ſecuturos. Hennebergius Neoburgo digreſſus copias Rhainæ admovit. Præfectus Vrbi Ottingerus negavit, portas niſi Ruperto pręſenti aperturum; qui cùm extemplo ſuperveniſſet, eodémque penè articulo Wolfgangus Otinganus deditionem Cęſaris nomine flagitaret, Præfectus copias copiis comparans, Rupertum vt validiorem eodem die, quo Georgius Gumpenbergius Wolfgangum *Alberti* fratrem Fridbergâ, recepit. Paulò pòſt, quæ inter Ræτos Suevóſque Georgio Duci paruere vrbes arcéſque, Hŏchſtadiũ, Graiſpachium, Lauginga, Gundelfinga, Haidenhaimium, Wembdinga, Monhemium, Weiſſenhorna, Kirchperga, Baldern, Stauffa, Hildpoldſtainium, aliæque plures in Cæſaris vel *Alberti* nomen, ſponte nonnullæ, aliæ vi ſubactæ jurârunt. Cęſar inde magnis itineribus

Oenipontum profectus, Chriſtophorum Laimingium ad deditionem Ratenbergæ induxit; cúmque eo interprete etiam Joannem Bienzanavium in fidem recepiſſet, eidem ad Tutelam Kueffſtainiæ Arcis plura tormenta attribuit, quibus ille paulò pòſt contra Cæſarem eſt vſus. Pridie quàm Cæſar in caſtra non procul Neoburgo ſita rediit, fœdè à milite vinolento peccatum eſt. Penuriam paucorum dierum importato commodùm vino largiùs ſolatus, cum ratione memoriam caſtrenſis diſciplinæ ſepeliverat. Rixa inter equites peditésque verbis convitiísque cœpta ferro cædibúsque abſoluta eſt, tanto Ducum medios ſe inferentium contemptu, vt Brandeburgicus Marchio, in ſuo oppugnatus tentorio, ægrè ſibi per ſtrages viam ad fugam expediverit. Zolleranus verò, quem hi etiam ſobrii oderant, niſi tempori ſe ſubduxiſſet, ebriis haud dubiè ſanguinem propinaturus fuerit. Dux ipſe *Albertus* ne violaretur, latebris periculum evitavit. Clades accepta ingens fuiſſet,

niſi

niſi ſeptis tormentorum ſpiraculis, hac quoque erupturæ inſaniæ machinarum præfecti obſtitiſſent. Wilhelmus Mareſchallus ſine fine bacchantes, ſed adverſus ſeriam vim invalidos debellavit, & inſaniora capita carnificis gladio dejecit. A Cæſare deinde Ingolſtadium occupatum eſſe, Fuggerus ſcripſit, in die quidem & menſe falſus, qui Junio factum velit, quod Majo contigit, Bernardino Stauffio deditionem faciente, atque eo demum loco Fridericum Brandeburgicum cum Alberto ſeſe junxiſſe, è noſtris diariis ſæpe cum Fuggeri narratione pugnantibus intelligitur. XXVIII Maii copiæ univerſæ Monachii Iſaram transgreſſæ Toparchiam Hagenſem Domini odio malè multârunt. Sigismundi Fraunbergii ſedes fuit; qui etſi ſagum pro Ruperto non ſumpſerat, pertinere tamen ad datam Georgio Duci fidem credidit, ne, ſi vltimas ejus tabulas, quibus condendis teſtis aſtitiſſet, tueri togatus nequiret, impugnaret armatus. Ab *Alberto* nihilominus pro hoſte habitus,

Ha-

Hagam ardentem vidiſſet, niſi vxoris inſontis lacrymæ & Baronis Aichpergii fides, cujus ſoror fuit, iram Principis extinxiſſet. denique & Maritus à Cæſare impetravit, vt ſpectatorem ejus ſe belli eſſe pateretur. Leonhardum filium *Alberto* militare juſſit, ita diviſis obſequiis, vt Pater mortuo Principi, filius ſuperſtiti ſatisfaceret. Recuperatum deinde, quidquid eis & vltra Rotam flumen in fidem Ruperti conceſſerat. Abalienata ab eo etiam Nobilitas Georgio Schenckhio duce ſub ſigna *Alberti* conceſſit. Brunovii dies aliquot militi ad reſpirandum dati, numeratúmque ex Sacrarum Ædium pecunia illuc importata militi ſtipendium; quæ cùm repoſcentibus poſtea non redderetur, Kunegundis *Alberti* vxor religione contacta de ſua dote numeravit. Interim hoſtes Wisbeckhio duce Landishutâ Pfaffenhofium vſque ferro flammáque omnia miſcentes, vrbem ad deditionem compulere. Ea dum properatur, omniúmque animi in demulcenda hoſtili ira occupantur, nemi-

ni

ni in mentem venit, Murices pro portis ſparſos tollere. Wisbeckhius vrbem ingreſſus, equis in tribulos fœdè offendentibus, claudicantibus, ruentibus, & nobiliſſimum quemque ex ordinum ductoribus, qui eum proximi ſequebantur, effundentibus, meditatum id maleficium, non oblivionis errorem interpretatus, adeò excanduit, vt templo duntaxat & ludo literario immunibus, tectis reliquis ſubdi faces juſſerit. quo tempore etiam vltra Danubium aliquid cladis acceptum, & Norimbergenſes *Alberto* fœderati ab obſidione Novifori rejecti ſunt. Lauffâ, Herſpruggâ & Altorffio potiti, illi quoque vrbi imminebant, tormentorum maximè fiduciâ, è quibus ea nonnullorum moles fuit & magnitudo, vt à quadraginta duobus equis ægrè promoverentur; quę tonare in vrbem non antè deſiere, quàm, ruptis mœnibus, illa quoque velut ſuo perfuncta officio diſſilirent. tantum nihilominus obſeſſis animi fuit, vt, patente per ruinas in medium forum proſpectu, inſultarent hoſti-

bus,

bus, pluráque illis convitia quàm miſſilia regererent; ſanguine perfundere ſubeuntes ſoliti, & exprobrare humani cruoris ſitim, iis maximè indecoram, qui Mercuriales à puero artes didiciſſent Martiarum rudes. quæ illi non eo tantùm menſe, quo tracta obſidio eſt, audire coacti ſunt. joculare carmen ab obſeſſis cani cœptum, tota ferè Germania repetivit; vt ferè nullis cantoribus Echo libentiùs prolixiúsque reſpondet, quàm quibus plurimum eſt dicacitatis. Brunovio *Albertus* copias Landavum promovit egregiè à Georgio Roſenbergio munitum, tantáque fortitudine defenſum, vt, donec in editiorem locum translata caſtra ſunt, ſubvectúsque Straubingâ everſor mœnium *Infans* (tormenti nomen Ehrnvelſiæ arcis ruinâ nobilitati) communibus oppugnantium artibus parum ad ſummam rei proficeretur. Obſidionem vrgenti Rupertus pugnæ poteſtatem ad XXVIII. Junii pollicitus, ad firmanda pluribus auxiliis caſtra *Albertum* incitavit. Multos imperi-

perium Ducis, aut imperioſior cupiditas gloriæ in illud theatrum pertraxit. Helfenſtainius Comes, Bernhardus Seiboltsdorfius, dubium melior miles an orator, & ex eadem gente Eraſmus Georgius Schenckhius, Jacobus Fraunhofius, Wolfgangi duo, Ortenbergius & Iörgerus, Schardingâ plerique inſignes cohortes adduxere. Sub poſtremis duobus auctorati, cùm Duces ſuos Aureum ſinguli nummum ſupra ſtipendium in procinctu tumultuoſiùs poſcerent, offenſus impudentiâ Jörgerus, cives ad arma excivit, oſtentatíſque, qui ſupra ducentos extemplo confluxerant, vel æmulis vel vindicibus contumaciæ, ferocem avaritiam compeſcuit. Rupertus die condicta dena millia Dingolvingâ eduxit, ſpectator duntaxat caſtrorum futurus, quæ *Albertus* curruum tormentorúmque coronâ ita incinxerat, vt non modò pugnæ arbitrium, ſed certam victoriam habere in manibus videretur. Apud Fuggerum alibi quoque metandi peritiâ, renovatóque Pyrrhi veteris, qui ea-

re excelluit, artificio fractos Ruperti impetus reperio, Comitémq; Schaumburgium, qui primos ordines ſignifer ducebat, revincta catenis plauſtra revellere tentantem, graviter ab eo increpitum, quòd in illam caveam perituros temeritate ſua pelliceret, quibuſcum res unà ſpésque ſuæ omnes periclitarentur. Itaque prælium neutro loco initum, neque Landavum obſidioni exemptum. Jam Templi turris, vnde potiſſimùm accipi damna poterant, magnáque mœnium pars ferreis icta globis, quos ipſos recens inventos & Landavi primùm pro ſaxeis mitti cœptos, proditum eſt, procubuerant; ingratúmque hoſpitem accepturus erat poſtridie Roſenbergius, niſi eorum adventum, vel ſua ſagacitate, vel aliena proditione compertum nocturnâ fugâ evitâſſet, incensâ priùs arce, tormentíſque pyrio pulvere gravidis ita collocatis, vt ſerpente per diſpoſitos fomites igne ordine diſploderentur, & fugam occultarent. Ille aſtus noſtros caſtris continuit, quoad anus vrbe pro-

greſſa technam detexit. Ne fugientibus inſiſteretur, Comes Zolleranus, interpoſito Cęſaris nomine, ſuſpecto militibus mandato, vetuit. Captæ vrbis præmium repoſcentibus vrbs in prędam conceſſa; eàque ditatis XIII. Julii in conſpectu Landishutanæ vrbis rei bene gerendæ occaſio præbita. Viâ inter tumulos depreſsâ, eóque inſidiis locandis opportunâ, Palatinus ſuos cum tormentis abdiderat, aliis hoſtem palàm laceſſere juſſis, qui cùm à multitudine pulſi, partim etiam conſilio reciperent ſe, emerſa repentè è latebris inviſa manus pugnam redintegravit. Fama, ſolita adulatione, victoriam, quam vtrique parti dare non potuit, vtrique affinxit. Indultum deinde ad Auguſtum vſque militi otium, facilitate Principis; donec Cæſar, qui ſuarum interim rerum in Alſatia ſatagebat, Neoburgo admoveri obſidium juſſit. Id, VIII. Aug. cœptum aquarum eluvio ſolvit. pretium operæ, extra centenariam Bohemorum cohortem intercepam, nullum factum. damna viciſſim

ingentia accepta. Bienzavii fides eique credita Kueffſtainia arx leni tormento expugnata. Integri nigrorum aſſium folles, qui ſummam xxx. millium aureorum conficerent, à Wisbeckhio dono miſſi, rem confecere. Si qua Richardo Bartholino fides eſt, qui Bellum hoc omne verſu maximi ſpiritûs duodecim libris cantavit, vrbem hoſti fallācia, quemadmodum arcem pecunia, aperuit. Sexcenti Equites cultum & arma Auſtriaca mentiti, absque alia vi pro ſociis recepti ſunt; cùm neque Aurburgum, neque Ratenberga, ſupra infráque Kueffſtainium ſita, omnia tentantibus patuiſſent: illud Parcifaldo Vrfarero, hanc Gaſpare Laubenbergio egregiè tuentibus. Kueffſtainii jactura Cæſarem; Brunovii *Albertum* afflixit; etſi poſterior cum ſcelere conjuncta non fuit. Helfenſtainius Comes, Gaſpar Winzererus, Chriſtophorus Vngelterus, aliíque inſignes bello viri vrbi pręfuere, cùm Wisbeckhius jam aliàs lævo ſucceſſu tentatam, majoribus copiis preſſit. Inter-

pri-

primas molitiones ſanè quàm inclemen-
ter ab oppidanis acceptus ægrè aggerem
ſtatuendis tormentis comportavit, à li-
gneo maximè propugnaculo, quod ru-
dere expletum hoſti objecerant, tot cla-
des acceptæ, vt eo ſalvo irritos omnes
conatus ſuos Wisbeckhius palàm affir-
maret. Itaque edici per præconem to-
tis caſtris juſſit, trabem tabulámve ligne-
am foſſæ qui injeciſſent, Aureolum,
præmium audaciæ, laturos. ea illecebra
milites ad contemptum vitę, volantiúm-
que in adverſa ora globorum adduxit.
Foſsâ æquatâ, plauſtrum ingens Junipe-
ri virentis fronde pulveréque pyrio one-
rat, per illud extemporale tabulatum
propugnaculo admovendum. quia prior
conatus feliciter ſucceſſerat, eodémque
pretio ſecunda opera redimebatur,
quódq; ad animandos vnicè valuit, vi-
num eo die interceptum, prædæ datum
eſt nomen ſuum iterum profitentibus,
abunde & Bibonum & Vectorum fuit.
Plauſtro ex Wisbeckii voto collocato
faces ſubditę, tantúmque fumo tormen-

tum oculis creatum, vt per deſertas neceſſitate ſtationes ſeptem vexilla evaſerint in murum. Oculi dilapſis, non item animi erepti fuerant. Itaque lymphatis ſimiles redeunt in hoſtem, jam ſuâ ſententiâ victorem, verámque virtutem dolo ſuo ferocientibus opponunt. pleriqne præcipites vnde venerant, nec jam integri, remiſſi, opportuniſſimo ad eam rem fœminarum miniſterio, quæ ſubeuntibus mœnia feruentem aquam plenis lebetibus propinantes, lapidúmque comportantes acervos, tum quidem altera Virorum manus fuere. Tot telis mortibúsque ſupernè ingruentibus ne pedem cuiquam tutò figere integrum, ſparſis duobus muricum millibus, nova & atrociore aliis omnibus peſte. Hamati omnes vnci erant, non ſimplex facturi vulnus, quocunque penetrarent, aut vndecunque revellerentur. Nihilominus tam glorioſè repulſis hoſtibus, inſcio peditatu neque facilè conſenſuro, poſtero die Vrbs dedita eſt, validioribus jam Wisbeckhii minis, quàm machinis.

chinis. Satisfactum fidei credidere Duces; ſatis etiam famæ datum ab iis, qui, abſciſſa auxiliorum ſpe, inſignem exercitum duodecim dies non ſuſtinuiſſent tantùm, ſed facilè mille capitibus minuiſſent, quibus ſuperbus & quotidie efferatior Victor vrbis excidio timebatur parentaturus, ſi honeſtæ conditiones repudiarentur. Stupori Wisbeckhio fuit larvarum potiùs quàm hominum occurſus, horrentes fumo fuligineque vultus oſtentantium, & conſcientiâ virtutis etiam poſt deditionem erectorum. Squalor ipſe decebat vrbem omnibus ornamentis, prçterquam virtutis, nudam, lutosámque; quòd pavimentum platearum pars armamentarii fuiſſet, & ſilices quoque volâſſent in hoſtem. Fortunæ invidiâ negatam fortiſſimis Viris integram gloriã, mox patuit. Pauculis à deditione horis Wisbeckhius triſtiſſimis Eliſabethæ jam Viduę literis revocatus eſt. Id illi nomen Rupertus xx. Auguſti Landishutæ dyſenſeriâ extinctus reliquit; qui etſi vigeſimum ætatis annum non-

dum exceſſerat, aliquot tamen menſibus, quàm patriæ vtile fuit, ſeriùs deceſſit. Quantum jubarum *Palatino Boicis leonibus* evulſum eſt bello, quod illud concitavit, ſolis commilitonibus quæſtuoſum, nullíque pernicioſius, quàm victori? *Palatinos* quidem *Bojóſque* ex æquo afflixit; neque felicior hoc filio Philippus, quàm Eliſabetha Marito fuit. Quòd præfecturam Haganoënſem decem Vrbibus & ſexaginta ſtipatam vicis, quæque Ortenaviæ ſeorſim contributa fuere, Cæſar Patri in Alſatia eripuit; quòd Wirttenbergicus nihilo ignobiliora ſpolia per viciniam graſſatus legit; quòd Haſſus facem trecentis ſubditam vicis vix tandem ad Haidelbergenſem pontem in Nicro extinxit, vni Ruperto poſteritas acceptum feret. Eo mortuo Joannes Sonnenbergius cum Sexcentis militibus Landishutam raptim profectus, oppreſſam luctu Viduam in novas curas conjecit, causámque revocandi Wisbeckhii præbuit. ſed Sonnenbergius ſpem vindemiæ & Autumnalis opulen-

lentiæ corrupiſſe contentus, prædabundum agmen, vnde venerat, reduxit XII. Septemb. cum Bohemis Palatini auxiliaribus ad Schönbergam non procul Ratisbona feliciter pugnatum eſt. Transdanubiano agro evaſtato, Straubingam illo adhuc bello intactam, deſtinaſſe crudelitati ſuæ credebantur; eique potiſſimùm Vrbi *Albertus* metuebat. Jam in caſtra Cæſar redierat &, ex fœderatis Principibus Fridericus Brandeburgicus cum Caſimiro & Georgio FF. Ericus item Brunſuicenſis, nobiliſſima capita, & fortaſſe digniora, quàm quibus laurum Bohemus prędo imponeret. Cęſarem quidem pręlio decernere properantem, peccare in Majeſtatem ſuam, Duces vociferabantur; ſatis ſupérque facturum, ſi ſua auſpicia fortunámque commodáſſet ipſo abſente pugnaturis; quos Cæſar vt inimicos Famæ ſuæ increpuit; qui ſi meminiſſent, fecem illam Bohemicam proprium Huſſiticæ hæreſis abortum eſſe, ad eam profligandam

 haud

haud dubiè Cæſaris manum advocarent inter primas, quæ nusquam decentiùs quàm in jugulo Impietatis cruentetur. Miſſus itaque confeſtim Conradus Scottus feliciſſimæ aſtutię explorator, qui Ratisbonę ex Milite transformatus in Obſonatorem, cum ſociis ejuſdem farinæ apparatum eſcarium in Bohemica caſtra devexit, & per otium ſummámque diſſimulationem omnia contemplatus, Cæſari viſa auditáque retulit. Convulſa extemplo ſigna, & xxx. paſſuum millibus continenti itinere & ferè nocturno confectis, ad hoſtem jam cedentem in tempore perventum, ejúſque laceſſendi negotium Friderico Brandeburgico datum eſt: cui tamen ad aciem oblongis prætextam ſcutis perrumpendam invalido, fiſtularúmque ignem novo artificio nitrato pulveri facili rotæ circumactu admoventium territo, animoſior ipſe ſucceſſit, *Alberto* hinc & Lignicenſi, illinc Brunſuicenſi & Brandeburgio latera ſtipantibus. Nunquam ma-

major peccandi poteſtas fortunæ eſt facta, quàm his capitibus ad illius ictum expoſitis, & tot opimorum ſpe ſpoliorum irritato hoſte; quam dum is cupidè ſequitur, Regiſque pectus haſtarum omnium miſſiliúmque fit ſcopus, equeſtri ſella excuſſus vixque extremo hærens, equo, jam ſcilicet in exitium ruebat, nî Ericus Brunſuicenſis ſui immemor in priſtinum locum repoſito ſaluti fuiſſet, & ſuffoſſo, quo vehebatur, equo Romani Caput Imperii redemiſſet; quaſſatam glande tibiam, brachiúmque bis transverberatum, ſervati Cæſaris inſignia, ab eóque Comitatus Goricienſis vſufructu remunerata per omnem vitam oſtentare ſolitus. Cæſaris periculum & Erici vulnera victoriæ vel pignus vel pretium fuere. Bohemorum mille octingentos cæſos, ſexcentos captos, ex Diario conſtat. Fuga paucos ſervavit, eos ſcilicet, qui agreſtium manus, injurias ſuas vlciſcentium, evaſerunt. Captivos Cæſar priùs Ratisbonę in Trium-

pho ductos, Clementię Auſtriacæ ab iis admonitus, vivere & redire ad repotia juſſit, ſi quidem militaris eos cœna delectâſſet. *Albertus Deo victori* Ædem ſtatuit, fortiúmque Virorum, qui pro Patria cccidere, memoriam Æternitati conſecravit. Luctuoſius cæteris Georgii Schenkhii funus fuit, quòd Neideckhiorum in eo familia defeciſſet. Tertio poſt pugnam die Eliſabetha Ruperti vidua in nixu gemellorum extincta, triplex morti tributum pependit miſeranda Princeps, & digna gentis ſuæ lacrymis, niſi ſanguinem illius hauſiſſet, pro Principali Tumulo Buſtum Patriæ ſortita. Arma ne tunc quidem poſita ſunt, ægriùs multò extorquenda militi, quàm venatori telum in certa ſpe prędæ. Wisbeckhius cum mille equitibus Neoburgo Vohburgum vſque infeſta omnia habuit. Landishutam regreſſus Geiſenfeldę Andream Comitem Sonnebergium, Bernhardum Seyboltsdorfium & Gaſparem Winzererum

cum

cum equitibus ſexaginta incautos oppreſſit; qui acceptum dedecus oblinere operosâ Epiſtolâ aggreſſi, riſum hoſtibus, bilem amicis movere: quis enim gregarii militis, nedum magni Ducis colorem probaret, excuſantis remiſſas vigilias, opinione ſecuritatis? qua, vt nullo bello ſemel tantùm peccatum eſt, per eoſdem dies etiam Ortenbergia arx malo ſuo didicit docuítque inter hoſtes nihil nimiùm timeri. Torerus vſitatâ ſimulandi cultûs ſtrophâ cùm ſibi ſociiſque purpurei coloris crucem (qua nota ſuos agnoſci *Albertus* voluit) aſſuiſſet, præſidenter ſanè ad arcem velut Wolfgangi Comitis anteambulo acceſſit, appellatóque ex nomine Pegnero, vt adventanti Domino portæ paterent, tanto faciliùs impetravit, quòd Pegnerus eum reducem Vilshovio in momenta ſingula opperiretur. Intromiſſos cùm non agnoſceret, defixúsque in explorandis vultibus certiora argumenta quæreret herilis clientelæ, Torerus gladio jam pal-

pallentem occupat, ſerámque diligentiam luculentis vulneribus caſtigat; vincto inſuper inſultans, quindecim turum manipulo diripendas, quas tam paucæ manus non caperent, opes objecit, Præfecto ſpectante, eique licentiæ magis quàm ſuis vulneribus ingemiſcente. Quò indignior Wolfgangus, loci dominus, idémque nobiliſſimæ & inter *Boicas* omnes antiquiſſimæ gentis unicum decus, eo infortunio omnibus eſt viſus, eò majores ad opprimendos latrunculos facti ſunt concurſus; quibus tamen vtcunque paucis numero neque ad ſuſtinendam vim animus, neque ad fallendas nocturno furto excubias felicitas defuit. Fugam ipſam non innoxiam fumus pluribus aſſurgens locis prodidit; cùm ſparſum per intervalla nitratum pulverem lambens fomitem lentus ignis corripuiſſet. ei domando accitus miles ſitim, non incendium, extinxit, ſuíque jam impos, quaſi operam non Comiti ſed latronibus locaſſet, in reliquias à

cla-

clade immunes facem jactavit, vt cœptum ab hoſtibus maleficium per amicos abſolveretur. Idibus Octobris Ortenberga, quo diximus, aſtu capta eſt. Biduo poſt Kueffſtainia Arx in poteſtatem Cæſaris venit. Bienzenavius humanis inſuperabilem viribus ratus, etiam vrbis deditioni interceſſit, Oeno merſurum ſe minitans, qui ea de re verbum feciſſet. Auxere animos oppugnationis prȩludia, & bruta fulmina è regiis baſiliſcis ſine noxa emiſſa, tanto Bienzenavii contemptu, vt ſcoparum faſce armatus obiret, & de propugnaculorum pinnis pulverem abſtergeret, plauſibili ferocia, & in hȩc vſque tempora vernaculis carminibus decantata. Cæſar, miſeranti quàm irato propior, vereri ſe dixit, ne faſces Bienzenavio ſecurim parerent; advectíſque Oeniponte immanibus Tormentis, quibus majora Germania nondum viderat, rupem rupiſque ſuperbum incolam ita accepit, vt repurgando diſſilientium munimentorum

torum ruderi nullæ jam ſcopæ ſufficerent. Quatuordecim pedum parietes violentiæ ceſſerunt. hærent hodiéque impactæ petris pilæ, & invitâ rerum naturâ excavato ſaxorum ſinu, velut gemmæ palâ annuli, coërcentur. Rupibus domitis etiam Bienzenavius manus dedit, ephebos candidatos duos Redwizium & Stauſſerum deditionis auſpices in caſtra miſit; quos Cęſar, prævalente prioris offenſæ morſu, nihil moratus, negavit, ſe contemptoris ſui ſcopas concoxiſſe; & malam avem in ſuo captivam nido ſerò pro capite & plumis paciſci. Præciſa veniæ ſpe, multi fugam per abrupta tentantes, ab iis, qui montem coronâ cinxerant, excepti; reliqui ad ſupplicium extracti ſunt. Dejeraſſe illic Cæſarem fama eſt, quisquis patrocinium reorum ſuſcepiſſet, intempeſtivæ pietatis ſibi pœnas daturum. Ita Bienzenavio, Wamboldo, Trauttenbergio, Tirrigello tribúsque machinarum liberatoribus cum ſociis denis octonis,

nul-

nullo interpellante, cervices præciſæ. Ventum erat ad Bohemum, qui capite pedibúsque morti lictorique obluctatus, fatalem arenam non ingrato Principibus ſpectaculo nobilitavit; quo cùm etiam Cæſarem ſerenari appareret, auſus eſt Felix Werdenbergius cum Zollerano Comite peccare in legem Cæſaris, iræque illius jam mitigatæ vinctum hunc luctatorem cum ſuperſtitibus viginti duobus eripere. Fuggerus non quos modò nominavi, ſed Ericum Brunſuicenſem Reorum Manipulo patrocinatum ſcripſit; quem Cæſar, tuendæ majeſtatis causâ, ſecundum malam leviter ictum ſimul caſtigaverit, votíque compotem fecerit. Septendecim non amplius diebus obſidio tenuit loci, nullum hodie hoſtem timentis, ſi modò Bienzenavii ſimiles habeat propugnatores. Wisbeckhius copiarum abſentiâ in rem ſuam abuſus, cum equitibus mille quadringentis & duobus peditum millibus Landishuto egreſſus, Monachium

chium vſque omnia opportuna injuriæ (Varnpachenſis Abbas Angelus quinquaginta vicos numerat) flammis involvit, occupatóque Iſerano colle, in Monacenſem regiam miſſilibus nequicquam ſæviit. cùm par pari referretur, præmiſſis tormentis, iter ſuum relegit. Notavit regredientium fiduciam Joannes Weisdorfius Schwabæ Præfectus, factáque eruptione, curules machinas earúmque Præfectos in ſuam poteſtatem adduxit, & ſupervenientem ad res repetendas cum copiis Wisbeckhium ingratum carmen ex illis ipſis, quas intercepérat, audire fiſtulis coëgit; cui Wisbeckhius fruſtra verborum minarúmque tonitura oppoſuit, non tantùm irriſus, ſed luculentè etiam multatus. Primario Duci (Georgium Roſenbergium ſuſpicio nominavit) brachium glande trajectum, ejúſque periculo Wisbeckhius ab arce eſt abſtractus. Waſſerburgum & Landishuta plenos dedecoris, & ad cætera probra ſacrilegio contami-

taminatos,& direptis Eberſpergæ D. *Sebaſtiani* opibus jam etiam Cœlitum hoſtes accepere. Wisbeckhio quidem ex eo tempore adverſa omnia evenere. Inſtrumentum primùm bellicum ab obſidendam Schärdingam ab eo Burghuſium comportatum IV. Novemb. cum vrbe tota in favillas redactum eſt, igne in officina nitrati pulveris exorto. Poſt menſem Vilshofam ſummis viribus aggreſſus, vrbi nomen ſuum eripere non potuit: *Æream* Palatinus miles appellaverat, propugnantium virtute non propugnaculorum firmitate jam ſępius inde rejectus. Præerant vrbi Sigiſmundus Schwarzenſtainius, Eraſmus Schiltus, Albanus Cloſenius, & Michael Beerus, qui hoſtem jam ſuburbiis potitum & tormenta mœnibus admoventem, inflammatis, vnde impetebantur, ædibus, longiùs à portis ſubmovêre. Magna nihilominus muri pars procubuit, miſſíque obſcura nocte, qui vallum proruerent, inter continuam lapidationem opus peregere. Signo invadendi dato,

Wisbeckhius Ducis militiſque munia miſcens, non dubitavit per ſcalas nitentibus inſerere ſe, pulchritudine exempli fortiter imperioſus. Ne eniterentur, Joannis Ochſenhuſani fortiſſimi viri, & communem mortalium menſuram egreſſi operâ effectum eſt, qui ingenti ſaxo, quod bini ægrè molirentur, jacto in ſubeuntes, ſtoliditatem importunorum hoſpitum increpuit, tam anxiè aditum in vrbem quærentium, quæ admiſſos vix caperet, optarétque jam dudum exeſſe. his deturbatis, etiam ſigniferum ſupra crates terrâ oppletas eminentem, ſociósque inclamantem, Lancearius haſtâ trajecit ſpoliavítque, corpore pariter & ſigno potitus; quod de ſumma ſuſpenſum turri Wisbeckhio ſpem victoriæ ademit. Sola famæ cura ſupererat ſtudiúmque premendæ jacturæ; quod cùm homini crudo pietate potius eſſet, cæſorum corpora comportata in horreum exuſsit, & accenſam exitio Patriæ facem in Juſta incendariis debita conſumpſit. Spectabat finem bellum, vltima

ad

ad id conficiendum manu, à Reinperto Reichenbergio, juſſu Cæſaris, adducta. Hic Eggenfeldâ potitus Biburgo ad Vilſum ſito oculum adjecerat, periculúmque facturus ſuę & hoſtium fortunæ Kal. Feb. A. MDV. cum copiis non maximis eò eſt profectus. Angelus Abbas inobſervatum patentibus portis, hoſtium Ducibus munimenta loci per otium inſpicientibus, in oppidum ingreſſum, cúmque ædes ſponte nemo recluderet, Georgii Senshemii juſſu ignem admotum, & Comitem Montfortium per tumultum captum ſcripſit. Inflatior eſt Fuggeri narratio, magíſque mulcet aures. Senshemii Equites deni ſagulis candida Cruce inſignitis excubitoribus ſeſe Palatinis tantâ conſtantiâ venditavere, vt Hugoni etiam Montfortio ad illos tentandos egreſſo fucus ſit factus. Intromiſſos ſecuti è veſtigio quinquaginta alii Montfortium ſerò deprehenſa fraude fugientem graviter vulnerant, pluréſque dignatione ei ſuppares ex Balineo publico infeliciter lautos extra-

hunt; cúmque ſub idem tempus Wiſbeckhium cum Comitibus Leonſtainio & Iſenburgio adventare percrebeſceret, rectà in illos feruntur. Initium pugnæ à Ducibus factum; Senshemius cum Wisbeckhio congreſſus velitarem haſtam in ejuſdem pectore fregit. Gladium ſtringentis latus Wisbeckhianus Armiger hauſit. Ducis caſu nihil territus miles, imò animoſior in vindictam privatis auſpiciis publica correxit, tantúmque Wisbeckhio celebratiſſimo Bellatori negotii faceſſivit, vt pulcherrimè cœptum prælium turpi fuga coactus ſit abſolvere, nunquam à noſtris Geiſenhuſium vſque omiſſus; quo in itinere ſexaginta capitibus comitatus ejus imminutus eſt, vt captivos tantùm extra conciſos ſauciósque numerem. Wisbeckhium vnicam inſequentium prædam pernicitas equi tot conceptis in ejus perniciem votis eripuit, ſed reſpicientem denique ſeſe, & enſem à Patriæ jugulo retrahentem, cùm jam tertiùm de ſuo eſſet periclitatus. Tum denique

ad

ad pertexendam pacis telam, ſæpe cœptam ſępe ruptam, bona ſpe reditum eſt. Philippum primùm Ruperti Patrem infelicis belli ſatietas cœpit; cùm jam neque hoſtes ſuos numerare, neque jacturas poſſet, brevíque nihil habiturus videretur, quod perderet. Rupertum Filium, ne obniteretur, mors ſubmovit. vtrique fœderatos cruentæ fabulæ exodium (*Boÿs* Kehrab dictum) laſſavit, neque minus ſuſpicienda *Alberti* Fortuna, quàm metuenda Cæſaris manus. Ab hoc ad Tutelam Pupillorum Ruperti Fridericus ejuſdem Fr. vocatus, impetratúmque à volente, vt, quod *Albertus* & Wolfgangus jam fecerant, finiendi belli, quæque bellum pepererat, litis decidendæ arbitrium ſibi permitteret. Ita Coloniæ xxx. Julii de provincia vniverſa ſtatutum. Pupillis Neoburgum cum Transdanubiana regione iiſdem finibus circumſcripta, quos Georgii potentia complexa fuerat, ceſſit; vnde ſi vicena Aureorum millia annuis vectigalibus redigi non poſſent, ea ſum-

ma cum auctario quatuor millium aureorum ex *Alberti* agro expleretur. Ingolſtadium & Cisdanubiana regio reliqua *Alberto* & Wolfgango contributa. Cimelia Landishuti & Burghuſii recondita Friderico adjudicata. Tormenta Frumentúmque ex æquo diviſa; quæque alia capitibus XXIII. comprehenſa, multorum hominum ingenia fatigârunt, donec vtrique parti eſt ſatisfactum. His tam illuſtribus *Boicæ* potentię ſegmentis Palatinatus Neoburgicus, inauditum antehac nomen, crevit. Haidenhemium cum Hellenſtainia Arce, & Præfecturam Brentanæ vallis Wirttenbergius navatæ præmium operæ accepit. Brandeburgicus Freyſtadio; Norimbergenſes Reicheneckhio, Herſprugga, Lauffa, Allerſperga, Hohenſtainia potiti. Cęſar Ratenbergam cum valle Zillerana, Kueffſtainiam arcem vrbémque, Dynaſtiam Küzpihelanam, Neoburgum Oenanum, Comitatum Kirchpergenſem, Toparchiam Weiſſenhornianam, arcem Wildeckhiam & Schmihenſem,

Jus

Jus Tutelę Epiſcopatuum Salisburgenſis & Paſſavienſis, Varnpachenſe, Manſeanum, Königsbrunnenſe Monaſteria, ſaltus Werdeanos & Weiſſenburgios aliáque complura ad ſe traxit, jurisque Auſtriaci fecit. Abſtineo privatorum nominibus recenſendis, qui ipſi quoque ad ſpolia legenda magno numero accurrerunt, in id omnes intenti, ne pax damnoſiſſimo bello minùs afflixiſſe rem Boicam videretur. cujus conditionem cùm multi miſerarentur, auſus eſt Henricus Stainius, qui in Comitiis Hagenöenſibus Pręſulis Aichſtetenſis perſonam ſuſtinuit, ex Conſiliario Cæſaris quærere, Iráne ſuperûm an mortalium flagitio conflatum *Bojo*, Palatinum bellum exiſtimaret? quóue fato parata mollium conſiliorum medicina ſpreta ſit, priuſquam eorum periculum fieret? Ibi alter libertate pluſquam ſenatoria negabat, vel ſuperos accuſandos, vel homines, ſed gratulandum Reipublicæ maximo metu liberatæ, poſtquam Boicæ potentiæ ſanguis ſit miſſus, profuſis vnà nimiis

opi-

opibus tam infeſtis alienæ ſecuritati, quàm Dominorum ſuorum modeſtiæ. quemadmodum fulmina fulminibus retunduntur ſopiuntúrque, ita bella bellorúmque pericula, commiſſis inter ſe potentiſſimis Principibus, extinguenda fuiſſe. in domeſtica delaſſatos palæſtra à laceſſendis, quos jam ſibi pares videant, faciliùs temperaturos. haud aliter perveniri ad æquilibrium potuiſſe, impetraríque, ne magis vni illi timerentur, quàm timerent. Colloquii ſummam Kilianus Leibius Rebdorfenſis Prior in Faſtos retulit; etſi ab illo neque creditum, neque veriſimile exiſtimo, has ſuſcipiendi Belli Cæſarem rationes habuiſſe. Spretam à Ruperto æquiſſimam ſententiam vindicare, Majeſtatis interfuit. ad arma non voto, ſed neceſſitate ventum. Bellum ſolenne ſuum tenuit; & fruſtra à ferro & igne ſperes mitiora. Enimvero in hæc noſtra tempora intuentibus permirum videbitur, rem tantam tantillo Impendio confici potuiſſe; cùm hodierna incendia à minore ſcin-

til-

tilla nata pluribus annis quàm bellum, illud menſibus,flagrent. *Albertus*,Pace Patriæ reddita , nihil antiquius habuit, quàm vt eam æternam redderet, ſiccato penitus odiorum fonte , qui toties cruentus fluxiſſet. Priora tempora ab antiquiſſima *Bojariæ* diviſione A. MCCLV. inauſpicatò tentata relegenti , quot veſtigia quot monumenta occurrebant temeratæ pietatis & pluſquam civilium Bellorum, quę *Bojariam* , externi hoſtis ſecuram, in ſuos armatam Principes ſimul impiam fecerunt & infelicem ? ſed neque in ſuis ipſe fatis , quod accuſaret, reperiebat *Albertus*,ſi infamem hunc ſcopulum prænavigare licuiſſet illæſo ; quem niſi vel nunc poſterorum bono, annitente Fratre,amoliretur, jam animo prævidebat,ſe quoque in parte hæreditatis bella transmiſſurum ad filios,non valde felices contentioſo Principatu. Itaque Wolfgangum fratrem periculorum conſortio jam ſibi concordem,eodémque tendentem non difficulter eò deduxit , vt indiviſum *Bojariæ* Principa-

tum vnius imperio rectiſſimè crederet adminiſtrandum. Idem cum lectis ex omni provincia LXIV. Viris videretur, probatam ſacris profaniſque ſententiam in Tabulas retulit, ſtatuitque, ne quis Principalium filiorum, præter natu maximum eundémque Provinciæ hæredem, Titulum deinceps Principis ferret. Fratres in Comitum ordinem redacti quatuor aureorum millibus ex contributa ſibi Dynaſtia coactis, aut ex ærario depenſis contenti, fratrem nihil præterea jure poſcerent. Wolfgango tamen nomen dignatióque Ducis relicta, & ad vitam Principalem ſuſtinendam Aicha, Fridberga, Möringa, Landſperga, Weilhemium, Pala, Hægneberga, Liechtenberga & Greiffenberga pleniſſimo jure addicta. Idem *Alberti* Liberis à Patre Primarius Tutor datus. Collegæ nominati Joannes Neuhauſerus Marianæ Ædis Præpoſitus, Principis Cancellarius; Bernhardinus Stauffius, cui mortuo Joannes Scaliger ſuffectus eſt; Joannes Peſſenhuſius, Georgius TremBachi-

bachius, Bartholomæus Schrenckhius & Vitus Peringerus; ille ex Monacenſi, hic ex Ingolſtadiano ſenatu lectus. Annona ſingulis ex ærario publico, vna cum ſtipendio, decreta; Tribus, quos primo loco nominavi, annui aurei duceni; reliquis centeni; ridendæ hoc tempore ſumulæ, quo auctis in immenſum rerum pretiis, neque parvo bene vivitur, & priſca opulentia quantumvis anguſtos lares à fame non defendat. Brevis ævi memoriâ imminentíſque fati præſenſione vltima mandata *Albertum* acceleráſſe, res docuit. A. MDVIII. X. Martii (alii XVIII. ſubijciunt) vivere deſiit, vel, quomodo ejus Imago loqui nos jubet, è Labyrintho evaſit. hoc ille vitam eſſe cenſuit ſenſítque, implicatam tot curis & per errorum ambages ad periculoſiora præcipitia trahentem etiam cautos Viatores. *Sapientia*, quam illi totius Germaniæ Judicium vt propriam dotem attribuit, & ipſum & *Boicam* in ſummum adductam diſcrimen ſervavit, niſi fortaſſe etiam in Kunegun-

de

de Auſtriaca Ariadnam agnoſcimus, quæ Victricia Maximiliani Fratris ſigna Bonæ cauſæ, temporum iniquitate laboranti, adjunxit, neque contenta Patriæ Duces dediſſe, Ducibus etiam Patriam ſervavit.

WIL-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

# WILHELMUS CONSTANS ALBERTI SAP. F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

HIc Vir, *hic eſt, Animam cui debes* Boje, *ſed illam*,
*Quam Regnorũ Animam dicimus eſſe*, Fidẽ.
*Hic iterum infeſtos Calóque Deóque Gigantes*
*Suſtinuit ſola* Religione *potens*. (*tam*
Crux *Enſis*, Crux *Clava fuit*, *quam mille peti-*
*Miſſilibus non vis, non rapuere doli.* *trã*,
*Exarmet prius Herculeam manus æmula dex-*
*Quàm* Veteri *ſpoliet te* Nova *Secta* Fide.
*Applauſit Cæſar magna tibi voce profeſſo*,
*Hac* Te velle fide vivere, velle mori.
*Facta canant alij: quanquam ſi facta deeſſent*,
*Hæc te Immortalem Vox* Guilielme, *facit*.

QVod ante *Wilhelmum* Majorum tuorũ, *Maximiliane Emanuel*, nemini factum conſtat, huic Anno MCDXCIII. poſtridie D. Martini, dum piaculari fonte abluitur, Æra omnia de Turribus gratulata ſunt, ardente in medio foro luculentâ pyrâ; quòd Principem, pro

pro Aris & Focis olim pugnaturum, neque adorari ſanctiùs, neque fortiùs admoneri poſſe Patria cenſeret, quàm Ære & Igne, ſine quibus & Aræ ſilent, & friget Focus.

Primum *Wilhelmo* à Patris morte Triennium ſub tutoribus effluxit. altero ad finem properante, Lis illum domeſtica maximis agitata contentionibus exercuit. Pater, vti memoratum eſt, vltimis Tabulis *Wilhelmi* Fratres à Principatûs jure & nomine excluſerat; quod non magis Ludovico, quàm vtriusque Matri Kunegundi indignum & peracerbum viſum. Maximi animi Fœmina, & poſt maritum nihil humanarum rerum amatura, omnia pręter famam contempſerat, credebátque de illius integritate periclitari ſe, ſi nupta Principi Comites diceretur peperiſſe; tantò vt plauſibilior Ludovici audacia fuerit, cùm Paternum Teſtamentum impugnare aggreſſus, non magis ſuam, quàm Matris agere cauſam videretur, thalamo illius ab infamia vindicato, quæ imparem ſobolem neceſſa-

riò

riò ſequeretur. Sed neque *Wilhelmi* cauſa ſpecie pietatis carebat, vltima Patris vota & juſſa, omnium ſeculorum mortaliúmque ſenſu ſanctiſſima, tuentis, quæ evertere ſine ſcelere non poſſet, vti neque beneficium repudiare naturę quę naſci in tantam felicitatem voluerit priorem. Et litis & litigantium dignitas Cæſarem ad cognoſcenda partium jura attraxit. Ejus nomine Joannes Thalhaimius Wezflarienſis Præpoſitus, & Georgius Goldachius Monachium profecti, ſatisfacturos ſe Ludovico crediderc, ſi à *Wilhelmo* impetrâſſent, vt quæ Principatûs portio Alberti voluntate Wolfgango obveniſſet, ab ejus morte Ludovico cederet, idémque Principis nomine fratri æquatus, illud in filium natu maximum transferendi haberet poteſtatem. At verò Ludovicus ſeorſim pro ſe nitens, Rudolphum Ehingium & Henricum Winckhelhofium, quos cauſæ Patronos Vlricus Wittenbergius ei ſubmiſerat, cum Barone Fleckhenſtainio & Joanne Weiſſenfeldero familiari-

bus

bus ſuis ad proceres *Bojariæ* amandavit, qui vel trientem Provinciæ, vel indiviſum cum Fratre imperium repoſcerent. Proceres infinitam Ludovico abſente diſceptationem veriti, Cæſaris auctoritate & fide publica interpoſita, Auguſtâ eum Monachium revocârunt. Auditis vtriusque Principis Cauſidicis, nihil æquius, neque Reipubl. vtilius Fraterni Imperii conſortio viſum; id quod Theodoricus Pleningius, is qui Saluſtium Germanicè loqui docuit, arcémque Eiſenhoviam de Alberto emptam poſſedit, tam appoſita oratione Principibus explicavit, vt ordinum conſenſum vterque velut ſacroſanctum amplecteretur, etiam libertate legendi domeſtici ſenatûs, & Palatinorum diſtributione officiorum, quoad viceſimum quartum annum attigiſſent, iis remiſſa. Id Fratrum facinus, tam procùl remotum ab ambitione mortali, tantùm non adoravit Provincia, dignúmque ſuum gaudium credidit, quo etiam Cæſarem impertiret; ſed invidia illud in procinctu intercepit,

cepit, ſubornatisque optimi facti peſſimis interpretibus obtinuit, ne quid eorum Cæſari placeret, ob quæ *Boÿ* triumphabant; útque ſincera omnia corrumpi maledicentiâ poſſunt, vtiliſſimum officium in Majeſtatis injuriam depravatum eſt. Involâſſe in ſolium Cæſaris, vſurpatâ de ſummis rebus decernendi licentiâ, & velut minorum Gentium Dii inſurrexiſſe in Jovem Ordines arguebantur; quid non tentaturos, qui creare Duces, aut redactos in ordinem cauſam apud ſe dicere, & ſuis ſubiicere plebiſcitis auſint? qui per ſpeciem tuendorum jurium contra Principes conjurent, & ſi illos liberos videant, ſervire ſe querantur? Quid Romanæ Aquilæ, quid Cæſaribus relictum, ſi, quod *Boÿ* ſibi ſumpſere, reliqua Germania imitetur? ſimilium aculeorum pleniſſimæ Tabulæ omnia alia exſpectantibus recitatæ perplexos animos, quemadmodum cadentia ſudo cœlo fulmina, reddidere. Datum tamen Legatis, qui priùs lecti fuerant, negotium, imbutas improborum

hominum veneno Cæſaris aures ab errore liberandi. Id Theodericus Pleningius, Vöclaprugæ Cæſarem nactus, tam copiosè præſtitit, vt niſi humani ingenii vitio confeſſio erroris Majeſtatis imminutio crederetur, conflatum *Bojariæ* ordinibus odium neceſſariò in commendationem fuerit deſiturum. At enim dum laudare Cæſar non ſuſtinet, quos antè damnaverat, conſultius viſum, refoſſa lite, nodum in ſcirpo quærere, & per moroſas ambages conſulere pudori; cúmque poſt Paſchales ferias Anno MDXIV. Monachii Ordines iterum conveniſſent, prioribus Legatis Gabriel Eybius & Philippus Comes Palatinus Aichſtettenſis & Friſingenſis Epiſcopi cum novis mandatis eodem, quò nupera, tendentibus additi, reciprocare ſerram in controverſia rite compoſita cœperunt, infamandis reſcindendíſque actis, & causâ integrâ ad Cæſaris arbitrium revocandâ, eloquentes ſimul & imperioſi. Sed cùm *Bojos* nec oratione moveri, nec terreri minis appareret, Le-

gati

gati auctoritati ſuæ præſidium à ſolenni formula mutuati, profeſſi ſunt ſuum ſe officium functos; *Bojorum* intereſſe, ne operam perdiderint. irritæ Legationis vindictam Cęſari curæ fore. Ne ſic quidem *Bojos* conſilii factique ſui pœnitentia cepit. Fratres Principes hactenus ceſſere, vt ſe dicerent, ad Cæſarem ituros. *Wilhelmus* prior profectus, ex itinere Burghuſium divertit, & conſuetudine hominum, quibus privata commoda ante ſalutem publicam fuere, corruptus, facilitatem ſuam, qua imperium cum fratre communicârat, & parſimoniam, vt indecoram Principi, damnavit, putidum ratus, ſumptuum rationem cum ærario ſubducere; vtroque nomine non modò liberis provinciæ ſermonibus, ſed Matris etiam querimoniis apud Cæſarem traductus, Ludovico Filio, quem teneriùs complectebatur, ex fratris maculis gratiam aucupantis. Cæſar nihilominus Sept. menſe causâ Fratrum ad conſilium Oeniponti delatâ, *Wilhelmo* adverſus Matrem favit, & biceps impe-

rium tantopere ei probatum abrogavit, dominatum arbitratu ſuo ita partitus. Quadrantem Provinciæ Ludovicus poſſideret, ampliſſimo jure, veluti principatum liberum neminíque obnoxium; cætera *Wilhelmo* ea lege cederent, vt Erneſtum fratrem, ſi Infula ei cordi eſſet, ſublevaret in faſtigium ſacrorum, aliorſum tendentem in aliqua parte paternæ hæreditatis collocaret. Ægrè erat Ludovico, dignitatem ſuam Cæſaris ſententiâ decreſcere; cui tamen ſi obniteretur, quomodo cenſuram irati ferret, quem benevolentia ejus afflixiſſet? Proinde cùm neque Cęſaris de propoſito deducendi ſpes vlla appareret; quique Cęſaris aures in poteſtate habebant, Principum litem notis fruſtrationibus, velut auream ovem lanę gratiâ, alerent; Ludovicus, quàm minimo fieri poſſet periculo, defungi properans, repudiatis exteris conſiliis, cum fratre decîdit, multò æquiorem eum nactus quàm Cæſarem; vt à quo pro Quadrante Trientem accepit; etſi eo nomine conſultò abſtinebant,

nebant, ne diſceſſiſſe à Cęſarea norma arguerentur. Auctam deinde fraterni fœderis liberalitatem confectæ ſuper eo literæ loquuntur, quæ duas illi Metropoles Landishutam & Straubingam in tres annos tribuunt; quibus elapſis Ludovico redire ad trientem integrum ſit, qualiſcunque communitatis eum pœnituiſſet, cujus aliqua ſpecies retenta fuerat. Vix abierat annus, cùm vſu compertum eſt, ſeparatim tendentibus, & Palatino famulitio in duplici Regia congeminante, immanes ſumptus fieri, quos cùm neque æris alieni magnitudo, neque ærarii exilitas ferret, neceſſitas Magiſtra Modeſtiæ vnâ iterum fratres regiâ curiáque incluſit. Redintegratæ gratiæ *Wilhelmus* tantùm confiſus eſt, vt ejus non modò firmitatem ſed æternitatem Ordinibus Ingolſtadii coactis promitteret, negans, ſuo fratríſque candori quemquam in poſterum pernicioſa loquacitate illuſurum. Id Hieronymi Stauffii gratiâ dictum, qui *Wilhelmi* Prætorio præfectus & Amicorum Princeps,

veterem Ammani Tragœdiam improbitatis exitiíque ſimilitudine illo ipſo tempore renovavit. Vt vnus omnia apud *Wilhelmum* poſſet, viciſſim vt *Wilhelmus* vnus omnia poſſet, ſibi efficiendum cenſuit, Pietatem pariter Ludovicúmque obtriturus, ſi his ſaluis deſtinata exequi non poſſet. & illam quidem jam calcaverat; Ludovico deijciendo omnium conſiliorum machinæ clam admovebantur, vt, quàm manifeſta fratrum fuere diſſidia, tam de eorum ſatore dubitaretur. Ab vtroque denique agnitus, neque minùs illi inviſus, quem erectum, quàm quem everſum cupiebat, improbarum molitionum ſtrophartúmque, Carnifice quæſitore, Ingolſtadii Anno MDXVI. convictus, abſciſſis cervicibus, Palatinæ felicitatis & gratiæ malè collocatę ſpeculum in foro ſalinario jacuit. Simul ac ſpirare turbulentus hic Notus deſiit, etiam tempeſtates, quibus fratrum concordia jactata alliſáque eſt, quievere. Cęſar quoque, eouſque imperioſior & rigida in fratres ſibi vſurpans

pans jura, nullum illis deinceps negotium faceſſivit, ſatis vt appareret, calorem illum à Stauffii foco fuiſſe, hominémque vehementis ingenii faces non in ſuorum tantùm Principum regiam jactâſſe. Fratrum, bona jam fide mutuò amantium, pietatem mox Sabina ſoror omnem occupavit. Ea anno vndecimo Vlrico Wirttenbergio nupta, jámque ſecundùm mater Mariti ſævitiam neque fœcunditate, neque aliis animi corporíſque bonis, quæ Heroidi illi cumulatè inerant, mitigandam fugâ declinavit, & Theodorici Spethii ope matri reddita, neque barbaris lecta annalibus narravit; quale illud in primis eſt, quod ad Pauli Jovii notitiam recenti adhue fama pervenit, non pugnis modò, quódque belluam magis decuit, calcibus ab inſano marito ſe afflictàm, ſed nihilo meliore præ jumentis conditione inſeſſam velut quadrupedem, & admotis calcaribus latera ſibi ſuffoſſa: quę ſi vel ſola fuiſſent, in ſororis ſuæ perpetrata filiam diſſimulare Cęſar, vel inulta

 pati

pati non poſſet. Sed acceſſerat inſuper indigniſſima Joannis Hutteni cædes, eo tantùm nomine inviſi, quòd Conradi Thummii Palatio Præfecti Filiâ ductâ in Ducis amores involâſſet. Id veluti plagium Dux ſua manu vindicandum putavit, atque inter ven-ndum inermem, qualem exire juſſerat, nactus, confoſſum ex arbore ſuſpendit, ſanguinario vtroque miniſterio pro Duce Latronis & Carnificis titulos meritus, vernaculis primùm carminibus jactatos, & à Leibio vulgatos; quibus Vlrici Hutteni Philippicis præluſum eſt; hic enim nulli vnquam benedicere ſolitus, in deflenda Cognati nece fel omne abſumpſit, tantâ exinde Ducis invidiâ, vt Nicolaus Barbatus dixerit, Italos alterum ſibi Neronem natum; Siculos novum Dionyſium; Britannos ex Patricii Antro conflatum ex omnibus Tyrannis monſtrum prodiiſſe veritos. Sed ille populum concitavit. Cæſaris aures Ludovicus Huttenus, cæſi pater nobiliſſimus Eques, magno jam natu miſerandis vocibus in Auguſtanis comitiis opplevit, mil-

mille ducentos equites oſtentans, innoxio ſanguini, ſi per Cæſarem liceret, parentaturos. Æquè valida Kunegundis noſtræ, inultam videre filiam non ſuſtinentis lamenta, & Wilhelmi vindicias poſcentis obſecrationes fuere, vt Lampanterus Wirttembergicæ cauſæ Patronus ſola accuſantium auctoritate propè obtritus, in eo omnem ſpem victoriæ ſitam haberet, ſi *VVilhelmi* filii ætatem, & Kunegundis Matris ſexum à Prætorio excluſiſſet, argumentorum cæteroqui tam inops, vt Tyrannidis notas, quas duplicis criminis reo expungere debuit, reddiderit conſpectiores. Cæſar certè miſeram defenſionem nihil moratus, Wirttenbergicum hoſtem Imperii ſua ipſe voce dixit, ſignum etiam invadendi Hutteno daturus, niſi preces Principum bellum abominantium, quámque Matthæus Langius ex Patricio Auguſtano Cardinalis & Gurcenſis Epiſcopus ſanandi pervicacis ingenii ſpem oſtentabat, ſalutares perituro inducias impetraſſent. Langius Blaubeurę cum Du-

ce, denis armatorum millibus ſtipato congreſſus, pacem illi, incertum modeſtiâ an ferociâ expreſſam conceſſit. Mala fide cultam *Boij* cenſuere. cùm proximè ſequente Anno, qui decimus ſeptimus fuit, multa per illorum fines incendia fierent, ſuſpicio Wirttenbergicum vt auctorem defixit: ſed illis vtcunque ſopitis, odia extincta non ſunt; neque Vxor tum quidem reddita eſt, in Vrſulam Thummiam, quàm Latrocinio ſuam fecerat, maritalem affectum palàm transferenti. Vindicta cum decimo nono demum anno veluti claudo pede aſſecuta eſt; cùm Maximiliano mortuo, neque Pacis legibus vindices tenerentur, & Reutlinga novo facinore ab Imperio avulſa negligi non poſſet. Illico quotquot fœdere Suevico tenebantur, lege ſacrata exciti, Vlrico bellum indicunt, ſummâ rerum ad *Wilhelmum* hunc noſtrum delatâ, Legatóque ei Georgio Freundſpergio addito, qui inſeſſo cum copiis Vlmenſi agro, conſilio priùs quàm manu hoſtis vires attrivere; monitiſ-

nitíſque per legatos Helvetiorum civitatibus, ne hoſtem Rom. Imperii adjutum vellent, viginti millia, niſi Pedius in numero fallit, ex ea gente conſcripta à Ducis ſignis, prius ſe victum quàm impugnatum frendentis, abſtraxerunt, pauxillum deinceps cum locorum natura negotii habituri, hominibus, qui arma contrà ferrent, ad inſignem paucitatem redactis. *Wilhelmus* in non maxima Virtutis bellicæ materia diſciplinę caſtrenſis exactiſſimè cuſtoditę & refrenatæ in Victore exercitu, atque ob id indomito, avaritiæ veram laudem tulit; ſeptum equite peditem, ne de via decederet, agere ipſe in extremo agmine præſens ſolitus; prorſus vt oblitum diceres, iter eſſe per hoſticum, niſi tormentorum alicunde eum allatrantium ſono admoneretur, non eſſe amicos, quorum fortunas tam ſolicitè ſervaret. Tubinga ſuis fiſa munimentis, Ducíſque cum Chriſtophoro F. animata præſentiâ, nullo ad ſummam rei commodo, *VVilhelmi* iter aliquamdiu morata

rata eſt; donec procumbentibus muris, & elapſo per ſilvarum avia Duce, ipſa quoque jugum accepit. Poſt Tubingam neque Studgardiam, neque Schorndorfium deditionis puduit; vt illa quidem nullo neque ſui neque hoſtium periculo facto; poſterius quæſitâ ex pauculorum dierum conſtantiâ qualicunque laude in *VVilhelmi* fidem conceſſerint. Diutius luctata Aſperga eſt, pro fama magis ſua, quàm ſalute Principis ſolicita, laboránſque dici Invicta, cùm nihil præterea in omni provincia ſupereſſet, quod vinceretur. ſed hunc quoque nidum Freundſpergii fulmina ridentem, mirabili fato, Mulierum vlulatus, & iiſdem pugnantis artibus Infantiæ comploratio ſubegerunt. Arx ferri igniúmque contemptrix lacrymis ceſſit; vt vel hinc appareat, potentiora eſſe pietatis arma & naturæ, quàm furoris. Bellum exilio Ducis & deditione provinciæ feliciſſimè finitum, liberiore otio, quàm tutandis rebus conveniret, mutatum eſt: pręſidia alibi infirma, alibi nulla;

la; eorúmque vicem incolarum fides, & contemptus hoſtis vltra Danubium, Rhenúmque præter Duellium nihil poſſidentis, nondum tamen, quod noſtri exiſtimabant, de Fortuna deſperantis. Eodem anno ex ſuorum familiarium comitatu, qui neque profugum deſeruerant, conflatam exploratoriam cohortem Hainſemio incuſtodito oppido ſub noctem jubet ſuccedere, eóque potitos ſpargere famam redeuntis cum juſto exercitu Ducis. Ejus nomen Populo pro claſſico fuit; iis quoque miſerantibus exulem, qui integris eum rebus odio libentiùs quàm reverentiâ fuerant proſecuti. Horum ille animis confiſus etiam Stutgardiam tentavit, effractísque portis vrbe potitus, fœderatorum præſidium ex pacto dimiſit, eodem impetu cætera quoque recuperaturus, ſi nobilitatis æquè prona in illum ſtudia, ac plebis fuiſſent. Plerique proceres, guſtatis exilii incommodis timidi & ægrè reſpirantes, cùm eos ſibi offendendos non putarent, à quibus in patriam reducti

ducti erant, illo demerendo, cujus vitio eandem amiſerant; vltro ipſi ad firmandas præſidiis vrbes accurrêre; vt ſubitaria illa, quæ Duci affulſerat, ſerenitas momento obnubilata in priſtinum ſqualorem redierit. Iniquiora omnia fœderatorum reditus fecit Eſslinganis auxilia ferentium, quibus è vicino colle infeſtus Dux imminebat, ſed fane expugnandus, ſi, quod proclive factu fuerat, à tergo circumveniretur. Ille metus ad caſtra in planitiem transferenda, cedendúmque hoſti tumulum vel invitum deduxit. Sed neque in acie locum ſequenti die tenuit; caſtris pariter patriáque exutus, iterum ſibi exilium poſt viſam patriam multò jam acerbius conſcivit. Nihil præter inane nomen efferenti vix illud fœderati reliquere; cùm incenſa Wirttenbergia arce, vſurpatus ex ea Ducis Titulus pariter in fumum abiret. Provincia à victoribus ſub haſta vendita, Auſtriacos fratres Carolum & Ferdinandum Dominos accepit; quorum ille eodem an-

no

no Septemviralibus ſuffragiis Cæſar lectus, ſequenti inauguratus eſt. Cum Wirtenbergico bello *VVilhelmi* auſpiciis ductúque geſto alterum multò fœdius, quod à ſuis cunabulis Wittenbergicum affini nomine appellare poſſis, conjunctum eſt. Martinus illud Lutherus Eccleſiæ indixit, geſſítque cum immortali Germaniæ damno; cujus ruina ne *Boica* quoque involueretur, virtuti Principum Deus tribuit, pro ejus gloria & Patriæ ſalute capita ſua devoventium, quæque *VVilhelmus* ſignavit veſtigia, æquis paſſibus prementium. Sed ad *VVilhelmi* laudem, quę Bello hoc verè ſacro multiplex ei parta eſt, ſpectat illud inprimis, quòd veritati ſummis odiis furoribúsque oppugnatæ Joannem Eckhium fortiſſimum Vindicem ex Ingolſtadiana Academia ſua ſubmiſit, eodem tempore cum Luthero ſingulari certamine congreſſum Lipſiæ, quo ipſe Wirtenbergicum Ducem eſt vltus. Anno ſequenti Kunegundis Auſtriaca Principum & Patriæ mater, quod ipſa nomen ex vero

tulit,

tulit, & alicubi etiam publicis literis prę-ſcripſit, obiit, vel quomodo de ſideribus loquendum eſt, occubuit. Sidus enim gentis noſtræ fuiſſe, ſi è viventis virtutibus vtpote clam habitis, & ſub modeſtiæ nube latentibus non ſatis innotuit, Deus à morte detexit, qui eductam de corporis ergaſtulo animam cœlóque inſerendam ſideris ſpecie radiantem, mortalium oculis objecit. Talis ſupra tectum Parthenonis Monacenſis Pitrichiani ſtetit, approbavítque orbi factum ſuum, quo id pietatis domicilium Regiæ prætulit, & juſtis Marito perſolutis, rectà à templo in illud digreſſa, ſe quoque, quà licuit, ſepelivit, rigida ſinceræ virtutis amatrix æſtimatrixque, vt neque Annæ Lainmitteliæ veteratoriæ eam artes fefellerint, cùm ſummis vtriuſque ordinis viris, inque his Maximiliano etiam Cęſari & Patriarchæ Hieroſolymitano, perpetuam mentita inediam, Auguſtæ Vind. perdiu impoſuiſſet. Kunegundis ad ſe Monachium perductæ larvam detraxit: Friburgenſes in

Nui-

Nuithonibus pro cive receptã, minúsq; doctam premere ſcelera, quàm ſimulare virtutes, aquis præfocârunt. *Wilhelmus* biennio à matris morte lapſo, Jacobâ Philippi Badenſis filiâ vxore ductâ, primus, de quo conſtet, Germaniæ Principum periclitanti Vngariæ, & Turcico incendio poſt captum Belgradum jam afflatæ, arma viróſque ſubſidio miſit. Hos Gaſpar Winzererus ex omni nobilitate *Boica* lectos duxit. Arma *Wilhelmus* è ſuis armamentariis deprompſit magno vſui futura, niſi ea Vngaris perfidia, quâ Ludovicum Regem ſuum prodidere, è manibus extorſiſſet. Luthero inteſtino hoſti, & ipſa Germaniæ viſcera depaſcenti feliciùs occurſum, cautúmque perpetuis excubiis, ne quis ex ejus emiſſariis impunè pedem in *Boicam* inferret. Idem tribus Fratribus ſtudium; vt ſi Erneſtus ad Paſſavienſem Mitram anno decimo ſeptimo vocatus, officii ſui nomine ad arcendos à Chriſtianis ovibus lupos non moveretur, ſatis pulcherrimis fraternæ vigilantiæ exemplis ſti-

mulandus fuerit, ad intendendas paſtorales curas. *Wilhelmo* & Ludovico ſponte ſua incitatis ad tuendam pietatis cauſam, inæſtimabiles Quatuor Viros opportuniſſimo tempore Deus addidit, quos vel in ſuſtentandis conſiliis Principum avitæ Fidei columnas, vel ſalutis *Boicæ* Quadrigam rectiſſimè dixeris. Intereſt Poſteritatis, eorum nomina hìc quoque legi; & primùm quidem Chriſtophori Dynaſtę Schwartzenbergii, inter cujus decora nobilitas vix in cenſum venit, Pietate, Prudentia & vtriuſque linguæ peritia tam altè in eo eminentibus; quorum ſanè à Patre nihil acceperat, eodem ardore Impietatis anteſignanum profeſſo, quo hic noſter Ducem ſe præbuit Pietati; adeò quidem, vt cùm Gaſparis Schazgeri, quo Alumno imò moderatore D. Franciſci Familia, & Landishuta Cive perpetuò gloriabitur, eruditiſſimum calamum in hęreſin Chriſtophorus acuiſſet, Pater ejus Literarum omnium rudis, conſarcinata è Lutheri maledictis farragine, eundem retunde-

re

re ſit conatus, filium non minùs quàm veritatem exoſus. Proximum à Chriſtophoro Leonhardus Eckhius locum occupat maximum *Boicæ* nobilitatis ornamentum. *Wilhelmus* ex Onolzpachenſi Curia in patriam revocatum in omnia intimæ familiaritatis jura recepit, coluítque vt oraculum domeſticum, & nullius vnquam pœnitendi conſilii auctorem. Idem Caroli V. imò Germaniæ vniverſæ de illo vivo mortuóque judicium fuit; vt in Comitiis etiam, ſi quid perplexi incidiſſet, vox illa audita ſæpe fuerit, Refodiendum eſſe Eckhium, & revocandum è Tumulo in Senatum illum Solonem: quòd perſuaſum omnibus eſſet, vel illum, vel alium neminem parem omni nodo cuneum reperturum. Avitæ pietatis adeò tenax fuit, vt neque Filium hæredem paſſurus fuerit, ſi à Fide vel latum vnguem diſceſſiſſet. Explent quaternarium Auguſtinus Lōſchius & Franciſcus Burcardus, ipſi quoque Juris humani ſcientiſſimi, divini propagandi cupidiſſimi, eandém-

que cum prioribus gloriam perpetuis ex-cubiis meriti, quibus, ne *Bojaria* vnquam *Pia* dici aut eſſe deſineret, effectum eſt; qua laude vti major nulli acedere genti poteſt, ita nihil Principibus noſtris ęgrius fuit, quàm ejus profeſſionem Tituli non cum pluribus ſibi eſſe communem. certè Laurentius Campegius Cardinalis Pont. Max. Legatus Anno MDXXIV. cum propugnatoribus fidei de ratione debellandę Impietatis Ratisbonæ congreſſus, ex Epiſcopis non niſi duodenos, ex Principibus præter Ferdinandum Auſtrium & *Bojos* Fratres, quem alloqueretur, habuit neminem; quò major ex raritate viſa neceſſitas exacuendæ virtutis, ne bona cauſa vti à pluribus, ita melioribus quoque deſerta videri poſſet. Cordi Deo fuiſſe religioſa noſtrorum Principum ſtudia, haud aliàs manifeſtiùs apparuit, quàm cùm ex Cadmæa Lutheri ſemente Anno proximo vniverſæ propemodum Germaniæ Agris bellum Agreſte pullulavit, & Chriſtianæ Libertatis ineſcata nomine Ruſticana natio ar-

ma

ma adverſus Dominos corripuit, ſacrorum potiſſimùm hominum ſanguini opipúſque inhians, quos à ſe ditatos ſaginatóſque querebatur. Ille popularis & contagioſus furor cùm muſteo Lutheri Evangelio ebrios paſſim corriperet, nihilque ſanum vllo rure relinqueret, ſolà ferè *Boica* ligonem enſe non mutavit, eadémque conſtantiâ Pacem & Agrum coluit, qua Fidem; cujus id certiſſimum præmium tuliſſe Optimos Principes communis illius ævi ſenſus fuit, ex quo Kilianus Leibius, aliàs quoque nobis nominatus, ita ſcripſit, *Quemadmodum ob hoc laudandi ſemper Principes iſti* (Wilhelmus & Ludovicus) *Lutheri maledicti hæreſes & inventa non admiſerunt, ſed ſeverè perſecuti ea extermінârunt in ſua Bavaria; ita & Deo fautore atque propitio obtinuerunt, ne Agreſtes aut Cives ſui in tumultus ſeditionéſue prorumperent. Et certè non defuerunt etiam inter Bavaros, quibus & Lutheraniſmus gratus, ſeditiones atque factiones cordi eſſent; ſed ubi ejuſmodi excetra & monſtra vel tenuiter extuliſſent capita virulenta,*

*ta, mox illis hi duo Catholici Principes erectis animis obviam prodiere.* A quibus id quoque ſummo conſilio excogitatum, vt ſacrilegæ cupiditati, velut graſſanti incendio, pabulum in tempore ſubtraheretur, templorum Cœnobiorúmque Cimeliis, quæ prima tunc ſpolia petebantur, Monachium convectis. quæ diligentia ſuſpecta initio, relatis poſtea optima fide in ſua ſacraria depoſitis pignoribus, in maximam Principum laudem vertit. Ludovicus interim inſeſſis cum egregio equitatu, quà Suevos reſpicit, Patriæ finibus, eâdem operâ Indigenas agreſtis inſaniæ œſtro percitos frenavit, & malum pedem aliunde importaturos ſubmovit. quo tempore dubiũ nemini fuit, jus Aſyli *Boica* divinitus conceſſum, cùm Lyco tenus ſæviens furor illum limitem velut ſacroſanctum tranſilire vereretur, collectáque in Noricis montibus tempeſtas intra ſua duntaxat cunabula detonaret, vicinam aſpergere *Boicam* non auſa. Matthæus Langius Salisburgenſis ex Gurcenſi Antiſtes

tiſtes Stöckhelium quendam ſeditioſum Civem,& ſceleratę factionis primipilum, ob Sacerdotem Lutheri venena incautis auribus inſtillantem, carceri ereptum, capite imminuerat: Metallicis etiam nonnullis Foſſoribus, qui peſtem jam imbiberant, ad eandem cùm ſanguine revomendam damnatis; ſed metus, qui ſanare affines culpæ debuit, eos potiùs efferavit, causámque ſervili conjurationi præbuit, cujus impetu Langius ipſe tantùm non eſt oppreſſus. Jam in Vrbe dominantibus ſervis, premebatur obſidione Antiſtes, nulla ſpe reliqua, niſi *Bojorum* auxiliorum. Majerus quidam & Gaiſmajerus Brixinenſi nuper Epiſcopo ab Epiſtolis,& effracto illius ærario ditatus, felicitate ſcelerum imperatorium inter aratores foſſoréſque nomen occupaverant, útque imperioſa etiam nequitia eſt, non omnino ſtultiſſimè furentibus moderabantur. Vaſtas trabes firmiſſimis rudentibus crepidini montis ita præligaverant, vt præciſis retinaculis molares iis impoſiti in ſubeuntes ef-

ſunderentur. Ludovicus Ducis *Wilhelmi* frater Epiſcopi periculo cognito cùm Georgio Freundſpergio Mündelhemii Toparcha, ob Ticinenſem Victoriam de Franciſco Galliæ Rege eodem anno reportatam nominatiſſimo Duce, Salisburgum advolat, contusâ minutis præliis rusticanâ ferociâ etiam cùm locorum iniquitate certamen ſuſcepturus, & expugnandi Montis avidus, niſi Freundſpergius indignum hoſtem cenſuiſſet, ex quo inter rupes, periculo quàm ſpe gloriæ majore, Dux milésque illaudatam victoriam peterent. diſieciſſe tales belluas, & cornua illis ademiſſe, pro triumpho fore; id quod ipſe peracceptus vulgo tanta dexteritate præſtitit, vt Agreſtes alloquio ejus cicurati arbitrium omne cauſæ ſuæ jurísque Ludovico *Bojo* permiſerint; vti ex publicis Matthæi Langii tabulis intelligitur, quibus Gnodalii auctoritas eliditur, compoſitæ Pacis gloriam Suevico fœderi attribuentis, cui Langius eo tempore nondum erat adſcriptus, Nördlingenſibus demum

comi-

comitiis, Decembri menſe, nec ſine multo ambitu voti ſui compos factus, Ruſticis multò fœdiùs quàm antea tumultuantibus, & jactatâ Evangelii Teſſerâ Chriſtiano candori illudentibus, per aſpera montium circumlatum eſt perniciosiſſimum bellum; Schleiminge ingens nobilitatis cædes facta, iis quoque, qui in templum refugerant, ad gladium extractis, aut in duriora morte ludibria ſervatis; donec Michaëlis Grueberi tranſitione ad noſtros mutata rerum facies, ejúſque ductu per inobſervatas ſemitas ſupra hoſtium capita ventum eſt, tum demum mors & capitvitas oculis obverſantia deſiderabilem furentibus pacem fecere, multo jam ſanguine redimendam, quam gratuitam ſpreverant. His experimentis propiùs agnitum Lutheri Evangelium eſt, & ſanguinarii calami genius, Cælo reverentiam, terris pacem invidentis. vtriusque boni jacturam cùm ſe conniventibus fieri Duces *Boij* nollent, intentos in omnia peſtilentis Novitatis veſtigia, Leonardus Cæ-

ſar non feſellit, homo nequam factúsque ad vnguem ſui Magiſtri; cujus ſcita dum Paſſavii non diſſimulanter ſerit, comprehenſus ab Erneſto Epiſcopo, cùm de inſania à doctiſſimis viris, quos inter Joannes etiam Eckhius Theologus fuit, convictus nihil remitteret, *VVilhelmo* traditus, ejus juſſu delirare & nocere in rogo deſiit. Anno ſequenti, qui XXVIII. fuit, etiam Anabaptiſtarum fex ſedem ſibi in *Boica* deſtinavit, natalium credo jure; quòd illius monſtri parens Baltaſar Huebmayr Fridbergæ in *Boijs* natus, divini juris apud Ingolſtadienſes in ſchola pariter templóque olim interpretem egiſſet. Illo Viennæ ignibus, & familiari ejus ſcorto aquis extincto, hæredes impietatis Monachii, Salisburgi & Auguſtæ potiſſimùm nidulari conati, atque ob cætus in Hortis actos Hortenſiorum Fratrum nomen ſortiti, ſimul ſuo ſeſe indicio clancularii ſorices prodidere, Principum juſſu ex hortulis & cauponulis ſuis extracti, flammis ferè fluminibúsque hauſti, per hæreditaria

ſuæ

ſuę ſectę Elementa ad progenitores ſuos ducéſque fanatici erroris plerunque, quod mirere, ridentes emigrârunt. Mollior Impietatis Auguſtæ conditio fuit, vtpote jam jus civitatis adeptæ, profanantis Templa; & ex ipſis adeò Roſtris per mendaciorum præcones palam venditatæ; vt *VVilhelmus* vehementer metueret, damnatam mercem ex ſua quoque gente attracturam emptores. Id ne fieret, graviſſimis edictis ſuos vetuit ad illum peſtilentiæ mercatum proficiſci: cúmque comperiſſet, Vlricum Rhelingerum Vrbis Conſulem in Lederenſi arce Michaëli Cellario concionali rabulę hoſpitiũ præbuiſſe, confeſtim Wolfgango Theodorico Knöringio ſuo Schwabecca Præfecto negotium dedit, cùm quinquaginta Equitibus peditibusq; ferentariis centũ quinquaginta, hominem omnibus Lupis nocentiorem, niſi ſponte dederetur, ex illo latibulo extrahendi. quæ tamen venatio ſera irritáque fuit; quòd belluam, quæ petebatur, jam ſua ſagacitas maléque ſibi conſcius animus

mus reti laqueóque ſubduxiſſet. Plus maſculę audaciæ in fœmina fuit, quæ ipſa quoque Principi Monſtra vel exſcindenti vel proſcribenti negotium faceſſivit. ea eſt Argula Stauffia Bernhardini Baronis Ehrnvelſii, aliàs nobis memorati Filia, Friderici Grumbachii vxor, quæ libato Lutheri furiata muſto, neque minùs Canis quàm Hecuba Academiam Ingolſtadienſem vniverſam ex Lenttingana arce ſua allatravit; & Patrocinium errorum, ad quos ejurandos Arſacius Seehoferus nuper adactus fuerat, pollicita Joannem Eckhium ad ſingulare certamen, audaciâ pluſquam Amazoniâ, provocavit. ſed ille indignatus rixari cum fœmina, Colu Fusóque ei transmiſſis, philoſophari & argutari Argulam inter ſuas quaſillarias juſſit. Illa nilominus ſui Evangelii legibus dedocta erubeſcere, *VVilhelmum* adeò *Bojariæ* Ducē caninâ ſolicitare facundiâ inſtitit, ſerióque ad Catilinaria Lutheri ſigna & Pontificii nominis excidium piiſſimum Principem invitavit; ob eam impuden-

tiam

tiam apud contribules ſuos *Auguſta*, *Reginaq́*; apud Lutherum, *Diſcipula Chriſti*, & *Filia Dei* nomen ſortita; à crocitante demum Rabo inter Martyrologii Lutherani Indigetes & cœli Evangelici ſidera collocata; quam *VVilhelmus* noſter ſinceriore ſententia exturbatã è *Boica* ipsâ, indignam terrâ cenſuit. Et illi quidem ſimilibus ſtudiis labantem Religionem ſuffulcienti, & Patris Sapientiam conjungenti cum Pietate Avi, aliquid etiam avitæ ſortis fortunæq́; accidere æquum fuit; id quod Ludovico Vngariæ pariter Bohemiæque Rege calamitosâ ad Mohazium pugnâ occiſo factum; cùm ſciſſis iterum procerum ſtudiis, quíque auctoritate inter eos plurimum valebant, Berenſtainio & Cauphone ſuffragia *VVilhelmo* colligentibus, Bohemię coronam ſperare auſus eſt; nam poſſeſſione Ferdinandi illum Auſtrii Fortuna ſubmovit; amicitiâ nihilominùs inter vtramque domum illæsâ maximisque continuò documentis teſtatâ, cùm defenſæ adverſus innumerabiles Turcarum

rum copias Viennę, iterúmque rejecti ex Pannonia Solymanni gloria ad *Bojopalatinos* ſine dubitatione eo etiam jure pertineat, quòd Erneſtus *VVilhelmi* frater, præfecturâ annonæ in ſe receptâ, ducentis ſexaginta hominum millibus commeatum in tres menſes expediverit. Trigeſimo anno, qui inter obſidionem vrbis & liberatam Solymanni reducis metu Vngariam interceſſit, *Boij* fratres Carolo Cęſari ex Italia in Germaniam reverſo Kueffſtaini præſto fuere, & per provinciam cum Ferdinando fratre & Cardinali Campegio deductum Monachii regio omni honore, ludis magnificentiſſimè editis, & nobilium ingeniorum inventa ſua jactantium certaminibus coluere; majorem etiam in Auguſtanis Comitiis laudem meriti, Joanne Eckhio & Leonardo Schrötingero avitæ Religionis propugnatoribus eò adductis, quorum prior in Confeſſionis Auguſtanæ infelicem Machinam primus haſtam torſit, dolíſque & erroribus prægnantem confixit. *Wilhelmus* verò inter

ter VIII. viros religioſi Senatuſconſulti conditores, quo ſectariorum licentiæ frenum injectum eſt, aſſedit, pietatis præjudicio cum Georgio Saxone & Henrico Brunſuicenſi Ducibus, Moguntino & Brandeburgico Electoribus, tribúſque Epiſcopis ad id delectis additus. Sub finem anni Ferdinando Regi Romanorum creando Coloniam indicta comitia ſunt, Saxoni potiſſimùm & Haſſo improbata, imò & *Wilhelmo* ſuſpecta, haud quaquam Imperium ambienti, cujus cum cupidum Jovii ſuſpicio facit, ſed mali exempli novitate offenſo, quòd ſubrogandis ſine neceſſitate Cæſaribus ſuffragiorum libertas conſtringi, & Romana Aquila in vnius familiæ caveam cogi videretur. Ea res cùm multorum ſermonibus invidioſiſsimè traduceretur, fœderi cum Franciſco Galliarum Rege cauſam præbuit, qui centena aureorum millia in incerta caſuum depoſiturum ſe apud *Bojos* pollicitus, trium, quos nominavi, Principum ſtudia ſibi conciliavit. Tabulæ A. XXXIV. confectæ ſuperſunt

ſanè

ſanè quàm cordatè ſcriptæ, neque mortalium vllius odium palam profeſſæ. Animadverſum eſt tamen paulò pòſt, Libertatis Germanicæ Tutelam obtentui ſumptam; & Regem quidem, abolendi dedecoris olim Ticini accepti ſtudio, Saxonem verò Haſsúmque, avitæ Fidei odio in Cæſarem Fratrémque exarſiſſe; quibus ignibus ſuum afflari candorem *Wilhelmus* non ſuſtinens, fractâ maturè periculoſæ amicitiæ teſſerâ, fœderi nuncium remiſit, illos ſolos habiturus amicos, quos deſerere neque ad Aras cogeretur. Quod animi propoſitum eâ conſtantiâ tenuit, vt Wilhelmus Bellajus Langius, cujus nomen in tabulis primo loco ſubſcriptum legitur, à Rege Galliæ ad Sectarios Smalcaldiæ Anno xxxv. conventus agentes legatus, palàm illic affirmârit, ſe cum *Boÿs* Fratribus de rebus Religionis controverſis collocutum *Duriores eoſdem Theologis Pariſinis* comperiſſe; qui rigor ſi Bellajo nimius eſt viſus, non intellexit ſcilicet, *in Apoſtolica Confeſſionis Petra ſolidatis* glorię eſſe,

in

hac vna cauſa tuenda fieri adamantinos, & Capitolino Termino immobiliores. Talem Auguſtani quoque vetuſtæ pietatis Reliquiis, Anno XXXVII. cum ſacro ordine vniverſo proſcriptis, feroces experti ſunt; quibus faventibus cùm Joachimus Gadoldus, Vdalriciani Cœnobii Excrementum, Haunſtettam velut vnicus vi extruſorum hæres invaſiſſet, colonóſque in ſua verba ſacramento adegiſſet; *VVilhelmus* injuriam Religioni factam ad ſe pertinere arbitratus, Knöringio Freybergióque, ſuis Fridbergæ & Landſpergæ præfectis, ſacri peculatûs vindictam mandavit; qui armatis confeſtim equitibus ſanè in tempore, jam crocitantibus in ſacro ambone corvis, ſupervenerunt, quódque rarò miles facit, templum à ſacrilegio, vicum à ſacrilego Poſſeſſore liberatum, Joanni Abbati Wittelſpachii exulanti reddiderunt. Id Anno XXXVIII. factum, quo Matthias Heldus Imperii Procancellarius Moguntinum & Salisburgenſem Archiepiſcopos, *VVilhelmum* & Ludo-

vicum *Bojariæ*, Georgium Saxoniæ, Ericum & Henricum Brunſuicenſes Principes ſanctiore fœdere, quod Smalcaldico in annos XI. duraturum opponeretur, colligavit. Id Norimbergæ ictum, reique militaris imperium Ludovico *Bojo*, & Henrico Brunſuicenſi delatum. Exiliorem, quàm cauſa tempúsque requirebant, numerum Georgius Saxo & Salisburgenſis, intra bieñium mortui, magis etiam imminuerunt; etſi enim Antiſtitis jactura ſucceſſione Erneſti Principũ noſtrorum fratris egregiè ſarta eſt, Georgius tamen hæredem, quem minimè vellet, id eſt, alieniſſimum à pietate eſt nactus. Anno XLI. cœptum Wormatiæ de Religionis diſſidiis tollendis colloquium, Ratisbonam translatum eſt, plus damni quàm commodi allaturum Rei Chriſtianæ, niſi Eckhius Theologus, quâ felicitate cum efferatioribus antehac feris congreſſus fuerat, Buceri tum maximè vulpinantis Sinonias fraudes, Groppero & Pflugio non ſatis animadverſas, deprehendiſſet, & malè nati Li-

bri, qui Cæſari pro ſano venditatus,& tantùm non pro Amuſſi ſanciendæ Concordiæ receptus fuerat,fœdiſſimos nævos velut amphibii monſtri, quod neutra pars pro ſuo agnoſceret,detexiſſet; libro etiam ſuper ea re edito pleno veriſſimis noſtrorum Principum laudibus, ad quas, eo ipſo conventu,ex Heroica *VVilhelmi* Ducis Proteſtatione æquali bonorum plauſu excepta fremitúque malorum,ingens facta eſt acceſſio; cùm pridie Kal. Julii *Corde conſtantiſſimo & liberrima voce* (Leibii elogium eſt, qui rebus geſtis præſens hoc vnico dicto, vti verè memoriâ dignisſimum eſt, ejus Anni faſtos inſignivit) profeſſus eſt, *Catholicam ſibi fidem fuiſſe, eſſe, fore vitâ chariorem*, neque ſe vllius periculi denunciatione, aut ipſius adeò Mortis metu ab *Hac ſacra anchora* avellendum; qua voce cùm capaces Chriſtiani ardoris animos mirificè inflammâſſet,communi ſententia infelix ille Commentarius repudiatus; quámque de ſummis rebus decernendi licentiam Sectarii Pontificiæ auctori-

tatis contemptores ſibi arrogârant, iisdem frementibus eſt extorta. Primi, durantibus Ratisbonæ Comitiis, è Decemviris, qui *Societatem JESU* Duce *Ignatio Lojola* conflârunt, *Petrus Faber* & *Claudius Jajus* in *Boica* pedem poſuere, veluti locum caſtris capturi, è quibus ſecuturi Commilitones ad expugnandam Impietatem prodirent, tantò opportunius Religioni laboranti ſubſidium, quantò conjuratorum hoſtium, quàm propugnatorum major quotidie proventus fuit. Proximo à Ratisbonenſibus Comitiis anno, Otto Henricus Bojar. Dux & Comes Palat. Rheni ſe pariter & continentem Boicæ Principatum Neoburgicum Hæreſi corrumpendum permiſit: Altero verò Joannes Eckhius plurium ferè palmarum quàm annorum Pugil (neque enim quinquageſimum quintum exceſſerat) vivendi vincendique finem fecit, Theologorum ſui temporis Phœnix & Miraculum, Hæreticorum Malleus, & expugnator Hydræ Hercules, non minùs verè quàm magnifi-

gnificè Academicis Teſtimoniis appellatus. Rem quidem *Boicam* & curas Principis ſanctiores *Duobus Eckhijs* Joanne & Leonardo, veluti fulcris nixas in confeſſo eſt. Succeſſorem Joanni non imparem eodem anno Deus *Claudium Jajum*, dedit, jam egregiis cum Hæreſi congreſſibus nobilitatum, Ratisbonæ præſertim, vbi Danubii prærupta minitantibus, qui opprimere aliter ſacrum illud os deſperabant, venuſtè reſpondit, etiam *Natatu Cœli portum obtineri.* Ei ſe vrbi jam ruptis obicibus hæreſis ſuperfuderat, multò vt major contagionis metus eſſet, vitiato hoc *Bojariæ* vmbilico, quàm cùm vltimum ejus limbum, Auguſtam, lues invaſiſſet. *Wilhelmus* proinde periculi certus, propoſitâ confeſtim capitis pœnâ, ſuis aditu vrbis interdixit, idque edictum vt inhumanum, & ab irritabili ſecta bello vindicandum accuſantibus, vocem in Aulis raro auditam repoſuit, *Tolerabiliorem eſſe Patriæ Perditæ, quàm Luthero Proditæ jacturam. Vitam ipſam ante Fidem ereptum iri.* Quod

vnum Chriſtiani Principis Apophtegma quis non omnibus triumphis præferat, imò Poſteritatis Triumphos illius eſſe præmium agnoſcat? Eliſa eſt impietas hac *VVilhelmi* voce; dúmq; eandem Filius, Nepos, Pronepos, Abnepósque vt Gentilitiam & propriam pari omnes magnanimitate vſurpant, Sacrum *Bojorum Leonum* Rugitum nulla hucusque Inferorum Monſtra tulerunt. Sed ejus ęvi ſingularis felicitas fuit, quòd ſacrum pariter & civile imperium penes *Bojos* fratres eſſet, neque minus Erneſti Archiepiſcopi Salisburgenſis Paſtorali Pedo, quàm Gladio *VVilhelmi*, hæreſis percelleretur, & ille quidem anno XLIV. in ſacris Comitiis, cùm alia multa ſaluberrima ex privatis & familiaribus Claudii Jaii oraculis, quę etiam calamo excipere eſt ſolitus, conſtituit, tum illud quoque ei recepit, neque ſuo, neque Epiſcoporum ſuorum nomine, quidquam injuſſu Romani Pontificis de Religione in conventibus civilibus actum iri; cujus promiſſi minor fortaſſe hodie ſplendor

dor eſt, quàm olim fuerit vſus; cùm ſectarii toti in eo eſſent, vt Pontificis eliſa auctoritate, & Chriſtiani Orbis conſenſu inſuper habito, ipſi ſeſe vindices, & ſolam Germaniam arbitram controverſiarum omnium conſtituerent. iis proinde, vt veſpertilionibus lucem fugitantibus, nihil accidere potuit acerbius, quàm ex caveis ſuis extrahi ad ſolem, & clancularios litigatores ad tribunal publicum, quale Tridenti Pontifex collocârat, cum lacera & tot præjudiciis damnata cauſa ablegari. Nihilominus quinto etiam ſextóque anno Wormatiæ & Ratisbonæ ſua deliramenta referentibus theatrum eſt datum, nimiâ ferè patientiâ Cæſaris omnia malentis, quàm ferrea illa ora, quod denique faciendum neceſſariò fuit, ferro contundere. Jam pridem Hęreſis mendaciis operta magis, quàm tuta ad arma proſilierat, ignobilibus diu contenta Ducibus, donec Saxo Haſsúsque majora nomina Smalcaldici fœderis ſigna ſpecioſioribus titulis extulere; quibus Henricus Brunſuicenſis

fide quàm vita melior primus oppreſſus eſt. Anno XLII. Haſſus imparatum adortus, cum Carolo Victore filiorum maximo fugere ad *Bojos* Fratres compulit; quorum literæ in Arce Wolffenbutelia repertæ, cordatiúsque quàm fidei hoſtes vellent, pro Religione loquentes, ſiniſtris interpretibus latum deinde cavillandi campum præbuere. *Boÿ* amicum exulem non aſpernati, cùm pro ejus reſtitutione in Ratisbonenſibus Comitiis fruſtra laborâſſent, alteram operam pro ejus agro, quoad de cauſa legitimè cognitum eſſet, ſequeſtri tutelæ tradendo, non omnino perdiderunt; cùm in eandem ſententiam Spiræ denique Cæſar decretum fecerit; in quo tamen Brunſuicenſis ipſe non acquievit, ſed ſuo Marte ad recuperanda amiſſa grasſatus, deſtituente inconſultam audaciam Fortuna, eodem tempore libertate, quo Ludovicus noſter *Wilhelmi* Fr. vitâ exutus eſt; quem ſuper cętera decora etiam cęlibis thori continentia vt charum fratri reddidit, ita poſteritati, de

qua

qua novo more bene mereri inſtitit, admirabilem faciet. Proximo ab Optimi Principis funere anno, impiis Lutheri Manibus multo Germaniæ ſanguine parentatum eſt, cujus ipſe multò veriùs, quàm Papæ, Peſtis erat vivus, & Mors audiet mortuus. Simul ac funeſtus hic Cometes minari Cœlo terríſque deſiit, Scholaſticæ rixæ, clamoſiùs quàm vtiliùs pluribus annis vrbibúſque repetitæ, in bellum vulgò Smalcaldicum dictum deſiere; quo, ſi maledicta Lutheri Diræque valuiſſent, prima involvi *Boica* debuit, provinciarum omnium multis ei nominibus inviſiſſima, neque locum tantùm caſtris datura, ſed conſtantiam repudiati quinti Evangelii deſtinatis à Pſeudo-propheta ſuppliciis expiatura. Sed aliorſum omnia recidêre, irritóſque conatus explodente Ingolſtadiana *Ficu*, medius Impietati digitus oſtenſus eſt. Ingolſtadium *Wilhelmus* Anno XXXVIII. Numinis haud dubiè impulſu, vallo foſsíſque complexus, in eam, quam hodie inter Germaniæ vrbes obti-

net, celebritatem adduxerat, Alberto Filio, qui ſtudiorum gratiâ per id tempus illic verſabatur, primum in fundamenta lapidem demittente. Locum Cæſari pariter Sectariiſque fœderatis opportunum, & vtriſque exambitum, *Wilhelmus*, vti par erat, Cæſari aperuit, fœderatiſque eo ſecum nomine expoſtulantibus, útque vel Cæſaris præſidium inde eijceret, vel ſuum ęquo numero reciperet, petentibus, ſub finem Augusti reſcripſit, in eorum gratiam Cæſarem ſe tanto fortiorem inimicum capere non poſſe, neque facto eo commeruiſſe, vt quibus ipſe non nocuerit, ab iis hoſtis habeatur. Cæſar etſi de *Wilhelmi* voluntate non dubitabat, ad eundem tamen novo ſibi pignore arctiùs devinciendum, Annam Ferdinandi Fr. ſui Filiam Filio ejus Alberto, in Aurei Velleris Societatem allecto, deſpondit, nuptiáſque jam ſtrepentibus armis, lituiſque claſſicum pro hymenæo cantantibus, celebravit, ominoſas ſine dubio præſagáſque altæ pacis ſub eo Principe,

cipe, qui inter illa nubila lætas ſerenáſque *Bojariæ* ferias feciſſet. Iis exactis Cæſar Ratisbonâ Landishutum profectus, in paucis diebus Italicis illic copiis auctus eſt, cùm ſolam eousq; Fortunam ferè in comitatu habuiſſet, opprimendus ſine dubio ab hoſtibus, niſi Deus conſilia, quæ Schertelius aptiſſima dabat, corrupiſſet, victoriámque in celeritate ſitam inertibus negâſſet. Dum pugnantibus ſententiis Ratisbonam alii, alii Landishutum ſibi deſtinant, Cæſar jam confirmatus feros captatores vtraque ſpe excluſit. Ingolſtadium dedi poſtulantibus Nobilitas *Boica*, quæ illud Patriæ Propugnaculum cum Petro Guſmanno tuebatur, reſponſum ſua virtute locóque dignum reddidit. Præſidiarii etiam navali ponte Danubium transportatos carpere auſi, impedimentorum parte exuerunt. Aliquouſque in Nortgojam progreſſos Cæſar Ingolſtadium cum vniverſis copiis profectus eódem retraxit. Quæ illic ad memoriam inſignia geſta ſunt, ita ſibi Cæſar vendi-

cat,

eat,vt tamen in partem gloriæ etiam vrbs veniat, è cujus ſumma turri & obverſis hoſti propugnaculis aſſiduè fulminatum eſt, multò majore clade, quàm viciſſim eſt accepta; cùm ſatis conſtet, bis mille ſeptingentis ſexaginta quinque globis ferreis in vrbem & caſtra jactis, vix centum mortales extinctos; & intra vrbem quidem omnino neminem. Globum vnum non leviorem triginta ſex pondo Maximilianus Auſtrius, qui poſtea imperavit, ſuo tentorio, dum armatur, illapſum ſorori Annæ, quam Alberto nuptam diximus, dono miſit, gratularíque felicitati ejuſce diei juſſit, quem ſignare ſibi tali calculo licuiſſet. Smalcaldici contrà iniqua omnia experti, quódq; triſtiſſimum eſt victis, ſolo numero ſuperiores, pridie Nonas Sept. motis de nocte caſtris Neoburgum primùm, tum Danuwerdam, & denique in Rætiam profecti, magno onere metúque *Boicam* liberârunt. Cæſar eouſque moratus, quoad Buranus ſecum jungeretur, optimæ cau-

cauſę, quæque illi debebatur, Fortunæ à Danubio vltra Albim inſtitit, réſque nullis explicandas Annalibus tribus complexus verbis cœlo tranſcripſit; *Se veniſſe, vidiſséque; Chriſtum viciſſe* profeſſus. *VVilhelmus* navatæ fideliſſimæ operæ & ingentium, quos fecerat, ſumptuum, quem maximè debuit, fructum non tulit, ſpe referendæ in domum familiámque ſuam Septemviralis dignitatis dejectus. Fridericus Palatinus, penes quem ea hærebat, ipſe quoque Smalcaldicum fœdus amplexus CD. Equites in Cæſarem armârat perduellionis manifeſtus, cujus tamen Halæ Suevorum gratia ſupplici facta eſt, majore clementiæ quàm æquitatis commendatione; cùm exauthorato Saxone, traslatóque in Mauritium ejus agnatum ſuffragii Jure, non modò cauſa vtrobique eadem, ſed Religionis inſuper tam bellâ occaſione firmandæ ſtudium ad reponendam in Vetera jura Tenacem Veteris Fidei Domum, excitare Cæſarem debuit.

buiſſent. Inaugurationi Mauritii Auguſtę Anno XLVIII. XXIV. Feb: ipſo Cęſaris Natali, peractę Albertus *VVilhelmi* F. honoris causâ interfuit, quiſque pompæ illius mos eſt, Cæſarem pro nobili Candidato prenſavit. Iiſdem Comitiis Leonardus Eckhius in ampliſſimo Cęſaris Principúmque conſeſſu Septemviralem dignitatem, contra jus & fas ereptam *Boÿs*, luculenta oratione repetiit, rebúsque neceſſariis omnibus palàm fecit, neque iniqua Caroli IV. odia, bullatásque auro leges, quibus Ludovici Cæſaris poſteritas circumventa ſit, neque præſcriptionem temporis, neq; malè vſurpati juris violentiam fraudi eſſe debere injuriam paſſis; id quod Anno XXIV. elapſo Fridericus Palatinus ſuo Fratriſque Ludovici Electoris eo tempore ſuperſtitis nomine, cum Ottone Henrico & Philippo Neoburgicis, itémque *VVilhelmo* & Ludovico fratribus Norimbergæ congreſſus agnoverit; cùm rebus omnibus ritè expenſis

rede-

redeundum ad Ludovici Cæſaris *Papienſem Sententiam*, ſtandúmque pactis conventis, vtrique tum familiæ probatis, cenſuerit, Fœderis inter Principes cognatos tunc icti hanc velut ſupremam legem & Amuſſim amplexus. Cæſar Eckhium dicentem benevolè audivit, ejúsque orationis dari ſibi exemplum petiit, à ferenda nihilominus ſententia, quæ priorem reſcinderet, pudore magis quàm judicio retractus. Ne nihil *VVilhelmo* dediſſe argueretur, Auguſtanos, ob dejectos Lyci pontes, quæque alia bello Smalcaldico per vim fecerant, injuriarum ab eo poſtulatos, gratiam Principis inductis veteribus nominibus, & aureorum millibus quadraginta præſentariis redimere coëgit. Superavit tamen in *VVilhelmo* & locupletandi ærarii & vindicandæ per injuriam amiſſæ dignitatis honeſtiſſimas curas amplificandę ſtudium Religionis; quod cùm in eo perpetuò arſiſſet, multò tamen ſub vitæ finem fuit flagrantius. Eapropter

&

& ad Paulum III. Pont. M. & Alexandrum Farneſium, & Conditorem Societatis IGNATIVM ſcriptis accuratiſſimè literis, miſsóque, cujus eloquentię plurimum tribuebat Cancellario Eckhio, vt ſibi & Academię ſuę Claudius Jajus, in quo vno multorum inſtar eſſe magis ex vbertate collecti fructus, quàm locatę diuturnitate operæ didicerat, cum duobus ejuſdem exempli viris redderetur, impetravit. Ii fuere Alfonſus Salmeron & Petrus Caniſius ſuo vterque nomine orbi notiſſimus, & poſterior quidem ab ipſis lupis os illius non ferentibus *Canis Auſtriacus*, imò & *Boicus* dictus; cùm in vtraque Provincia idem faceret, quod DD. olim Bernardo & Dominico ſub Canum effigie divinitus oſtenſis feciſſe gloriæ fuit. Adventantes Anno XLIX. Optimus Dux velut cœlo lapſos *charis amplexibus & ſummi amoris exceptos indicijs* Ingolſtadium miſit, primúsque omnium Germaniæ Principum de condendo Societatis JESV Collegio cogitati-

tationem ſuſcepit; quæ tamen morte e-
jus ſufflaminata inter vltima vota ad hę-
redem tranſiit. Ex operibus illius pu-
blicis Aquæductus Halenſis non minus
perpetuam admirationem habebit, quàm
vtilitatem. Salis illic copioſiſſimæ ſca-
tebræ dulcium vicinitate ingratáque
mixtura fontium periclitabantur. Eos
*Wilhelmus* per Aquileges ſumma indu-
ſtria ſeductos contractósque, in vnum
alveum per cuniculum ſubterraneum
quadrato lapide concameratum, ſtu-
pendo auſu æmulationéque Romanæ
magnificentiæ, absque vllo vrbis ſuper-
ſtantis incommodo, rapidè fluentes pa-
tientésque cymbæ ab injuria divino mu-
neri inferenda avertit; vt qui Fidem Pie-
tatémque difficillimis temporibus ſar-
tam tectam ſervavit, inſtaurati etiam
nobiliſſimi condimenti, ſine quo vita
humána nequit degere, vtilitatibus po-
ſteros bearet, proximo poſt D. Ruper-
tum loco memorandus, qui importata
in *Boicam* Fide, Salis ſcaturigines vel a-
peruiſſe primus, vel etiam impetrâſſe

creditur. Deceſſit *Wilhelmus* eodem, quo Divus iſte menſe, pridie Non. Martii; anno L. qui idem Jubilæus fuit, paucis ante Leonardum Eckhium diebus; quo Viro cùm ita familiariter vſus eſſet, vt vitam ſine illo acerbam ſibi futuram non diffiteretur; Deus neque mortuo ſuaviſſimæ animæ comitatum contuberniúmque negandum putavit. *Wilhelmus* Majorum ſuorum monumento in Mariano illatus eſt; quorum conſortium, Matre etiamnum ſuperſtite, memorabili pietatis exemplo ambierat. cùm enim contagionis formidine ſepulchra duo publica condi placuiſſet, vetuiſsétque Pontifex, quemquam, donec vis mali deſęviſſet, alibi condi, *Wilhelmus* pro ſe Fratribúsque & Optima Matre ſupplicandum Pontifici putavit, vt ab ea lege eximios vellet, ſi quid humanitus ſibi ſuorúmve vlli contigiſſet. Pręter Albertum nobiliſſimi ſtemmatis propagatorem, Theodonem, Wilhelmum & Mechtildem ſuſtulit. hæc Philiberto Badenſi nupſit; Filii brevis ævi fuere; quorum

deſi-

deſiderium *Wilhelmus* Nepos lenit, cujus jam Bimuli amplectendi, & omnia ſua Majorúmque decora in illo compendio recognoſcendi facultatem Numen Avo indulſit.

# ALBERTUS MAGNANIMVS WILHELMI CONSTANTIS F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMUS OCTAVVS.

*Dicere ſi poſſent, qualem novere Leones,*
*Præco,* Alberte, *tuus geſtiat eſſe* Leo;
*Ille* Leo, *qui Rex nuper Ductórque Ferarum*
*Jam mavult Magni Principis ire comes,*
*Alcidénque ſuum pedibus ſubſtratus adorat,*
*Nunquam auſus Domini de gravitate queri.*
*Qui Majeſtatis genio cicuratus herilis*
*Vix rugit; non eſt dente, nec ungue nocens;*
*Dum ſubit impavidæ Mentis reverentia, Cælo*
*Quæ nihil una timet ſtante; ruente nihil.*
*Cui ſoli, ſupra ſeſe niſi Numen haberet,*
*Humani flueret neſcia vita metus.*

A*Lbertum* Atavum Tuum tibi ſiſtimus, *Maximiliane Emanuel*, id eſt, commune Domicilium & quoddam veluti Panthéon Regiarum Virtutum omnium; quarum reliquæ ſtationem in animo habent; *Majeſtas* & *Amor*, quibus rarò bene convenit, Frontem


ALBERTVS MONARCHA D. BO. LVIII. OB.
IMPAVIDVM FERIENT RVINÆ

Magni Herois, Templi ſcilicet veſtibulum, mirabiliter inter ſe concordia, diviſere. Nemo illum vel pictum ſine veneratione vidit; & Turcarum Imperator cùm Germaniæ Principum vultus ære deſcriptos inſpiceret, *Alberti* Frontem verè Auguſtam dignámque Imperio pronunciavit. plus nihilominus, quam vultus promitteret, egregiis factis, quæ viva animi imago ſunt, præſtitit; quorum admiratione moti Septemviri Rerum illum Faſtigio deſtinarunt, niſi paratis ſuffragiis ejus modeſtia obnunciaſſet. Agnoviſſe illum etiam Belluæ viſæ, Belluarúmque Rex Leo aſſiduus noſtri Herculis comes non mulceri tantùm herili manu ſuſtinuit, ſed omnem *Alberti* pedibus feritatem ſubſtravit. Illa denique, quæ ſola omnium ferarum nunquam cicuratur, *Hæreſis* expavit ad *Alberti* Nomen, & impunè per reliquam vagata Germaniã, in illius provinciam nunquã niſi furtim irrepſit, nuſquã pejus accepta eſt. Omnia auſa, omnia conata, neque Pietatem eripere *Bojariæ*

 potuit,

potuit, neque, qui proximus illius labor eſt, importare bellum, oleámque de Pacifici Principis vertice detrahere; vt non immeritò ſuam *Bojariæ* felicitatem gratulatus egregius Poëta Philippus Menzelius cecinerit

*licet undique circum*
*Terribiles Lituiq; & Tympana tenta tonarent,*
*Sanguineúmque manu quatiens Mars impius enſem*
*Per media exigeret Germana viſcera gentis;*
*Alta Pace fruens, alieni,* Boja, *pericli*
*Spectatrix tantùm, nunquam pars ulla fuiſti.*

Pacatam lætiſſimo Smalcaldicæ tempeſtatis fine Germaniam Anno MDLII. ille ipſe, qui Victoriæ vberrimos fructus ceperat, Mauritius Saxo & Albertus Brandeburgicus Gallo fœderati concuſſere. Religionis nuper natę & Germanicæ Libertatis, cui Cęſar jugum impoſuerit, ſed Philippi Haſſi potiſſimùm adhuc vincti vindices credi volebant, fortaſſe ad arma non proceſſuri, ſi Principum precibus, quibuſcum etiam *Alber-*

*tus*

*tus* noſter ſupplicaverat, captivum ſuum Cæſar condonáſſet. Exulcerati repulsâ, nihil ſibi concedentis, reverentiam exuerunt. Jam volitabant per Germaniam nuper devota Cæſari, nunc in illius exitium jurata ſigna; cùm, *Alberto* annitente, mitigandi Mauritii partes Ferdinandus Caroli Cæſaris Frat. ſuſcepit, invitatúmque Lincium ad Colloquium, cui etiam *Albertus* interfuit, ita placavit, vt ne ipſe quidem belli jam cauſam probabilem inveniret. Regreſſus ad exarmandos, vti ſpes erat, ſocios, immemor propoſiti Alpes adoritur, occupatísque, per quas in Tirolim penetratur, Faucibus, & nominatiſsima Arce Ehrenberga nullo negotio in poteſtatem adductâ, Cęſarem nihil jam hoſtile ſuſpectantem Oeniponti tantùm non oppreſsit. Sed hæ quoque injuriæ tempori magis quàm auctoribus ſuis condonatæ, & Paſſavienſibus Tabulis obliteratæ ſunt. Arma inauſpicatò ſumpta in Turcam primùm, & ſequenti anno in Brandeburgicum nuper ſocium, jam

 ho-

hoſtẽ verſa ſunt: quibus victoria Mauritio parta, ſed pariter vita erepta eſt. Omnia egerat *Albertus* noſter, vt à Germaniæ jugulo Germanicum ferrum revocaret, Haidelbergam eâ gratiâ profectus, vt Brandeburgico inſaniam ipſe per ſe ſuóſque, quos Francofurtum deinde miſit, Legatos excuteret; ſi vel ille moderatis ſanari conſiliis, aut expiari prioris belli iniquitas aliter potuiſſet, quàm duobus illius concitatoribus ita inter ſe commiſſis, vt alter vitam, alter exercitum amitteret. Ab irrita pacificatione Principum ad Comitum Oettingenſium finiendas lites Laugingam profectus, neque Patrem cum filiis, neque fratres reducere in gratiam potuit; adeò infirma ſunt naturę & ſanguinis jura, ruptis ſanctioribus vinculis, quibus Deo adnectimur. Ludovicus Pater cum Filio cognomine ad Sectarios transgreſſus, & jam inde à Bello Smalcaldico proſcriptus, impetratâ perduellionis gratiâ induci non potuit, vt Friderico & Wolfgango FF: ignoſceret, in quibus præter con-

conſtantem in Deum & Cæſarem fidem meritò nihil poterat odiſſe. Annus quinquageſimus quintus Pacificatis Religionis Catholicæ & Auguſtanæ Confeſſionis ſectatoribus famoſus eſt. *Albertus* rebus geſtis præſens, eodem anno fundandi pro Societate JESU Ingolſtadienſis Collegii curas reſumpſit, & Petrum Caniſium Pragâ accitum cum tribus Conſiliariis ſuis eò miſit, qui meditata perficerent, ſimúlque de erigendo Theologorum ſeminario conſilia conferrent. *Ignatius* rebus omnibus ad deducendam eò Coloniam maturis, octodecim Socios, VI. Id. Junii anno ſequenti, in *Boicam* ire juſſit, eâdem operâ Principis animo obſecutus, ejusdémque nomini conſulturus, de cujus gloria poſt Auguſtana Comitia multum mendax fama detriverat; ad quam vanitatis convincendam nihil horum hominum evocatione fieri opportunius potuit, quos niſi optimè erga Catholicam fidem animatus Princeps nunquam erat ad ſe invitaturus. Illico bonum odorem ex hac

profectione in Alma vrbe ſparſum *Ignatius* ad *Albertum* ejúsque Secretarium Henricum Suicardum ſcripſit, non ſine Bonis ominibus, quę Poſteritas pro Oraculis habet, fovétque in ſpem egregiorum fructuum, quos ex eo Collegio velut ſemine proventuros Sanctus ille Vir, vno antequam Cœlum ſubiret menſe prædixit. Julio, quo *Ignatius* deceſſit, in Collegium vetus, Academiæ publicæ partem, novi Incolæ immigârunt; quo pariter tempore Ratisbonenſibus Comitiis initium eſt datum, quibus *Albertus* Ferdinandi Regis nomine, ob motus Tranſylvaniæ abſentis, cum ſumma poteſtate pręfuit, déque Jugo Turcico cervicibus Germaniæ imminente junctis manibus frangendo; de conſtituendo ditandóque ęrario publico, ejúsque adminiſtratione certis Quæſtoribus demandanda, cordatiſſimè egit. neque omiſſa Religionis cauſa ſanctior, monitíque Patres, de illa in priſtinum nitorem, damnato Factionum ſtudio, revocanda, diſſipandíſque, quæ hunc Veritatis

tatis Solem obduxiſſent, nubibus. Vltimum caput de adulterinæ Monetæ corruptelis majore ſeveritate coërcendis fuit. In earum rerum tractatione reliquũ illius anni conſumptum; neque ante Tertiũ quinquageſimi ſeptimi menſem comitia ſoluta ſunt. Eodem tempore Tranquillitati Patriæ novo Fœdere conſultum, quod cum Salisburgenſi, Ratisbonenſi, Paſſavienſi, Friſingenſi, Aichſtettenſi Epiſcopis & Cardinali Auguſtano, de ferendis mutuò adverſus quemcunque hoſtem auxiliis Landſpergæ ictum, ab ea Vrbe nomen tulit, & paulò pòſt Würceburgii & Bambergenſis Epiſcoporum, itémque Auguſtanæ & Norimbergenſis Rerumpublicarum acceſſione aliiſque ſubinde incrementis auctum, bonos erexit, & improborum violentiæ frenum injecit. Sed hæc ſcilicet Providi Principis cura propria fuit. illam quo nomine afficiemus, qua in extirpando Impietatis lolio perpetuò eſt vſus? ſui ille muneris credidit, extimulare Ingolſtadienſes Theologos, vt ſola

Do-

Doctrinæ Luce non contenti, Faces etiam auditorum ſuorum animis admoverent, conarentúrque non modò ingeniorum ruditatem, ſed pravitatem etiam mentium corrigere; pollicitus vtraque culturâ expolitis Principalis munificentiæ ornamenta, ſe quidem vivo, nunquam defutura. Adjectum erat illi Epiſtolæ imperium plenum humanitatis, de Sacerdotibus ob pietatem loco pulſis benignè fovendis; ne quis dubitare vnquam poſſit, *Boicam* Aſylum eſſe exulantis Virtutis, imò patriam alibi malè habitæ Religionis. Excitatus deinde Collegii Ingolſtadienſis feliciſſimis laboribus, cupidúsque ſimilis ex Agro Monacenſi meſſis, Societatem JESV in eam quoque Vrbem Anno LIX. Henrico Suicardo Secretario, Simone Eckhio Cancellario, & Wiguleo Hundio, ingenii ſui monumentis notiſſimo Viro, ſponte incitatum vrgentibus, introduxit, factáque de primi anni experimentis conjecturâ, datis ad Jacobum Lainium Societatis Prępoſitum Generalem literis *re-*

*naſcen-*

*naſcentis primitivæ Eccleſiæ faciem* ab iis ſibi initiis auſus eſt polliceri: illi vero gratulatus ex animo eſt *Talium filiorum Parenti, in quibus reviviſcentis Religionis, extirpandarúmque Hæreſûm una firmiſſimáque ſpes conſiſtat.* Ejus anni menſis vltimus Erneſto Alberti Patruo fatalis fuit, laudatiſſimo Principi, & Religionis in *Boica* ſuſtentatæ vivæ Columnæ. Politiorum literarum Magiſtro Aventino vſus, etiam in Mathematicorum arcana penetravit; à Jaſone verò Mayno JusCivile didicit. Metallicarum rerum notitiâ omnes Germaniæ Principes ſuperavit. Peregrinationis ſtudio in Joannis Malentini, qui poſtea Secovienſis Epiſcopus fuit, comitatu diu ignotus latuit. Paſſavienſi Epiſcopatui annos XXIII, Salisburgenſi XV. prefuit, & vtrumque bene ditatum reliquit. Incredibilis in eo laboris patientia fuit, cupiditáſque de omnibus bene merendi. Pauperum voces Claſſicum eſſe Principum intelligens, patere iis vtramque ſemper aurem voluit: hominem libellúmve ſupplicem nul-

nullum repudiavit, nullum neglexit
Oſor pomparum luxúſque libentiùs vi
tutibus ſuis, quàm Satellitibus ſtipat
prodiit; Frugalitatis & parſimoniæ v
ctigalibus contentus, ab ingratis dit
ſcendi compendiis facilè abſtinuit. T
bicinem non niſi vnum aluit; quem
ipſum raro foris, domi numquam au
diit; ſuaviùs affici doctorum hominu
colloquio, quàm quovis concentu ſol
tus. Eraſmum Roterodamum, cuj
magnum ea tempeſtate in literis nome
fuit, ampliſſimis propoſitis ſtipendiis I
golſtadium invitavit, pro re magna ha
biturus (vti Principis juſſu Vrbanu
Rhegius eo tempore vel Bonus, v
nondum apertè Malus ad eum ſcripſi
copiam Viri eruditi *videndi amplexand*
*que*. Sancta ſanctè caſtéque tractari vo
luit. Sacerdotum inceſtos amores ſ
veriſsimâ Cenſurâ damnavit. Vlt
mum Sexennium, abdicatâ Mitrâ, in
Comitatu Glacenſi, quem ad Sylvam Bo
hemicam de ſuo emerat, privatus exe
git, à Morte Monachium revectus. Ha
res

res in Comitatu *Albertus* ei ſucceſſit, fruſtra à Chriſtophoro Wirttenbergico Sorore Erneſti genito impugnatus. Sexageſimo ſecundo Anno *Albertus* Legatum ad Concilium Tridentinum Albertum Baumgarttnerum cum Joanne Covillonio Soc. Jesu, cujus enarrationes in Pſalmos *Alberto* inſcriptas vidimus, miſit. quorum prior XXVII. Junii in Patrum Conſeſſu orationem luculentam habuit de Remediis Reip. Chriſtianæ admovendis; quam vti vitiatam nemo diffitebatur, ita de eadem ad primævam integritatem reducenda, quod in corporis etiam morbis fit, non eadem medentium erat ſententia. Pluribus non malis illis quidem, ſed tempori nimiùm ancillantibus, præpoſtera videbatur vlcerum, quæ Fidei candorem inquinaverant, tractatio, in tanta fœditate morum; qui ſi in Eccleſiaſtico ordine, id eſt, in ipſo Chriſtiani corporis vultu perniciosa diſſimulatione diutius ferrentur foverentúrque, non exiſtimabant illi, probabilem cuiquam eorum doctri-

nam

nam fore, quorum tam deteſtabilis eſſet vita. Revocata ſanctitate, ilicet Hæreſi velut Viperæ defutura ſua arma, quæ præter maledicentiam nulla habeat. Porrò inter Sacerdotum nævos cùm Libido turpiſſimè emineret, déque Tribu ſacra tota ad Cælibis vitæ caſtimoniam ab inconceſſis amoribus transferenda deſperaretur; coërcendam honeſtate Conjugii incontinentiam cenſebant, quæ frenari ſeverioribus legibus non ſuſtineret. Populo denique jam Sirenum vocibus excantato & inſanienti, eripi fortaſſe cætera deliramenta poſſe, ſi in divinorum vſu Myſteriorum Libandi *Calicis* poteſtas fieret: nihil Bibentes non exiſtimare Chriſtiano ſe ritu cœnaſſe. Hic ea tempeſtate non vulgi tantùm, ſed etiam ſupra vulgus ſapientium ſenſus fuit; perſonabátque hęc ſcita tuentium vocibus Cæſaris pariter & *Alberti* Aula; vt Caniſius noſter, qui vnus propemodum contra niti eſt auſus, conjuratorum ſi non auctoritate, at certè numero obrueretur. Obtineri

riquidem non potuit, quominus vtriuſque Legati de tribus his capitibus ad Concilium referrent, eâ tamen modeſtiâ, vt Oratorem ſuum *Albertus* conceptis verbis profiteri juſſerit, *Principem ſuum hæc gravamina eo animo non proponere ſacro Concilio, quaſi præjudicium aliquod afferre, aut judicium auferre velit; cùm non ignoret, quid poſtulet officium Secularis Chriſtiani Principis; quem deceat obedientem Apoſtolicæ Sedis Filium, & non Judicem controverſæ Religionis in Concilio exhibere. Proinde cùm hæc talis ſuſpicio procùl à Perſona Illuſtriſſima S. Celſitudinis ſubmota ſit, tamen illum non dedecere ſe arbitrari, ſi ſaltem id, quod hiſce malis remedij ſalutariter adhiberi poſſe videatur, familiariter & quaſi conſulendi gratiâ, ſacro Concilio inſinuet.* Patribus Legatio ſtudiúmque Optimi Principis jucundiſſima accidêre; actæque ei nomine publico ampliſſimę gratiæ, plenæ laudum illius, quæ ſanè in nobiliore Theatro cantari non potuere; earum hic particulam reddo. *Inter cæteros, à quibus omnia Pietatis officia S Syno-*

*dus exſpectanda ſemper exiſtimavit, Excellentiſſimus Illuſtriſſimus* D. Albertus Bavariæ Dux *extitit, qui veram & Catholicam Religionem, à Clariſſimis & Nobiliſſimis Majoribus ſui traditam, tanta fide & conſtantia conſervavit, ut hiſce miſeris temporibus, in Germania* Frimiſſimum Apoſtolicæ Eccleſię Propugnaculum *jure optimo habendus ſit.* Nihil ſupra merita ei tributū; res loquitur. Pleriſque Munimentis Avitæ Pietatis ruentibus vel inclinatis, hoc *Propugnaculum* ſtetit; vt Caniſius noſter *Bojariæ Tiroliſque* gratulatus conſtantiam, cum Juda & Benjamin Tribubus eas comparârit, quæ ſolæ non reliquerint Dominum. Quam *Albertus* gloriam vt intaminatam ſervaret, ne in Calice quidem invitis Concilii Patribus extorquendo, quod ab aliis factum eſt, inſtandum ſibi impotentiùs putavit. imò verò cùm Pius IV. Pontifex Max: biennio pôſt à Ferdinando Cæſare perſuaſus, Religionis in Germania ruinam, communicato cum Plebe Calice, ſiſti poſſe, illius propinandi facultatem Epiſco-

piſcopis nonnullis impertiiſſet, eam *Albertus* Indulgentiam, jam à priore ſententia deductus, publici juris fieri non eſt paſſus; & hoc ipſo adornatæ Legationis Tridentinæ anno, moleſtos rogatores, armatásq; pro Calice pugnas veriùs quàm preces ſolâ Majeſtatis Pontificiæ reverentiâ compeſcuit; eodémque Nobiliſſimum Virum & primi inter ſuos nominis, quòd Hæreſin oleret, faceſſere aulâ juſſit. ſpecioſa officia & nobilitatis phaleras nihilo pluris eſſe ſibi ſignificans, quàm puerorum crepundia & caſſas nucleo nuces; vt cui certum ratúmque eſſet, nemini fidere, qui datam Deo fidem fefelliſſet. dubiis etiam & ſuſpectis imminens, eorúmque ſtudia ex arcano primùm, tum deinde manifeſtis experimentis periclitatus, Magiſtratus omnes publicóve munere inſignes ſacramento adegit, Romanam ſe fidem Germano candore culturos; quem cùm in Vrbis cujusdam Senatu deſideraret, vinciri totum juſsit, ſeveriùs etiam animadverſurus in contumaces, niſi popularis

indicia tumultûs vindictam ſuſpendiſſent. Longiùs progreſſa eſt Nobilitatis factio Amore Hæreſis in odium Principis concitatę. Viri ſummo in *Boica* loco nati, & proximi rerum faſtigio, perculſi triſtibus exemplis, quæ in Sectam, cui foris nomen dederant, domi edebantur, ad eandem firmandam, cùm cætera non proceſsiſſent, in ipſam vſque Saxoniam conquiſitores dimiſerant, arma accerſitum, Viróſque ducendos in Principem periculi ſecurum, ignarúmque, Suis ſe Deíque hoſtibus tam familiarem. Auguſtus Saxo Septemvir miratus in provincia ſua, *Alberti* nomine (illo enim ſuppoſititio abutebantur) inſalutato ſe, delectus agi, de facti inſolentia cum eò amicè expoſtulat. *Albertus* reſponſo, quod nullum habebat, preſſo, in ipſam Saxoniam citatis equis excurrit, ſuóſque ſummum nefas parturientes in ipſo nixu opprimit. Nunquam aliàs manifeſtius fuit, cordi eſſe *Alberti* pietatem Deo, cùm ſanguinariam telam tanto aſtu cœptam tanta facilitate rumperet, vicém-

vicémque redderet Vindici ſui honoris, quo ſalvo perituram ſe impietas intelligebat. Apertâ ſcelerum ſcenâ, detecti pariter, qui cruentos daturi ludos fuerant, nullis ſuppliciis expiandos. In talia auſos quid non permiſere Principi leges? At ille omnium prçterquam Clementiæ immemor, ſicas excutere deprehenſis ſatis habuit, & pallorem ſimul ruborémque, colores pœnitentiæ ſcilicet; majorem ſe homine oſtendens, cùm iiſdem piaculis placaretur, quibus lęſo Numini ſatisfacimus. Non planè ſiluit Menzeliana Muſa rariſſimi rem exempli, ſed verita Placidiſſimi Principis Manes offendere, admiſſum nefas nonniſi ſub involucro oſtendit;

*Ecce auſos immane nefas, & fœdere diro*
*Conjuratum agmen, Catilinas atque Cethegos*
*Ille ſuos victor vitâ dignatus, & ultro*
*Exemit meritis (rara ô clementia!) pœnis.*

Et Authoris ętate Senes recordatione immaniſsimi facti etiamnũ attoniti dicentes auditi, conjurationis principibus, quę

meruerant, expectantibus, detractos de digitis Annulos, confractósque ad incudem; quaſi Gemma peccâſſet, quæ veſtigium in Tabulis perfidię, nobilium familiarum inſignia, reliquiſſet: Famæ viciſsim, ne tam luculentum flagitium flagitiíve auctores proderet, obſignatum os, eodémque ſtudio pro ſepelienda infamia laboratum, quo ad celanda conſilia ſua Perfidi fuerant vſi; vt humani maleficii, diviníque beneficii hiſtoriam æternæ deteſtationis, gratulationíſque digniſsimum argumentum Annales quidem ex compacto ſileant; homines verò, quorum memoriæ hæſerit, opidò pauci reperiantur. Certè Juventuti Studioſę, cùm funus Principis lugubri carmine defleret, irámque æquè audacter in Proditores atque in ipſam Mortem ſtringeret, imperatum eſſe ſilentium, accepimus, versúſque, quibus ſeditioſa Nobilitas confixa fuerat, in ſpongiam incubuiſſe. In plurium ore Hagenſis Dynaſtæ tragici caſus verſantur, quibus eum Hæreſis involvit, & ſi-

ſine hęrede extinxit. Hagam *Albertus* ſui juris factam iterum Deo, à quo deſciverat, conciliavit, illo ipſo interprete Veritatis vſus, qui Dux errantium fuerat. Is Caſparus Francus fuit, ipſe quoque inter illius ævi miracula & *Alberti* decora numeratus, cui *hanc ex pungentibus ſpinis Roſam*, quo nomine Cardinalis Hoſius Francum appellavit, legere licuit, ingenti operæpretio quæſtúque bonorum; in quo prædicando cùm multus fuiſſet Hoſius, id quoque dicere non dubitavit; *Vtinam cæteri quoque Principes non ſolùm Seculares, verùm etiam Eccleſiaſtici hoc Celſitudinis Veſtræ exemplo accenderentur, ad Homines ejus generis fovendos & alendos; minùs illorum Aulæ laborarent, & Subditi, quod imitarentur, ſemper haberent. Nunc ſola mihi videtur Celſitudo Veſtra, quæ tanto ſtudio ejuſmodi Viros ad ſe congregat, ut Aula illius* Schola *quædam* Pietatis *eſſe videatur; ex qua velut ex illo Equo Trojano prodeunt Fortiſſimi Chriſti Milites, qui verbo & opere errantes populos ad Fidem Chriſti revocare contendunt.* Id tamen quale-

cunque Cardinali doctiſsimo eidémque Sanctiſſimo eſt viſum, *Alberti* ſacro ardori ſatis non fuit, haudquaquã explétas muneris ſui partes exiſtimantis, ſi, pietatis Magiſtris provinciæ ſubmiſsis, non etiam ipſe, revocandis à pręcipitio Salutis Civibus ſuis, id nomẽ meruiſſet. Certè qui authoris ætate inclytæ *Ligſalziorum* Familiæ caput fuit, *Fridericus* Monacenſis Reip. Conſul Primarius, Patris ſui *Andreæ* ſalutem Catechiſtę Principi tulit acceptam. Mala cum Bonis literis ſcita hauſerat peregrè *Andreas*, retinuerátque jam Reip. admotus, donec *Albertus* majeſtatem, vbi opus eſſet, ſolicitudine paterna mutare doctus, monendo alternis rogandóque, nauſeam illi pernicioſę novitatis creavit, juſsúmque cum Staniſlai Hoſii paulò antè nominati lucubrationibus, quas illi in manus dabat, conferre hæreticorum ſomnia, libro illo veluti filo errantem è Labyrintho errorum eduxit; útque extaret etiam apud hæredes Principalis benevolentiæ pignus, & monumentum paternę felicitatis

tis, Hoſii Librum *Ligſalzianæ* Bibliothecæ conſecravit, quæ tamen Principis munus non ſola oſtentat; cùm integra Librorum armaria *Albertus* aperuerit, lucrisque intentus animarum in hanc mercem ſumptus ingentes fecerit. Venenatæ chartæ ſummo ſtudio conquiſitæ volentibus nolentibus eripiebantur; útque jactura in ſalutem verteret, Libri ſinceri melioríſque ſucci ſubiiciebantur dono Principis, vtiliſſimam eam largitionem judicantis, quæ integris familiis Innocentiam redderet. Ita Res Sanctorum à Laurentio Surio collectas, ſpiſſum opus & in ſena Volumina tributum, à Joanne Viano translatum, maximis impenſis Germaniæ legendum dedit; alíſque quàm plurimis ſuas ei lucubrationes certatim inſcribentibus non modò nomen ſuum commodavit, ſed auctoritatis ſuæ hederam præfixit. Geſtiebat interim gaudiis, ſi qualemcunque hominem revocâſſet in Viam; planè vt divini Paſtoris in eo indolem agnoſceres, quem de cœlo traxit centeſima O-

vis, & non ingrata ſarcina fatigavit. Nunquam *Albertus* perdi bona verba credidit, operámque vni duntaxat profuturam; eandémque eloquentiam afferebat ad familiares congreſſus, quam ad Imperii comitia, in quibus tota ab illius ore Germania pependit, ſuſpexítque veluti quendam Boni Conſilii Deum, qui præjudicio Sapientię fluctuantes ſententias in concordiam redigeret, mollíque flexu correctas figeret in Optimi Publici ſcopo; vt ſub Maximiliani etiam II. imperio, qui Ferdinando *Alberti* ſocero, anno ſexageſimo quarto, non eodem quo Pater in pietatem animo, ſucceſſit, multò minus damni, quàm metuebatur, Chriſtiana integritas acceperit. *Alberti* ſcuto tectam nemo palàm laceſſere; nemo implacabiles adverſus hanc vnam injuriam Viri iras excitare ſuſtinuit. Illi quoque, qui Bonę cauſæ non favebant, Patronum tamen illius reverebantur; vt Maximilianus etiam exemplum judiciúmque Patris ſui ſecutus, cùm Ratisbonenſibus Commitiis

An-

Anno MDLXVII. adeſſe & præeſſe non poſſet, vices illic ſuas *Alberto* commiſerit, jam vſu edoctus, quantum illi ab omnibus Imperii Ordinibus tribueretur, quàm grata illius oratio, quantum in ſuffragio pondus ineſſet; vt prioris etiam Anni Comitiis, quæ Maximilianus prima Auguſtæ habuerat, non ab alio, quàm *Alberto* docendos Principes putârit, quibus de rebus eundum in conſilium videretur. Vbi noſter, qui curarum omnium Primitias Fidei jam olim dedicârat, quò ampliorem Spartàm habuit, eò æquius eſſe cenſuit, moris ſui meminiſſe; & quanquam vetera Religionis vulnera, Pacificatione Auguſtana oblita magis quàm ſanata, refricare ſine invidia non poterat, id tamen evicit, ne, quę poſt Lutherum ex Orco emerſerant peſtes, eâdem qua ille licentiâ & impunitate per Germaniam volitarent; &, quod propriam æternámque laudem meretur, vt Friderico Electori Palatino divortium à Calviniſmo imperaretur. Ratisbonenſibns porrò Comitiis, quibus Maxi-

Maximiliani Vicarius præfuit, id quod maximè Cæſar optabat, de ſtipendiis in triennium promiſſis, intra biennium numerandis, vrgendóque adverſus Turcicam immanitatem bello, *Albertus* ex ſententiâ confecit. etſi enim Pacis Amator ſummus erat, Emptor tamen illius, cum Chriſtiani nominis probro, dici non ſuſtinuit; quemadmodum neque aliorum timidam patientiam probabat, qui armatæ in divinitatis injuriam Hæreſi nunquam niſi inermi manu occurrendum credidere, & indigniſſima quęque ferenda potiùs, quàm cum illa pugnandum Hydra, cui vires creſcunt contuſæ, quæq; periculoſiſſimè ſævit irritata. Margaritæ certè Parmenſi RemBelgicam moderanti, ſub initium fœdiſſiſimorum motuũ, ſententiam ſuam exquirenti de genere remediorũ, quale gliſcenti malo opponendũ judicaret, diſertè *Albertus* reſpondit; illam Rerumpublicarum Peſtilentiam fruſtra oleo foveri; Medicinam in ferro eſſe. quam etſi corrupto eadem

eadem labe Imperio adhiberi per fœdera fas non erat, nimia tamen illi & damnoſiſſima Maximiliani Cæſaris in alteram partem peccantis facilitas eſt viſa; cùm, anno ſexageſimo octavo, Nobilitati Auſtriacæ *Autonomiam*, ſive credendi peccandiq; licentiam permiſiſſet; quanquam *Albertus*, quemadmodum ad Pium V. Pontificem ſcripſit, *obſecrando, monendo, dehortandóque nihil earum rerum omiſiſſet, quibus Cæſareæ Majeſtatis animum ab iſtis Novatorum conſilijs alieniſſimum reddi poſſe exiſtimaret*; eo maximè permotus, quòd intelligeret, *tali indulgentia non tam ſanari, qui irrepſerant animorum morbos, quàm opinionibus & erroribus viam patefieri; cùm nihil tam enorme & impium hoc infelici ſeculo Orcus emiſerit, quod iſtius Confeſſionis titulo & patrocinio non veſtiatur.* Qua porrò eam in cauſam animi contentione ſit ingreſſus, illa optimi Principis vox iiſdem teſtata literis planum fecerit; *O utinam felicem illum diem intuear, quo fructum aliquem faciam Eccleſia Catholica, ea in re, qua ſalubrior mihi meiſque divi-*

*nitus*

*nitus contingere non poteſt!* At enim hanc ille operam apud Cæſarem perdidit. Nonnullis tamen Provincialibus ſuis ejuſdem Autonomiæ prurigine laborantibus planè inexorabilem ſeſe præbuit. neque enim defuere, qui extundendo hoc Fatali Privilegio ſeſe patriámque omnem peſſundare conarentur, & inſana vota *Alberto* non tam commendarent, quàm ingererent, ſed præcisè conſtantérque neganti, pietatis ſuæ eſſe, novum cuiquam ad Tartara oſtium aperire, id potiùs muneris ſibi à Deo impoſitum arbitrari, vt jam olim patentia obſtruantur; abſtrahantúrque inde, qui in hæc præcipitia velut faſcino contacti ruerent: quales cùm per Inferiorem potiſſimum *Bojariam* quamplurimi vagarentur, eorundem ab interitu revocandorum negotium delectis ex Societate Jesv viris dedit, adjuncto nonnunquam Schwarzenbergio Comite, vt clauſas ſanis conſiliis aures grande & ſonorum illius Viri nomen principali munitum auctoritate pertunderet. Incredibile di-

ctu

ctu eſt, Numinis Principíſque Jura tuentibus quantum cum hominum ignorantia, quantum cum malitia fuerit pugnandum; quæ iiſdem, quibus falſæ opiniones, nixa radicibus, neque Deo locum, neque reverentiæ Principis reliquerat; quòd ferè exleges faciat Hæreſis, & à contemptu Numinis ad perfidiam rebellionémque proxima ſit via. In hanc impellebat miſerè obſequentes ſubmiſſus à Bipontino Duce Wolfgango Novi Evangelii Buccinator, ingentes ſtrages daturus, niſi nocendi facultas tempeſtivè ejecto erepta, & *Boica* ad Innocentiam revocata fuiſſet; pauculis *Alberti* juſſu emigrantibus, qui Patriâ quàm Impietate carere maluerunt. Anno LXXI. idem Schwarzenbergius Comes in proferendis Religionis pomœriis altera ſemper *Alberti* Manus, cum Georgio Schorichio Noſtro, qui repurgatæ nuper *Boicæ* laudem tulerat, in Marchionatum Badenſem deſperatè laborantem miſſus, illi quoque provinciæ *Alberti* auſpiciis ſalutem attulit. nec enim Philip-

po tantùm, quem ex Mechtilde *Alberti* ſorore natum Philibertus Pater, Bello Gallico cæſus, pupillum reliquerat, ſed Religioni vniverſæ ſub corruptoribus illic animam agenti præclariſſimè conſultum, aliáque loco facies induċta eſt, vt quanta inter *Bojos* & Badenſes ſanguinis erat conjunċtio, tanta etiam æmulatio intercederet virtutum. Eodem Anno cùm Amuſſis Novorum Rituum à Sectariis Auſtriacis procuſa Viennæ prodiiſſet, *Albertus* veritus, nè malam mercem auctoritas Imperatoris, ſi ea quoque acceſſiſſet, vendibilem faceret, eam vanitatis falſitatíſque coargui ab Academicis Ingolſtadienſibus voluit, & ab Hieronymo Torrenſi Noſtro raptim refutatam, vnde venerat, remiſit, iterum de aliena provincia optimè meritus. Sed latiùs etiam patuit, atque inter ſacroſanctos ejus labores haud dubiè primas fert ille feliciſſimus conatus, quo frementibus Hæreticis publicationem Autonomiæ, id eſt, paratam vniverſæ Germaniæ peſtem, in Ratisbonenſibus Comitiis Anno

no MDLXXVI. extorſit ſuppreſsítque, dignus vel ob illius facti gloriam laudatore Petro Caniſio, qui cùm proximo confeſtim Anno *Opus* ſuum *Marianum* ejus nomini inſcripſiſſet, nihil dubitavit *Albertum Invictum Eccleſiæ Catholicæ Propagatorem, Piæ in Chriſtum Fidei & Religioſæ Patrum Traditionis Fidiſſimum & Tenaciſſimum Cuſtodem cum Joſia & Theodoſio componere*; quod judicium tanto faciendum pluris eſt, quanto à laudatiore profectum eſt Viro, cui ſalutem Gentis ſuæ *Albertus* ita acceptam tulit, vt de illo, ejuſdémque Inſtituti Profeſſore Eccleſiaſte ſuo non aliter, quàm Eccleſia de Apoſtolorum Principibus, loqueretur, ſæpe illud magno animi ſenſu repetens, *Petrus Caniſius* & *Paulus Hoffæus ipſi nos docuerunt legem tuam Domine*. Porrò ne quem alium Mariano Operi Patronum Caniſius quęreret, ea ſe potiſſimùm ratione permotum fatetur, quòd exiſtimaret, *quæ de* MARIA *nunquā ſatis laudata Virgine ſcriberentur, Religioſo Principi non poſſe non probari, qui jam inde à prima ætate ejuſdem ho-*

*nori ſemper ſtuduiſſet, memoriáque plurimùm eſſet delectatus.* in quam rem argumentis longè plurimis ſuppetentibus, votivam ejus Peregrinationem ad Divam *Oetinganam* commemorandam cenſuit; cujus præſenti ope ex ſæviſſima tempeſtate emerſerat. Ea Dæmonis in Principem odio, quíque Dæmoni in exitium Mortalium operam navant, execrabili miniſterio concitata, navigantem in Würmio lacu ex improviſo deprehendit, & tanta ventorum procellarúmque vi, inter horrendos cæli fragores, mortémque intentantia fulmina, in navim incubuit, vt de humanis auxiliis Nautæ pariter vectoréſque deſperârint; donec *Mariæ Oetinganæ* nomen ingeminatum ore Principis cæteri quoque jam Morti devoti velut Sacram amplexi Anchoram, portum denique omnes tenuere. Princeps vitam Matri ſeſe Virgini debere confeſſus, Oetingæ ſeſe voti reus ſtitit, donísque regiis aram illius cumulavit. Eminent XII. Apoſtolorum ſigna Argentea; ſacrificantium præterea Mini-

ni-

niſtrantiúmque Auro gemmiſque illuſæ veſtes; quæque Aræ oppanſa Deiparæ Nomen, quod invocatum perituris profuit, itidem gemmeum portat; aliáque complura, quæ prodigæ pietatis memoriam poſteritati hodie quoque cum admiratione ingerunt; vt de Tiara Pedóque, Inſignibus Oettingenſi Præpoſito Martino Eiſengreinio incomparabili Viro Romæ recens ab *Alberto* impetratis nihil dicam, in quæ aliquot aureorum millia impenſa conſtat. Etiam Ingolſtadii Aram principem egregii operis eadem Manus Deiparæ dicavit, eodémque, quo celebrata comitia diximus, anno, D. *Bennonem* in ſua ſpretum Miſnia *Boica* intulit, amplificandi honoris illius tantò ſtudioſior, quantò furioſiùs in eundem Lutherus erat debacchatus, cùm indicto Superis omnibus bello, primos in hunc ipſum impetus effudit, & emiſſo putidiſſimo libro, *Novi* Idoli & Veteris Dæmonis affectum nomine *Bennonem* provocavit. In Comitiis, quæ ſuprà nominavi, etiam de introducenda

Ratiſbonam Societate J E S V, Seminario Theologorum Ingolſtadii augendo, & liberali ſtipe pro reſipiſcentibus ab Hæreſii corroganda, ſtrenuè *Albertus* laboravit, & Eraſmo Vendio, ob politiorem litteraturam, & incredibilem in perficiendis negotiis dexteritatem familiari ſibi in paucis, cauſſam eam omnem apud Cardinalem Moronum tractandam impoſuit. Comitiis finem ſpectantibus, & confecto Senatusconſulto, Maximilianus Cæſar deceſſit. Crato mortuum laudavit. Sacris parentalibus in magnorum Principum funere per *Boicam* aliàs vſitatis, quòd vivo cordi non fuiſſent, conſultò temperatum eſt. *Albertum* quoque valetudinis incommoda tentare Thermas Wirttenbergenſes & hoc & ſeptuageſimo octavo anno, coëgere, ſed illic quoque, *in medio nationis prava* tenacem propoſiti ſui, nihilque de divino cultu remittentem. Ad excitatam in ſubdialibus Tentoriis Aram venerabundus accubuit; ſacrificanti & de rebus divinis diſſerenti è Societate Sa-

cer-

cerdoti operam dedit, avitæque pietatis jam dudum è Wirttenbergia proſcriptæ non ingratam infelicibus incolis imaginem repręſentavit. Sacri apparatûs majeſtas, elegantiſſimi Symphoniacorum moduli, maximi Principis exemplum, & potentior his omnibus vis veritatis, mirificè afficiebant animos meliora probantes, etſi deteriora ſequerentur. Gaudebant ſpargi Luſtrali vnda, & Salem Piacularem noſtro more libabant reverenter, ſuorúmque Magiſtratuum edictis inſuper habitis, favebant tam magnificè cultæ Religioni, eámque non ſuſpiriis tantùm, ſed erumpentibus in apertum votis repetebant. Iis concitandis multò majus operæ pretium factum optimus Princeps cenſuit, quàm ſi conſentaneum Medicorum ſpei robur in Thermis collegiſſet. nam quod poſteriore profectione domum retulit, vitam illi non niſi in ſequentem annum produxit; intra quod tempus & Gymnaſii & Templi ſuburbani, quod inter Plebis ſepulchra mortalitatis memor condidit,

 per-

perfecta eſt ædificatio. Anno ſeptuageſimo nono vltimam Reipub. operam in Auguſtanis Comitiis impendit. Eo officio perfunctus, magis faſtidio rerum mortalium, quàm morbo tentari viſus eſt. Medici quidem de imminente ſibi morte vaticinantem corripuere, ob idipſum ingrati inviſique, quòd inani objecta ſpe animum Æternitati intentum abducere ad rerum inania ſatagerent. His ergo juſſis faceſſere, Philippum Menzelium, cui vni plurimum tribuebat, advocat, jubétque, non vt apud Principem, ſed Mortalem pro blandis vera loqui, ſe vſurum tempore, omiſsáque corporis curâ, tranſiturum ad Medicos Animi & Pharmaca Immortalitatis: fecítque id, Menzelio annuente, non pectore modò, ſed vultu etiam immoto. Expiatus, paſtus, inunctúſque more Chriſtiano, ſempérque ſui compos, & ſellâ duntaxat fultus, vltimis etiam mandatis ſuſpiriiſque Herois Chriſtiani perſonam perbellè egit ex humanæ vitæ theatro decedentis, quæ prima viventis

cura,

cura, eadem poſtrema fuit. Religione Avita, veluti Lampade, tradita Filiis, referri in lectulum ſe paſſus ingentem Animam absque doloris ſenſu, nulla certè ejus ſignificatione edita, efflavit XXIV. Octob. vno anno duntaxat major quinquagenario. Defletus eſt confuſis vniverſæ Patriæ lacrymis. Decora illus non Monacenſes duntaxat Muſæ, propria illius Colonia, ſed Ingolſtadienſes inſuper, Dilinganæ, & Græcienſes veriſſimis laudibus vſque ad cœlum extulere; útque haud temerè quisquam Principum ingeniis prolixiùs favit, ita viciſſim nemo ea minùs ingrata ſenſit. *Fontem Auri* Menzelius *Albertum* appellavit, in omnes nobilium ſtudiorum campos exundantem rigantémque, quidquid vſquam eruditorum fuit eruditionisque. Nam viventibus benefacere non contentus, Ampliſſimâ Bibliothecâ Monachii conditâ etiam mortuorum monumenta ab interitu vindicavit

*immenſis vix ſumptibus eruta longo*
*Carcere ſeclorum, & totum exquiſita per orbẽ,*
*Græcia quæ, Antiquũ Latium, Judæa propago,*
*Syrus, Arabs, Italus, Germanus, Gallus, Iberus*
*Digna cedro & Minij multo ſignanda rubore*
*Miſere extremos mundi labentis in annos.*

Jam Muſicam nemo Principum rectiùs intellexit, nemo liberaliùs excoluit; útque ad cultum Numinis omnia retulit, id quoque aſſecutus eſt, vt divinas laudes humano ore decentiùs, quàm in *Alberti* Regia, decantari orbis negaret. Hoc Mecœnate Orlandus Laſſus ſui ſeculi Orpheus ad faſtigium famæ aſcendit, traxítque ad comunem Patronum, quidquid vſquam vel aſſa voce, vel faciendis Modis ore manúque excelluit. Proxima cæterarum artium dignatio, naturam penicillo, ſcalpro, & ſiquibus aliis armis provocantium: nam & harum miracula comportavit, voluítque reliquias Antiquitatis, quęque ab Antiquitate ævo duntaxat & canitie vincuntur, Monachii velut in Elegantiarum omnium

mnium Compendio ſpectari. Monacenſis Regiæ ſplendori, Ingolſtadienſis Vrbis firmitati, Provinciæ vniverſæ nitori nobiliſſimis ædificiis conſuluit. Dachavium, Iſereckha, Starnberga & Vrbana Regia Landishutana ejus operâ ſumptúque caput extulere; non modò ad onera publica, & ingentes Symbolas in bellum Turcicum conferendas, ſed ad tot tantáſque molitiones, ſumptuoſiſſimos ludos, & magnificentiſſima ſpectacula facilè ſufficiente ęrario, poſtquam vectigalibus, aut, quomodo hodie loquimur, Cameræ *Carolus Keckhius* eſt præfectus, quem, ob vernaculam elegantiam, *Ciceronem* Germanicum, ob Fidem Induſtriámque, *Alberti Achatem* ſua ætas appellavit, Princeps agnovit, talémque ipſe & Filius hæres etiam exteris gentibus prędicârunt. Nam illa quoque felicitatis pars, quæ extra Principes in fide & ſapientia familiarium eſt ſita, *Alberto* ita præclarè obtigit, vt inter primas ejus glorias ab Auguſtino Majero decantata ſit;

*Quales Cecropijs ſibi Curia Martis Athenis*
*Selegit dictiſque Viros, factiſque probatos;*
*Talibus* Albertina *in primis floruit Aula;*
*Ornata eſt merito Virtus ubi ſemper Honore.*
*Hinc res Alitibus ſemper florere ſecundis*
Bojorum, *& ſtabilem cernis ſervare tenorem.*

Sed ſiſtenda eſt denique non laudibus modò Immortalis Herois inferior oratio, ſed luctui etiam impar futura, niſi tolerabilem jacturam *Filij Nepotéſque* feciſſent, repræſentantes orbi terrarum, quidquid in *Alberto* ſuſpeximus. Ex Filiis Carolus & Fridericus è cunis in cœlum tranſlati, paternę Virtutis hæreditate *Wilhelmo Ferdinando* & *Erneſto* Fratribus, Sororibúſque *Maximiliana* & *Maria* ceſſere. Nihil illius in ſortem venit. Singuli totum ſibi Aſſem vendicârunt.

WIL-




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

# WILHELMUS RELIGIOSUS ALBERTI MAGNANIMI F. DVX BOIARIÆ QVINQVAGESIMUS NONVS.

*INnatat Orbis* Aquis; *& pendet in aëre Circus;*
*Huic tamen Hippodromo Curſor inerrat Eques?*
*Hoc fuit humani* Wilhelmo *Emblema furoris,*
*Tréſque illi gemitus, & tria verba dedit.*
Noſce; Dole; Emenda; *quæ ſi non Principis ore*
*Lapſa ſcias, Cœlo lapſa fuiſſe putes.*
*Vota aliquis ſua credat* Aquis? *vel in aëre figat?*
*At ſit utrumq;, & qui fecit utrumq́; negat.*
*Naufragus eſt etiã, qui neſcit: pendulus hæret*
*Ille etiam, qui ſe fortè volare putat.*
*Qui* norit, *nonne hæc* doleat, *ſe vivere ſorte?*
Emendétque *ſuus quando deerrat equus?*
*Nonne tuus,* Wilhelme, *comes ſuſpẽdia vitet*
*Hippodromi, & tuto littore mutet* Aquas?
*Circum aliquis quærat, tulerit cùm Fabula plauſum,*
*In qua* Wilhelmus Circus & Actor *erat?*

W*Ilhelmum* Proavũ tuum, *Maximiliane Emanuel*, in exemplum abſolutiſſimę virtutis conceſſum orbi

orbi terrarũ,ęquè difficile fuerit ſcriptione exprimere,atq; imitatione; vt ſupervacuum fuerit, vltimum ejus jam moribundi imperium,quo Oratoribus & Poëtis de ſe dicturis non tam ſilentium impoſuit, quàm de ſucceſſu audaciæ deſperantium pudori conſuluit. Nam ſi ſuis coloribus reddi debuit hic Alexander, ne Apelles quidem opus tentâſſet. proinde neque nos cæleſtia temerabimus profana dictione; ſed quemadmodum Solis imaginem in roſcida impreſſam nube,& coloribus non ſuis viſendam etiam debilis oculus ſpectat cum voluptate, ſimulátque non optimus pictor; ita hujus quoque Sideris veluti Iridem dabimus, & ſuâ hebetatos modeſtiâ radios inumbrabimus potiùs quàm explicemus. Landishutam primùm *Wilhelmus* Anno MDXLVIII. III. Kal. Octob. aſpexit, haud temerè *Michaelis* Archangeli memoriæ feſta luce exortus, cui olim moliturus Ædem eſſet non minùs dignam Cœlitum Principe,quàm conſentanea cœlitum Innocentiæ Principis vita

ta fuit. Anno MDLXVIII. ductâ domum *Renata* Franciſci Lotharingi & Chriſtianæ Danæ Filiâ, vt generis & ſanguinis, ita Virtutum quoque omnia decora congeminârunt; quę quia *Wilhelmi* Faſtos implere ſola poſſunt, nihil neceſſe eſt vel nuptialibus ludis, qui ſumptuoſiſſimi fuere, vel ſolennibus Palatinæ Elegantiæ pompis, quæ paulò pòſt vtrique Conjugum viluere, commemorandis operam perdere. Ea vera & palmaria eorum gloria eſt, Pietatem à Majoribus acceptam, ab Avo ſervatam, propagatam à Patre, ab His in eum ſplendorem adductam, vt *Wilhelmo* imperante *Monachium Germaniæ Roma* dici non vnâ ex cauſa meruerit. Refrixerat cæleſtium Myſteriorum cupiditas; quotidianæ olim divini Panis Epulæ in anniverſarias abierant; ſæpius qui accubuiſſent, ſuperſtitionis notabantur; donec pietate Ducum diſcuſſus eſt ille torpor errórque, & ipſis pręeuntibus omnes Aræ ſacris Convivis ſtipatæ ſunt. Jam Votorum ad ſacras Ædes nuncupatio, & inermes

ſub

ſub ſanctioribus ſignis ſupplicantium expeditiones peregrinationéſque, haudquaquam pro vetere gentis genio frequentabantur. Illum quoque morem Religioſi Conjuges reduxere, ad celebriora omnia ſacraria, Oetingenſe maximè & Duntenhuſanum, identidem recurrere ſoliti, & quidē ferè itinere pedeſtri, neque alio apparatu, quàm Modeſtiæ & Pietatis. Ea res quia Petrum Caniſium Laudatorem habuit, ipſiuſmet verbis repetenda eſt. *Qua* Wilhelmus *pompa, inquit, quo apparatu ſuam in Duntenhauſen profectionem ſanctè ſuſceptam abſolvit? ultro in viam ſe dedit egregius Heros; ſimplici veſtitu contentus abijt, ut à prætereuntibus ne agnoſceretur quidem: ſuum Equum ſacerdoti profectionis comiti utendum tradidit; ipſe longum iter pedibus confecit; paucis etiam, qui comitarentur, aſſumptis; neque alijs adhibitis armis, quàm quòd Baculum Peregrinatorium, qui fortaſſe vix triobolaris eſſet, manu teneret; etiamſi calores æſtivi hanc illi Peregrinationem difficiliorem redderent.* Mariti ſtudium Optima

Con-

Conjunx Anno LXXV, qui Jubilæus fuit, æmulata, ipſa quoque tempore difficili longum iter pedibus abſolvit. domi etiam in obeundis per dies quindecim continuos quaternis templis, quod Indulgentiæ gratiam ambientibus Pontifex imperaverat, indefeſſo ſtudio Maritum comitata; vt ſexus vterq; pulcherrimo exemplo traheretur. Quo tempore illud quoque admirandę pietatis miniſterium ab iis inchoatum, denique perpetuo vſu receptum eſt, vt Pauperum Curam, felici oblivione dignitatis ſuæ, ad ſe pertinere crederent; & *Wilhelmus* quidem Viris, *Renata* fœminis menſam apponerent, & velut Cælitibus epulantibus hilarem ſervitutem ſervirent; miſſo nihilominus ſub idem tempus ad *Virginem Lauretanam* & Romana ſacraria ſuo cum ampliſſimis muneribus Legato; non capiente Patria exuberantem liberalitatem, Patronos ſibi apud Deum toto orbę quærentium; ſatiſque conſtat vel illo vel proximo Jubilæo, inter Stipes in Romani Hoſpitalis Gazophylacium

cium jactas Chartam Collybiſticam à *Wilhelmi* manu repertam eſſe, quæ multa aureorum millia per Trapezitas numeranda loco illi addixit. His artibus conciliato Numine, denique in Patris mortui locum ſucceſſit, id vnicè ſolicitus, ne augmentis potentiæ aliter, quàm ad incrementum Religionis, vteretur. Eo conſilio publicæ confeſtim Supplicationes indictæ, vt palàm omnibus fieret, ſpem felicis imperii in precibus votíſque Populi ſitam. ad illum magis inflammandum cæleſtes gratiæ à Romano Pontifice Anno MDLXXX. impetratæ, & D. *Bennoni*, cujus Lipſana vindicata ab *Alberto* diximus, XVI. Junii, Die ſuo Natali, in Marianam Ædem cum triumpho importato, Tutela Vrbis vt Patrono commendata; & ne quid ejus oculos in illa offenderet, clauſo in perpetuum Lupanari, Impudicitia proſcripta eſt. Ad Kal. Jan. Anno LXXXIII. auguſtiſſima D. *Michaëlis* Ædes primas origines refert. Illa dies Societati JESV præcipua ſemper veneratione culta, & Pontificiis gratiis in-

inclita invitaverat in brevis Sacelli anguſtias, quod in PP. Auguſtinianorum Templo vſurâ noſtrum erat, totius Vrbis Pietatem; cúmque frequentiam locus non caperet, injectâ *Wilhelmo* mens eſt, moliendæ capacioris Baſilicæ, & neminem excluſuræ; miſsíſque proximo triduo Architectis, qui aream quantam ipſe conceperat, deſcriberent, ingens opus maximo animo eſt aggreſſus; qualem ad perrumpendas innumeras difficultates & contra dicentium nitentiúmque ora ſtudiáque compeſcenda niſi attuliſſet cordatiſſimus Princeps, meditata nunquam erat perfecturus. Jam machinas plures fregerat, cùm Mater quoque à propoſito eum deterrere auſa eſt; cujus cùm auctoritate potiùs quàm momentis *Wilhelmus* moveretur, ſcriptâ, quàm vidimus, prolixâ epiſtolâ, facti ſui rationes tam vberes dedit, & cum tanta commendatione Societatis, vt non modò Matri, quod operoſum non fuit, factum ſit ſatis, ſed invidiam quoque, quę Panegyrico illi cauſam præbuit, conſilii

ſui pœnituerit. Principis porrò animum plebeiis judiciis tantò eminentiorem ipſius etiam ruina Turris anno nonageſimo, VI. Id. Maii, prolapſæ tantùm abeſt, vt depreſſerit, vt admoneri potiùs crediderit ſeſe, aliquod priſtinæ Majeſtatis auctarium ab Angelis in Templo deſiderari: neque enim, niſi illis manum admoventibus, molem ducentos pedes altam, quæ ſtragem longè latéque perniciabilem datura videbatur, in ſe ipſam, velut ad perpendiculum, ſine mortalium cujuſquam vicinarúmque ædium injuria ſubſeſſuram, aut ſpatium ſuperfuturum fabris fuiſſe, ad campanas quaternas pondere pretióque inſignes in tuto collocandas: cujusmodi miraculis non abſimilia cùm permulta numerarentur, Princeps adoratâ Numinis, Liberalitatem ſuam provocantis ſuavitate, perpurgato confeſtim eruderatóque loco, duorum acceſſione Sacellorum & Choro (ita appellamus, quod veteres Tribunal dixere) longiùs producto, tantum ad priſtinę Baſilicæ ſplendorem adjecit,

jecit, vt qui ſuam hodie D. *Michaëli* Sedem gratulantur, ruinam Turris non inter fortuita, ſed fortunata recenſeant. Anno MDXCVII. Ædificio ad abſolutiſſimam perfectionem adducto Dedicatio colophonem impoſuit; ad cujus celebritatem cùm omnia ornamenta collata eſſent, illud tamen omnia vicit, quòd Fundatoris Filium *Philippum* eodẽ anno inter Cardinales R. E. cooptatum, concionantem in purpura, attonita rei novitate patria audivit ſpectavítque, digniſſimum & divinæ gloriæ & paterni operis præconem; quod ſi deſcribere membratim aggrediar, in quantam molem creſcat Epitome? ornantur auro argentóque duodecim Altarium abaci, ingerúntque oculis mirum artis cum materia certamen: nam quæ vtramque ſuperat ſacrorum ſanctitas Lipſanorum, etiam in animos penetrat, eóſque religioſo horrore perfundit. Telam Damaſcenâ viliorem ne in quotidiano quidem ſacrificantium vſu ſpectari voluit, dotémque addidit continuandæ huic elegantiæ ſuffectu-

 ram.

ram. Credi poterat principalis munificentiæ monumento addi ad dignitatem nihil poſſe, niſi ipſum ſeſe adjeciſſet, dicâſſetque eidem Numini Templóque perpetuum Cultorem: quod etſi admirationem omnem ſuperat, eodem tamen anno Religioſiſſimus Princeps fecit paremque Imperio conſpicatus *Maximiliani* Filii indolem, totam in illum Principatus molem inclinavit, & Virtutum ejus Fortunæque perpetuo ſpectaculo fruitus, illam quoque partem felicitatis, quæ raris Principibus à funere contigit, viginti novem annis continuis præcepit; cúmque Patriæ meliorem dare ſe Principem non poſſet mortuus, Optimum dedit vivus.

Sed nos à facto nulla oratione ęquando ad ſuperiora tempora, quæ non ſolus ſtructurę labor occupavit, regredimur. Eodem anno, quo Templi condendi votum nuncupatum diximus, Comitiis, quæ Rudophus Imp. Auguſtam edixerat, *Wilhelmus* cum Erneſto Fr. pridem ad Friſingenſem & Hildeſienſem, prio-

priore verò anno etiam ad Leodienſem Mitram vocato ſplendidiſſimè comitatus interfuit, jam erumpentibus Colonienſis Belli flammis, quod fœdiſſimis Gebhardi Truchſeſſii amoribus & hęreſi accenſum, *Bojorum* Principum pietas felicibus armis extinxit. Deſtinaverat Salentino Iſenburgico Adjutorem Succeſſorémque Erneſtum Gregorius Pont. eo nomine XIII. tabulis ſuæ voluntatis teſtibus Anno LXXVII. transmiſſis, quarum nihilominus auctoritas factione Nuenarii Comitis jam Sectariorum Peſte contacti eliſa, & Mitra in Gebhardi indigniſſimum caput devoluta eſt; quam cùm in ſumma morum fœditate aliter quàm ſub hęreſis ſcuto tueri non poſſet, illam quoque palàm amplexus, nactúſque inſaniæ ſuæ ſocios præpotentes, ad evertendum nobiliſſimum Epiſcopatum multò majoribus agitatus furiis proſiliit, quàm quibus Hermannus à Weda in excidenda ibidem Religione nuper erat obſecutus. Ea res cùm ſolicitum maximè haberet Pontificem, cuperétque ſa-

cræ vineę everſori egregiam manum opponere, neminem neque ſuo, neque Ludovici Cardinalis Madrucii judicio, quem in Auguſtanis Comitiis Legatum habuerat, potiorem *Wilhelmo* reperit, cujus in Re Chriſtiana augenda ornandáque feruor tot documentis Auguſtæ ſpectatus fuerat, vt gratulatus illi per literas Pontifex *incredibiliter ejus ſe gloriâ lætatum*, ſcripſérit. etſi enim certum habuerit, ſemper eum ſui Majorúmque ſimilem futurum, in Catholica Religione tuenda, ínque omni virtute colenda, jucundiſſimum tamen accidiſſe ſibi, campum ei datum eſſe, in quo ejus Pietas poſſet excurrere; eóque magnam ſpem habere, illum in ſummo Eccleſię Colonienſis diſcrimine, conſilio, auctoritate, operâ, nullo loco illius incolumitati, Catholicęque Religionis amplitudini defuturum. Tum deinde cauſæ Patrocinium his illi verbis tradit. *Rogamus atque obteſtamur per Chriſti gloriam, ut hanc cauſam commendatam habeas, eámque pietate & prudentia tua amplectaris, tuáque merita*

*hoc*

*hoc etiam cumulo augeas, neque antea deſiſtas, quàm res optatum exitum habeat, Eccleſiæ ſcilicet illi ſalutarem, vicinis ſecurum ac tranquillum, bonis omnibus lætum. Wilhelmus* honorifico communis Parentis excitatus claſſico negat imprimis, animo voluntatíque ſuæ reſpondiſſe, quæ Auguſtę à ſe præſtari potuerint; cupiviſſe enim multò meliores ſucceſſus, pluriúmque, ad quos non minus eæ res pertinebant, conatus paratiores ac conjunctiores ſuis. Explicata deinde ratione ſopiendi *Magni* illius *Incendij* (ita loquitur.) Religioni non minùs quàm Reip. vniverſę imminentis, allaboraturũ ſe ſpondet, ne, quidquid ex ſe ad iſtas neceſſitates proficiſci queat conſilii operæve, Pontifex vnquam deſideret. útque factis ſemper quàm dictis glorioſior fuit, tempeſtatem illam fœdiſſimam, coortis ex omni parte & conſpirantibus ventis concitatam, mirabili ſapientia & vtroque Fratre velut auxiliaribus manibus vſus ita compoſuit, vt rem humanis majorem viribus confeciſſe, bonis omnibus

videretur. Cùm enim Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores Principes omnia agerent, ne novum Sectæ ſuæ fulcrum iterum ſubduceretur; metúſque eſſet, non in odia modò illorum, ſed arma etiam incurrendúm; prævaluit tamen in animo Principis Religionis ardor, ne mandatam ſibi à Summo Pontifice Spartam vel cum capitis ſui periculo deſereret. favítque tam prolixè piis conatibus Deus, vt Saxonem, in quo vno multorum inſtar erat, à Patrocinio iniquę cauſæ abduceret, & adverſus reliquorum minas, Colonienſium Canonicorum rectè ſentientium animos ita confirmaret, vt Gebhardo exauthorato prærepta nuper malis artibus Erneſto dignitas eidem magno conſenſu reſtitueretur. id Anno LXXXIII. vigeſimo ſecundo Maii factum; cùm *Wilhelmus* prioris menſis die XVIII. clauſam marmoreâ arculâ oris ſui effigiem auream in fundamenta Baſilicæ ſuæ immiſiſſet; quæ cùm ſola fatigare principalem opulentiam poſſet, eam tamen etiam in Erneſti vſus patere

voluit,

voluit, Ferdinando inſuper Fratre ſuppetias eidem ferre juſſo, qui magnitudine animi & rei bellicæ peritiâ, quæ prioribus ante ipſum Ducibus defuere, brevi omnia reſtituit, otiúmque Colonienſibus reddidit. Ferdinandus militię amore à prima ætate imbutus jam anno ſexageſimo ſexto, qui vitæ illi ſextus decimus fuit, adductâ ad Maximilianum Cæſarem quadringentorum equitum alâ, ætatem vix tyrocinio parem Magiſterio equitum nobilitavit. Octobri menſe appulſum Erneſtus frater & ſuis copiis, quémque *Wilhelmus* per *Boicam* conflaverat, exercitui, cum ſuprema poteſtate, prçfecit. Felicitatem auſpiciorum ipſius res proſperè geſtæ approbârunt. Initium Weiſſenkirchii factum; quod à Gallica Legione Thomæ Khriechingii inſeſſum, vim haud diu tulit; exemplo inſuper Caſimirianis fuit, ne receptus, imò fugæ veriùs, occaſionem per proximos montes aſpernarentur. Arx Poppelsdorfia XIV. Nov. vi, Rindorfenſe Cœnobium, quod ipſum etiam caſtri vicem fuit, deditione occupatum. Go-

deſperga jugo montis impoſita naturáq; loci pariter & præmiatorum, qui inſederant, audaciâ munita tormentis primùm tentata eſt, operæ pretio quàm ſumptu minore. cuniculis intra montem actis tantum profectum, vt XVII. Decemb. accenſus in cavernis nitratus pulvis viam ſibi militíque in arcem horrendis fragoribus ruinísque patefecerit; quam obſeſſi comportatis in eum locum tormentis ſuorúmq; objectu corporum obſtruere nequicquam conati, meritas Ferdinando contumaciæ pœnas dedere, ad vnum omnes, excepto arcis præfecto, occiſi. Ad Bonnam deinde miles ductus, ſtatuendíſque gravioribus tormentis collatus agger; vnde & prætoria navis icta depreſsáque, & in Caroli Truchſeſſii, qui pro fratre oppido præerat, ædes pila tam doctè librata eſt, vt in tertio etiam cubili ſtragem ediderit, Caroli gladio & Scipione poteſtatis inſigni fruſtillatim comminutis; quæ Carolus ipſe vt ad ſe haud dubiè pertinentia abominatus, animum etiam velut eodem tormento

mento verberatum ſubmiſit. Idem ne Gebhardus Frater faceret, ſpes in Henrico Brunſuicenſi Notho, & Adolpho Nuenario ſitæ effecere; quorum prior de periculo Bonnenſium admonitus ad quinque hominum millia ex præſidiis incredibili celeritate contraxit, magníſque profectus itineribus Ferdinandi copias, quas in caſtris oppreſſurum ſe credidit, multò citiùs, quàm vellet, eſt aſſecutus. Transportatam per Flumen, cui Agro nomen, exercitus partem *Boÿ* ex inſidiis aggreſſi, poſt brevem pugnam, iniquiſſimo loco in fugam, imò præſentem mortem præcipitem egere; quòd pons, cui ſuam fugitivi ſalutem credidere, ab impedimentis ſociorúmque cohortibus occupatus ferendo oneri non fuerit, ſolutúsque equos pariter & homines aquis obruerit; Siegio paria faciente, cùm illius quoque vadum à ferro ſuperſtites tentâſſent. Quadraginta quinque currus commeatu & inſtrumento bellico onuſti in prędam ceſſere. Accelerata pariter Bonnenſis deditio,

præ-

prçſidiariis communium incommodorum ſenſu, & decreſcente quotidie annona ad ſaniora conſilia compulſis. Ferdinandus etſi per vim potiri vrbe poterat, eam tamen Fratri incruentam traditurus, non veniam modò, ſed pecuniam etiam in ſtipendium obtulit loco deceſſuris. Kal. Feb. deditio facta eſt. Vrbs poſtridie Fratres Principes, velut auctores Salutis ſuæ auſpicéſque Libertatis, incredibili omnium ordinum gaudio accepit. Miles confeſtim ad Bettbergenſe oppidum adductus eſt, quod Schrekhius quidem Buſcoducenſis, ei à Nuenario præfectus, totius Provinciæ Spoliarium effecerat. Eburones admotis de nocte ſcalis oppido potiti ſunt. Arcis expugnationem majoris operæ futuram ſpes prædæ opinione faciliorem reddidit. vniverſis vel cum capitis ſui periculo diteſcere properantibus, via vi facta, & Screkhio deditio IX. Mart. extorta eſt. Caſtra deinde ad Lippam promoventibus hoſtis in Ponte Kruidenburgenſi XXVIII. Mart. faceſſere negotium auſus,

lo-

locum vltra quintam horam non tenuit. id tempus omne velitationibus abſumptum, eo eventu, vt gratius accidere hoſti nocturnis tenebris nihil potuerit, quæ fugienti pro clypeo fuere. Maximis itineribus proficiſcentem Ferdinandus tertio die, qui Martii vltimus fuit, ad oppidum Burgenſe aſſecutus, inſigne ex juſto prælio decus retulit, quod tamen præludia non ſpopondere, noſtris pedem tertiùm referentibus, donec perrupto disjectóque transverſario è vaſtis trabibus ſepto, juſta ad Truchſeſſianos via patuit. Illic ſumma virtute redintegrantibus certamen, hoſtis ferocia par non fuit. Ferrum fluménque pereuntes inter ſe diviſere. Cæſos non pauciores millenis, Ferdinandus Trophæis ſuis adſcripſit; cùm ſuorum vulnera funeráque ſupra viginti vnum non numeraret. Henricus Brunſuicenſis copiarum hoſtilium Dux cùm liberandi ſigniferi cauſâ medio ſe agmini intuliſſet, ignotus in noſtrorum manus venit. Ferdinandus nihilominus humaniter compellatum,

me-

medicis obligandum fovendúmque commendavit. Gebhardo deinde imminens, poſtquam fugâ ablatum ad Batavos comperit, oppugnando Reckhelinckhuſio animum adjecit; primíſque inſultibus irritis, machinas è propinquo contumacibus oſtentavit; horum fulminum metus eos ad paciſcendum pro capitibus ſuis adegit; quorum impetratâ incolumitate, 11. Maij inermes diſceſſere; cùm paulò antè Horenburgum à præſidiariis ſponte deſertum eſſet, paſsímq; Gebhardi jam exulis nomen adeò evileſceret, vt Werla etiam, Arenſperga & Weſterholda clementiæ Victoris ſe permiſerint. Limburgenſes denique cunicularijs foſſoribus intra Montis ſui viſcera deprehenſis, Godeſpergenſium exemplo admoniti, Novemb. initio ad officium vltimi redierunt. Turbis Colonienſibus virtute Ferdinandi compoſitis, Erneſtus ſequenti anno, qui octogeſimus quintus fuit, priores Mitras etiam Monaſterienſi vltro oblatâ cumulavit. Ferdinandus jam antea in *Bojariam* regreſ-

greſſus non triumphantis more, quod felicitati ejus debebatur, ſed ſupplicantis habitu ad DeiparamDuntenhuſanam profectus, illi non victorias modò, ſed ſalutem etiam ſuam eſt gratulatus; quòd ea quoque in apertum adducta diſcrimen, ſub Mariano tamen Clypeo latuiſſet. Octo Sicarii primùm in ejus Fratriſque Erneſti perniciem à Truchſeſſianis auctorati, in ipſo parricidii apparatu, à conjurationis ſocio, tormenta animi malè ſibi conſcii non ferente, proditi ſunt. Globus deinde à baliſta in adverſum Ferdinandi delatus pectus vires ſuas momento perdidit, veſtémque inoxiè lambens, luculenta in ea veſtigia longo diffuſa tractu impreſſit; vt fatalem illam vim à diviniore retuſam nemo non agnoſceret; ipſe quidem etiam oſtentavit, eúmque perpetuum pietatis gratíque animi ſtimulum habuit. cúmque ad *Wilhelmi* Fratris auguſtum opus ſuas ipſe quoque ſymbolas contuliſſet, Campanis quaternis ſuo ære fuſis, & D. Sebaſtiani Arâ inſtrumento omni neceſ-

ſario

ſario excultâ, eidem Divo, quem tutelarem ſibi legerat, propriam Ædem ſanè perelegantem à fundamentis extruxit, & decentiſſimè ornatã Anno LXXXVIII. dedicavit. Vetus etiam Sodalitium ejuſdem Martyris honori jam olim ſacratum, ſed obſoletum collapsúmque in majorem, quàm vnquam habuerat, celebritatem reduxit? ea quoque in re fratris ſtudia æmulatus; qui cùm id Mortalium cum Cælitibus commercium & novæ jura neceſſitudinis vehementer probaret, iisdem initiari ſacris, & ſtata vſitatorum rituum ſolennia obiturus, nomen ſuum velut vnus de multis in communi ſpectari Albo voluit, iiſdémdeſideriis Filios accendit; vt, quod Deiparę ab Angelo Salutatæ Nomen præfert Sodalitium, iis Sideribus in ſuum inſertis Cœlũ perpetuò ſit gloriaturum. Illo ipſo anno, quo Colonienſe bellum ſopitum eſt, Sereníſſimus Avus tuus, *Maximiliane Emanuel*, Sodalitio illi jam ſecundùm præfectus *Philippum* Fratrem deſignatum Ratisbonæ Epiſcopum; proximè

ximè ſequente *Ferdinandum* alterum Fratrem & Marchiones Badenſes duos in Marianum cœtum cooptavit; quòdque præter ipſum fortaſſe conceſſum eſt nemini, in vniverſa Germaniæ Sodalitia ſupremam Româ poteſtatem accepit; quem ſi egregiis factis reſpondentem muneri ſuo hic oſtendere totum vellemus, minùs jam cuiquam mirum videri poſſet, illis teneræ pietatis inſignibus tot incrementa dignitatis ſucceſſiſſe. Quo cultu David olim ſpectari voluit vilis ſibi, pretioſus Deo, eodem hic Marianæ Juventutis & *Boicæ* gentis Princeps ſupplicantiũ Pompam A. LXXXVII. linteatus per urbẽ; LXXXIX. penulatus cum duobus, quos nominavi, Fratribus in Montem S. pedes duxit. Ad quod exemplũ *Ferdinandus II. Imp.* Avus Maternus Sereniſſimi Parentis tui, *Maximiliane Emanuel*, Ingolſtadii A. XCIV. Propatruiq; tui tres *Philippus*, *Ferdinandus* & *Albertus* ſublimem Servatoris in Cruce effigiem ſibi mutuò ſuccedentes palàm pręrulere; quod Monachii, ſuperioribus temporibus, à Ferdi-

nando *Wilhelmi* Fratre & Landgravio Leuchtenbergenſi factitatũ, magnos in animis hominum motus excitârat, felicitatem ſeculi ſui inde æſtimantium, quòd ſimile pietatis miniſterium in Joanne olim Comneno Cæſare ſemel ſpectatum, jam rarum & inſolens eſſe deſineret, hanc in Imperatorias familias morum metamorphoſin introducente *Wilhelmo*, quem Chriſtianæ modeſtię Signum Principibus efferentem, nulláque mediocri contentum Virtute non ſuus modò Sanguis, ſed Chriſtiani Heroës plerique nitentem ad ardua æquis paſſibus ſunt ſecuti. Anno LXXXV, jactis Collegii Monacenſis Fundamentis, quod ſurgenti tum maximè Templo eâdem magnificentiâ, *pro ſua in Catholicam Religionem & Societatem JESV pietate*, quemadmodúm Imago illius primo inſerta lapidi loquitur, adjungendum putavit, Lauretanam peregrinationem commemorabili pietate ſuſcepit; quæ quia egregium è Societate Noſtra nacta Scriptorem eſt, Horatium Turſellinum, ipſius verbis red-

reddetur. *Wilhelmus Bavariæ* Dux, Vir vel opibus vel pietate Germani nominis longè princeps, Paternæ in Virginem Lauretanam munificentiæ memor, regalis opulentiæ dona partim miſit Lauretum, partim attulit. Inter dona miſſa erant Equus generoſiſſimus, laminaque argentea ebeno incluſa, vbi *B. Mariæ JESVM* puerum gremio geſtantis, Joſepho fugæ comite in Ægyptum, effigies expreſſa cernitur. Candelabrum item argenteum penſile non magis pondere, quàm opere egregium; pondus eſt librarum LXXX. opus autem ejuſmodi, vt quatuor & viginti veluti rami ex eodem emineant trunco ſcitè omnes venuſtéque diſpoſiti; adeò vt totidem cereos laxè ſuſtineant. Ergo id Candelabrum in ipſa Virginis cella perpetuò ante ejus effigiem pendet, nobile omnino Bavari Ducis donum; ſed hòc nobilius, quòd dotatum venit. Dotis nomine perpetuum aſſignatum à Duce ſtipendium, vt quotannis per quadragenos dies feſtos ac ſolennes candelis vicenis & quater-

nis candidis B. Virgini luceat. Inde Dux ipſe ſua munera ſecutus, & quatuor duntaxat comitantibus, Lauretum, mutatis ſubinde equis, cucurrit ignotus. Annus agebatur MDLXXXV. Eximia tanti Principis modeſtia pietatem quoque inſigniorem fecit. Námque humanas aſpernatus delicias, vt divinas liquidiùs hauriret, publicum magnificúmque Principibus excipiendis deſtinatum hoſpitium poſthabuit privato tenuíque. Quippe ex aulici ſtrepitûs pompæque faſtidio, avidus religioſæ quietis, ad Patres Societatis IESV, de quo ordine optimè meritus erat, perfamiliariter divertit; ibíque apud eos dies aliquot diverſatus eſt, vulgari quidem victu cultúque contentus. Cæterùm tanta Virtus diu latere non potuit. Præſes, Bavari Ducis adventu cognito, properè ad eum venit; perliberaliter invitat hoſpitio, rogitat, vrget, inſtat. Demum vt obfirmato animo recuſantem vidit, incepto irrito diſcedit. Nec minor in templo Modeſtia Ducis fuit, quàm in hoſpitio fuerat.

rat. Scabellum ad genua ſubmittenda, ſelláque ad conſidendum apparata erant, penè regio cultu. At ille non luxum ex Lauretana Æde ſed pietatem petens, adeò aſpernatus eſt, vt ne aſpexerit quidem; in auguſtiſſima porrò Virginis Cella vſque eò Chriſtiana ejus humilitas pietáſque enituerunt, vt cæteris miraculo forent. Nam tanta animi corporíſque ſubmiſſione ſupplicabat in turba, vt vnum aliquẽ de populo crederes. Obverſabatur, credo, ejus animo Dei Filius, *qui cùm in forma Dei eſſet*, inibi *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* Ita porrò aſſiduus erat in ſupplicando, vt in B. Virginis domo habitare videretur. Nec obſcuriora reliquit Laureti munificentiæ ſuę, quàm religionis veſtigia. Pręcipuum ejus donum fuit libellus ex auro ſolido, qui trifariam diviſus quatuor velut paginis gemmata ſigilla egregiáſque imagines continet. Integumentum ex auro, vnionibus, gemmíſque clariſſimis opere mirabili perfectum pendet ex tribus catellis aureis, quas ex

prçſidiariis communium incommodorum ſenſu, & decreſcente quotidie annona ad ſaniora conſilia compulſis. Ferdinandus etſi per vim potiri vrbe poterat, eam tamen Fratri incruentam tradíturus, non veniam modò, ſed pecuniam etiam in ſtipendium obtulit loco deceſſuris. Kal. Feb. deditio facta eſt. Vrbs poſtridie Fratres Principes, velut auctores Salutis ſuæ auſpicéſque Libertatis, incredibili omnium ordinum gaudio accepit. Miles confeſtim ad Bettbergenſe oppidum adductus eſt, quod Schrekhius quidem Buſcoducenſis, ei à Nuenario præfectus, totius Provinciæ Spoliarium effecerat. Eburones admotis de nocte ſcalis oppido potiti ſunt. Arcis expugnationem majoris operæ futuram ſpes prædæ opinione faciliorem reddidit, vniverſis vel cum capitis ſui periculo diteſcere properantibus, via vi facta, & Screkhio deditio IX. Mart. extorta eſt. Caſtra deinde ad Lippam promoventibus hoſtis in Ponte Kruidenburgenſi XXVIII. Mart. faceſſere negotium auſus, lo-

locum vltra quintam horam non tenuit. id tempus omne velitationibus abſumptum, eo eventu, vt gratius accidere hoſti nocturnis tenebris nihil potuerit, quæ fugienti pro clypeo fuere. Maximis itineribus proficiſcentem Ferdinandus tertio die, qui Martii vltimus fuit, ad oppidum Burgenſe aſſecutus, inſigne ex juſto prælio decus retulit, quod tamen præludia non ſpopondere, noſtris pedem tertiùm referentibus, donec perrupto disjectóque transverſario è vaſtis trabibus ſepto, juſta ad Truchſeſſianos via patuit. Illic ſumma virtute redintegrantibus certamen, hoſtis ferocia par non fuit. Ferrum fluménque pereuntes inter ſe diviſere. Cæſos non pauciores millenis, Ferdinandus Trophæis ſuis adſcripſit; cùm ſuorum vulnera funeráque ſupra viginti vnum non numeraret. Henricus Brunſuicenſis copiarum hoſtilium Dux cùm liberandi ſigniferi cauſâ medio ſe agmini intuliſſet, ignotus in noſtrorum manus venit. Ferdinandus nihilominus humaniter compellatum,

greſſus non triumphantis more, quod felicitati ejus debebatur, ſed ſupplicantis habitu ad DeiparamDuntenhuſanam profectus, illi non victorias modò, ſed ſalutem etiam ſuam eſt gratulatus; quòd ea quoque in apertum adducta diſcrimen, ſub Mariano tamen Clypeo latuiſſet. Octo Sicarii primùm in ejus Fratríſque Erneſti perníciem à Truchſeſſianis auctorati, in ipſo parricidii apparatu, à conjurationis ſocio, tormenta animi malè ſibi conſcii non ferente, proditi ſunt. Globus deinde à baliſta in adverſum Ferdinandi delatus pectus vires ſuas momento perdidit, veſtémque innoxiè lambens, luculenta in ea veſtigia longo diffuſa tractu impreſſit; vt fatalem illam vim à diviniore retuſam nemo non agnoſceret; ipſe quidem etiam oſtentavit, eúmque perpetuum pietatis gratíque animi ſtimulum habuit. cúmque ad *Wilhelmi* Fratris augúſtum opus ſuas ipſe quoque ſymbolas contuliſſet, Campanis quaternis ſuo ære fuſis, & D. Sebaſtiani Arâ inſtrumento omni neceſſario

ſario excultâ, eidem Divo, quem tutelarem ſibi legerat, propriam Ædem ſanè perelegantem à fundamentis extruxit, & decentiſſimè ornatã Anno LXXXVIII. dedicavit. Vetus etiam Sodalitium ejuſdem Martyris honori jam olim ſacratum, ſed obſoletum collapsúmque in majorem, quàm vnquam habuerat, celebritatem reduxit? ea quoque in re fratris ſtudia æmulatus; qui cùm id Mortalium eum Cælitibus commercium & novæ jura neceſſitudinis vehementer probaret, iisdem initiari ſacris, & ſtata vſitatorum rituum ſolennia obiturus, nomen ſuum velut vnus de multis in communi ſpectari Albo voluit, iiſdém deſideriis Filios accendit; vt, quod Deiparę ab Angelo Salutatæ Nomen præfert Sodalitium, iis Sideribus in ſuum inſertis Cœlũ perpetuò ſit gloriaturum. Illo ipſo anno, quo Colonienſe bellum ſopitum eſt, Sereniſſimus Avus tuus, *Maximiliane Emanuel*, Sodalitio illi jam ſecundùm præfectus *Philippum* Fratrem deſignatum Ratisbonæ Epiſcopum; proximè

ximè ſequente *Ferdinandum* alterum Fratrem & Marchiones Badenſes duos in Marianum cœtum cooptavit; quòdque præter ipſum fortaſſe conceſſum eſt nemini, in vniverſa Germaniæ Sodalitia ſupremam Româ poteſtatem accepit; quem ſi egregiis factis reſpondentem muneri ſuo hic oſtendere totum vellemus, minùs jam cuiquam mirum videri poſſet, illis teneræ pietatis inſignibus tot incrementa dignitatis ſucceſſiſſe. Quo cultu David olim ſpectari voluit vilis ſibi, pretioſus Deo, eodem hic Marianæ Juventutis & *Boicæ* gentis Princeps ſupplicantiũ Pompam A. LXXXVII. linteatus per urbẽ; LXXXIX. penulatus cum duobus, quos nominavi, Fratribus in Montem S. pedes duxit. Ad quod exemplũ *Ferdinandus II. Imp.* Avus Maternus Sereniſſimi Parentis tui, *Maximiliane Emanuel*, Ingolſtadii A. XCIV. Propatruíq; tui tres *Philippus*, *Ferdinandus* & *Albertus* ſublimem Servatoris in Cruce effigiem ſibi mutuò ſuccedentes palàm prętulere; quod Monachii, ſuperioribus temporibus, à Ferdi-

nando *Wilhelmi* Fratre & Landgravio Leuchtenbergenſi factitatũ, magnos in animis hominum motus excitârat,feliciratem ſeculi ſui inde æſtimantium,quòd ſimile pietatis miniſterium in Joanne olim Comneno Cæſare ſemel ſpectatum, jam rarum & inſolens eſſe deſineret, hanc in Imperatorias familias morum metamorphoſin introducente *Wilhelmo*, quem Chriſtianæ modeſtię Signum Principibus efferentem, nulláque mediocri contentum Virtute non ſuus modò Sanguis, ſed Chriſtiani Heroës plerique nitentem ad ardua æquis paſſibus ſunt ſecuti. Anno LXXXV, jactis Collegii Monacenſis Fundamentis, quod ſurgenti tum maximè Templo eâdem magnificentiâ, *pro ſua in Catholicam Religionem & Societatem JESV pietate*,quemadmodúm Imago illius primo inſerta lapidi loquitur, adjungendum putavit; Lauretanam peregrinationem commemorabili pietate ſuſcepit; quæ quia egregium è Societate Noſtra nacta Scriptorem eſt, Horatium Turſellinum, ipſius verbis red-

reddetur. *Wilhelmus Bavariæ* Dux, Vir vel opibus vel pietate Germani nominis longè princeps, Paternæ in Virginem Lauretanam munificentiæ memor, regalis opulentiæ dona partim miſit Lauretum, partim attulit. Inter dona miſſa erant Equus generoſiſſimus, laminâque argentea ebeno incluſa, vbi *B. Mariæ IESVM* puerum gremio geſtantis, Ioſepho fugæ comite in Ægyptum, effigies expreſſa cernitur. Candelabrum item argenteum penſile non magis pondere, quàm opere egregium; pondus eſt librarum LXXX. opus autem ejusmodi, vt quatuor & viginti veluti rami ex eodem emineant trunco ſcitè omnes venuſtéque diſpoſiti; adeò vt totidem cereos laxè ſuſtineant. Ergo id Candelabrum in ipſa Virginis cella perpetuò ante ejus effigiem pendet, nobile omnino Bavari Ducis donum; ſed hòc nobilius, quòd dotatum venit. Dotis nomine perpetuum aſſignatum à Duce ſtipendium, vt quotannis per quadragenos dies feſtos ac ſolennes candelis vicenis & quater-

nis candidis B. Virgini luceat. Inde Dux ipſe ſua munera ſecutus, & quatuor duntaxat comitantibus, Lauretum, mutatis ſubinde equis, cucurrit ignotus. Annus agebatur MDLXXXV. Eximia tanti Principis modeſtia pietatem quoque inſigniorem fecit. Námque humanas aſpernatus delicias, vt divinas liquidiùs hauriret, publicum magnificúmque Principibus excipiendis deſtinatum hoſpitium poſthabuit privato tenuíque. Quippe ex aulici ſtrepitûs pompæque faſtidio, avidus religioſæ quietis, ad Patres Societatis IESV, de quo ordine optimè meritus erat, perfamiliariter divertit; ibíque apud eos dies aliquot diverſatus eſt, vulgari quidem victu cultúque contentus. Cæterùm tanta Virtus diu latere non potuit. Præſes, Bavari Ducis adventu cognito, properè ad eum venit; perliberaliter invitat hoſpitio, rogitat, vrget, inſtat. Demum vt obfirmato animo recuſantem vidit, incepto irrito diſcedit. Nec minor in templo Modeſtia Ducis fuit, quàm in hoſpitio fuerat.

rat. Scabellum ad genua ſubmittenda, ſelláque ad conſidendum apparata erant, penè regio cultu. At ille non luxum ex Lauretana Æde ſed pietatem petens, adeò aſpernatus eſt, vt ne aſpexerit quidem; in auguſtiſſima porrò Virginis Cella vſque eò Chriſtiana ejus humilitas pietáſque enituerunt, vt cæteris miraculo forent. Nam tanta animi corporíſque ſubmiſſione ſupplicabat in turba, vt vnum aliquẽ de populo crederes. Obverſabatur, credo, ejus animo Dei Filius, *qui cùm in forma Dei eſſet*, inibi *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* Ita porrò aſſiduus erat in ſupplicando, vt in B. Virginis domo habitare videretur. Nec obſcuriora reliquit Laureti munificentiæ ſuę, quàm religionis veſtigia. Pręcipuum ejus donum fuit libellus ex auro ſolido, qui trifariam diviſus quatuor velut paginis gemmata ſigilla egregiáſque imagines continet. Integumentum ex auro, vnionibus, gemmíſque clariſſimis opere mirabili perfectum pendet ex tribus catellis aureis, quas ex

aureo fluentes annulo ingens Sapphirus excipit. Fama eſt, hoc donum octo aureorum millibus æſtimatum; nec fermè aliud eſt in Ædis Lauretanæ theſauris, quod jucundiùs à peregrinis avidiúsque viſatur. adeò non ſolùm ornatus, ſed etiam interiorum imaginum ſigillorúmque eximia pulchritudo ſpectantium oculos rapit, arte certante cum copia. Ejuſdem donum Chriſtus aureus fuit, ea ſpecie, qua redivivus exiſtit è ſepulchro; ſed ſepulchrum adamantibus pyropíſque collucet. Hæc ille. Eodem, quo ſuſceptum iter hoc ſacrum eſt, anno, Ingolſtadii pro Alumnis ſuis cæteríſque promiſcuè ſub Societatis diſciplina victuris elegans imprimis & peramplum contubernium ſub S. Ignatii M. tutela extruxit; útque Collegium noſtrum Ignatiano continuaretur, bis mille quingentos aureos altero confeſtim anno eſt largitus; eodem tempore conſilióque Monachii quoque pro Studioſis convictoribus anguſtè antehac & in domo malè materiata habitantibus nobile ædificium

um molitus; cúmque anno LXXXVIII. eò commigratum eſſet, cum Sereniſſima Conjuge, Ferdinando fratre & Maximiliano F. illic prandere dignatus; tenuiorum nihilominus & alienâ quadrâ viventium non immemor: nam horum quoque non pauciores quadraginta collegit, dimenſúmque iis quotidianum ex ſuo penu conſtituit; quod collatitia piorum ſtipe ſubinde auctum, alendæ *D. Gregorij* Clientelæ, præſtantiúmque virorum, qui inde prodiere, plantario fovendo in hæc vſque tempora ſuffecit. Primus Fratris liberalitati Symbolam adjecit Ferdinandus, pecuniâ, vnde quadrageni annui aurei redirent, contributâ. Miſſa per idem tempus *Wilhelmo* autore Ratisbonam Societatis IESV Colonia locum inter iniqua omnia, eo auſpice & Patrono freta tenuit; annóque LXXXIX. in deſolatum D. Pauli Monaſterium à D. Wolfgango loci Epiſcopo olim conditum ejusdem beneficio introducta, laboris in ſterili vtcunque ſolo optimè collocati fructum, ex-

tortáque frementi hæreſi ſpolia libenter ad illum poſt Deum refert, cui ſua principia debet, imò & incrementa; cùm Patrem huic ſe cœtui ſemper præbuerit, eodémque apud ipſum jure hoc veluti adoptivum Collegium fuerit, quo vel Monacenſe, vel Oetingana Sedes, Antiquiſſimo plenóque prodigiis Mariano Sacello Anno MDXCII. eo conſilio ab Optimo Principe affixa, vt qui ſalutem corporibus cæteríſque finem malis inde repetunt, paratos etiam ad manum habeant medicos animorum. quos quanti faceret, tum aliàs, tum XIV. Kal. Feb. ejus anni, quem vltimo loco nominavi, in Triclinio Monacenſis Collegii prolixiſſimè teſtatus eſt; cùm præſentibus Conjuge, Ferdinando Fratre, & ex Filiis natu maximo minimóque, dictatum à ſe Cancellario Panegyricum recitari ab illo, applaudíque laborum noſtrorum felicitati voluit, comparari tempora temporibus, aliáque, quæ verecundia noſtra neque nunc efferri patitur, non numerari ſed expendi, ſuíſque æſtimari

mo-

momentis pretiiſque; quæ ſingula cùm meritò Principis animum non modò immortali lætitia perfundant, ſed debitorem noſtrum nomine publico conſtituant; eapropter Templum, Collegium, Gymnaſium, eorúmq; dotes opéſque velut debita ſtipendia, caſtra, armamentaria delectis *Bojariæ* militibus pleniſſimo jure noſtra eſſe velle, dare addiceréque id vnicum voventem, vt conſilium ſuum Patriæ Bono ſuſceptum ratum Deus æternúmque velit. Vbi hic dicendi finem fecit, *Wilhelmus* tabulas liberalitatis ſuæ teſtes Rectori in manus tradidit, eo vultu, qui non dantis ſed accipientis beneficium videretur. Sed ſimilium monumentorũ pleni omnium Annorum Faiti ſunt, neque Patrii tantùm Provincialéſque, aut noſtri adeò orbis; cùm ad Sinas etiam Japonéſque, vt propinquiores omittam, pertigerit longa hæc largáque manus, & arida omnia egentiáque imbre aureo compluerit; quæ quia in Epitomes anguſtias conſtipari omnia non poſſunt, iſtud hic legi ſatis ſit, *Wil-*

*helmum* ſui ſemper & vbique ſimilem fuiſſe; eúmque etiam cùm privatus viveret, benefaciendo tamen non Principem tantùm ſed Regem egiſſe; cæteríſque curis, quemadmodum ſuprà dixi, in Filium translatis, ad Religionem Pietatémque ſtabiliendam ornandámque pertinentes cum illo tantùm communicâſſe. Itaque quanquam extra virtutes hucusque nihil produximus, Annis tamen XXIX, quos ſibi ſepoſuit ad animi cultum, major rebus mortalibus ipſa virtutum faſtigia ſupergreſſus eſt, tantò conſpectior orbi, quantò ſe altiùs depreſſit. *Philippum* Filium Cardinalem & Ratisbonenſem Epiſcopum, ingentésque cum illo ſpes, proximo poſt abdicationem anno, extulit pulcherrima morte defunctũ; à cujus formidine tam longè abfuit, vt à Medicis arti ſuæ ſpeíque renunciantibus conclamatus, præſentiſſimo animo, vultúque, quàm morbus pateretur, hilariore reſponderit, *Amici, in cœlo ſuavius vivemus.* ſolatii nullius indigus ipſe mœrore torpentes excitavit. revoca-

vocatus ad memoriam familiaris Symboli, quod Pſ. XXVI. initium fuit, *Dominus illuminatio mea*; Pſalmum ipſum adjutus à pluribus percurrit;at vbi ad illum verſiculum ventum eſt; *Vnam petij à Domino; hanc requiram:* incitavit ſeipſum, ne quis ea ſibi verba præciperet; neque deinceps quidquam locutus, in hac ſuorum ſumma votorum acquievit, ſopitus veriùs quàm mortuus; vt *Renata* Mater trepidare euſque ad memoriam mortis ſolita exclamaverit; Ergo meus jam *vixit?* hoc illud eſt, quod terribilium omnium terribiliſſimum dicitur? eo ſolo ſpectaculo ad Mortis contemptum adducta. quanquam, vt propiùs ad eam accedam, ſic vixit *Renata*, vt communes humanę formidinis cauſæ ad illam non pertinerent. Quod adhuc Infantulæ, jam à medicis depoſitæ, ſed ex voto Lauretanę Virgini nuncupato convaleſcenti, cum ſtupore totius Regiæ primum ex ore verbum excidit, *Gloria tibi Domine*; idem per reliquam ejus vitam omnem dicta factáque ejuſdem

ſin-

ſingula ſonare viſa ſunt & loqui. Innocentiam ex fonte Luſtrico elatam nulla ab ea vnquam graviore noxa inquinatam ij, qui nihil ejus ignorare potuere, fidenter pronunciârunt; & Guidobonus Vir Illuſtris, eique per annos XL. familiaris & aſſiduus, juratus affirmavit, nullum ſe Heroinæ hujus verbum, nullum geſtum motúmque corporis obſervâſſe, qui non eſſet ex lege caſtigatiſſimæ Virtutis. Decem vtriuſque ſexus Liberûm Mater, ex quibus *Magdalenam*, illam ſeculi noſtri Theodelindam & Palatinatûs Neoburgici cum Deo & Eccleſia Conciliatricem, vltimo partu Anno LXXXVII. enixa eſt, annis quindecim, quibus ſuperfuit, continentiam cum Marito, Trigeſimum nonum ætatis annum nondum egreſſo, ex compacto coluit. Pietate in Deum incomparabili, dieique ordinem ita partita, vt ad corporis curam vix quidquam inde carperetur; in Religionis cultum omnia propè momenta cederent. cum Deo loquentem, vel cum illa Deum ſemper offendiſſes,

quæ-

quæque ille imperaſſet, ſtrenuè molientem. Mater Pauperum non ſolâ benevolentiâ, ſed perpetuâ beneficentiâ fuit. *Eliſabetham* redivivam diceres; cujus cùm ſibi mores geniúmq; omnem velut in ſpeculo ad æmulationem propoſuiſſet, Ptochotrophii ſub ejus nomine condendi auctor fuit, ínque opus illud viginti aureorum millia de ſuo contulit. Duo aureorum millia quotannis ei redeuntia Cenſus & Ærarium Pauperum fuerunt; obulum aliorſum inde avertiſſe, piaculum cenſuit. Septuaginta duæ Anus Inopes illius veluti ſacrum Gynæceum fuere, ſed cui ipſa famularetur, duodenis quotidie apud ſe epulantibus apponere menſam ſolita; cùm idem obſequii genus Maritus impenderet viris. Nemo pupillorum illa vivente orbum ſe ſenſit, nullus ſine ſolatio relictus eger, cùm Chriſtum in omnibus agnoſceret, ad decumbentium lectulos velut ad delicias ſuas properabat; & ne quis diligentiam ejus fugeret, exploratores circitoréſque aluit, qui per omnia mapalia veſtiga-

Oettingano ſacrario collecta domum rediit, & ſola fatalem ſenſit amavítque, vt fontem melioris vitæ, quam XXIII. Maii Anno MDCII. inchoavit. Funus illius in D. *Michaelis* Æde, inter patriæ lacrymas, ampliſſimo apparatu curatum eſt, planè vt Divæ & Apotheoſin Chriſtianam judicio publico meritæ. Cor exemptum *Wilhelmus* ſuum dixit, circumtulítque, quoad vixit, venerabundus, Pignus rariſſimæ Concordiæ, ex qua *Renata* Symbolum coaluit, *Cor unum & Anima una.* Nullum id conjugum par veriùs vnquam vſurpavit, in tanta *Vnitate morum animorúmque. VVilhelmus* Viduus propoſitum Vitæ non tenuit tantùm conſtantiſſimè, ſed etiam intendit, ſuo duntaxat jam pede ſe metiens, neque ad aliud exemplar exigendus. Cùm peregrinis hoſpitalem Domum ſtruxiſſet, eandem palæſtram eſſe ſuam voluit, & ſacrarum Circum Exercitationum. Ab extremo Septentrione & vltima Britannia adventantibus, donec vires tulere, abluebat pedes, indigno talibus

ma.

manibus miniſterio, niſi Dei Filius præiviſſet. imprimebat lotis oſculum, ne ſaniem quidem & vlcera faſtidiens. accumbentibus inferebat ipſe cibum, eundémque condiebat ſerenitate vultûs & ſuavitate ſermonis, vir haud dubiè D. Gallicano major, *ad quem ex Oriente & Occidente confluxiſſe* ſpectatores, Acta ejus memorant, *ut viderent Virum ex Patriciò & Conſule, qui eſſet Auguſtis amiciſſimus, lavantem pedes, ponentem menſam, aquam manibus affundentem languentibus ſolicitè miniſtrantem, & cætera ſanctæ ſervitutis officia exercentem.* Triduum ad hunc modum recreatos iterúmque accinctos ſtipe etiam proſecutus eſt, tam largâ quidem, vt anno vnico tria florenorum millia & quingenti in expenſarum tabulas venerint. Domum alteram ſuę continentem tribus deſperatè laborantibus conſecravit, quorum curam ſine conſorte ſibi ſumpſit. Ad hos itabat de die ſæpius; neque aſſidebat duntaxat lectulis verboſus Patientiæ magiſter; ſed egregia dicta animabat factis, ſtringens vlnis tabi-

tabida membra, ſublevans versánsque querentes de incommodiore ſitu, ingerens ori cibum, & languidarum officio manuum fungens. Ex vltima hominum tribu bis térve per hebdomadem legebat convivas, cùm ſcilicet jucundiſſimè epulari vellet; iísque ſummo loco accumbentibus, occupabat vltimam ſpondam ipſe carptor ciborum & pincerna, ſolicitúſque, ne parùm lautè acciperentur. Procedebant interim ſeptuagenariis, quas nominavi, cohortibus Virorum Mulierúmque ſua diaria ſtatæque ſtipes; quas ne planè gratuitas faceret, jubebat illos ſuos Epulones, quotmenſibus etiam cæleſtis menſæ eſſe convivas; úrque immortalem hanc ſportulam faceret, annuis illam proventibus dotavit. Ad Vrbana Ptochotrophia quot hebdomadibus reviſit, ſolatia ægris per omnes lectulos diſpenſans, ipſe ſemper ab alloquio miſerorum ſerenior reverſus; quod cùm longo vſu comperiſſet, venabatur etiam ruri per pauperum gurguſtia opportunas ſaginandæ

Charitati prædas; neque Elephantiacorum caſulas prætericns, & in ſingulis ſalutans recreánsque Chriſtum. Peregrinis,quos dixi, ægríſque domeſticis ſuis, ſi qui ad extrema tenderent, vltimam pietatis operam mirifica ſolicitudine impendit; vt cœlo etiam inſereret, quos ſibi tam familiares habuiſſet. prodibat ipſe in funus,perſolvebátque juſta, alio mox ad explendam jacturam conquiſito, ne SS. *Triadi* dicatus Numerus decreſceret. Hæc cùm ille perpetuò faceret, mirum eſt,ſi Principem eſſe ſe meminit,& non potiùs quemcunque de populo, imò infra illum. Exempla quidem, quæ à noſtro ęvo peteret, nulla habuit. ſed neque ad Sanctorum Principum normam vivere ſuſtinuit, cùm Principem exuiſſet,in rigidiſſimas illas leges intuebatur, quas ſibi vetera illa Mundi Miracula Pauli, Antonii, Macariíque dixere; quos vt vilitate amictûs,in Talari pulla, inſignibus modeſtiæ notíſque ſupplicantium teſſeris orbi vtcunque repręſentavit; ita in ipſa Regiâ ſua,& Sub-

urba-

urbanis Schleiſshaimenſi & Neideckhiano ſeceſſibus, Ægyptiarum ſolitudinum ſimulachra & religioſi plenas horroris Lauras multo miróque opere molitus, iiſdémque abditus, & tantùm non ſepultus ſibi vivebat & Deo, maceratúmque jejunio corpus ſecabat flagro, vrebat Cilicio, & in ſtrato junceo exporrigebat ad brevem quietem, mox ad propitandum orbi Numen rediturus. Inter opera ejus poſtrema Ædes *Carolo Borromæo* poſita eminet, cui etiamnum vivo ſimilitudine morum conciliatus, cœleſtes honores digniſſimo vtriusque magnitudine monumento eſt gratulatus, hoc vitæ tenore ſeptuageſimum octavum ætatis annum aſſecutus, & nihilominus de Itinere Æternitatis ſolicitus, quæſivit jam abituriens ex moderatore Conſcientiæ ſuæ, quo ſeſe ritu Noſtri ad illud compararent? eundémque vt ſecuriſſimum amplexus, nulla re omiſſa, quæ juvare hinc decedentes poteſt, Sereniſſimis Filiis præſentibus, An. MDCXXVI. VII. Feb. inter Noſtrorum Patrum vota, placidiſſimo fine,

Sereniſſimo Electore interprete, *Non mortuus eſt, ſed vivere deſiit.* cum Ferdinandus Frater Anno MDCVIII. Erneſtus XII. eum præceſſiſſent. Vltimis mandatis omnem à ſuo funere pompam proſcripſit, Muſis etiam deterritis, ne in ſuas laudes, quæque ipſe nulla in ſe agnoſcebat, decora effunderentur; nihil vt ijs relictum ſit, præter hanc de nimia Principis modeſtia querelam, in qua dum ſe Poëtæ torquent, & omnia Mauſolei latera, quod Collegę Monacenſes Fundatori Parentíque Opt. Max. longè, quàm ipſe voluit, ſplendidius, quámque ipſum decuit, tenuius poſuere, hoc vno argumento explent, id tamen aſſecuti ſunt, vt *Nihil* & *Omnia* dixiſſe arguerentur. Templo à Proceribus Palatinis; Tumulo Noſtrorum manibus humeríſque illatus eſt, quos inter authorem potiſsimum operis hujus quoque Morienti adſtitiſſe, & ſuccollaſſe Mortuo ſcire juverit. Tractavimus nobile pignus velut Cœli Indigetis, & Templi à ſe conditi deinceps Tutelæ & Patroni. Sic ſen-

ſentire nos argumenta cogunt, quibus *Pium* demonſtravimus. Sed & *Felicem* quis neget fuiſſe, cui vni omnium *Bojariæ* Principum contigit vivo Tres *Filios* videre in *Purpura*, Cardinalem ſcilicet S. R. E. & Duos S. R. I. Septemviros? De cœlo quoque nihil Serenioribus oculis aſpicere credam, quàm *Te, Maximiliane Emanuel*, ſuis conceſſum votis *Pronepotem*.

# MAXIMILIANUS WILHELMI F. S. ROM. IMP. SEPTEMVIR ET ARCHIDAPIFER DUX BOIARIÆ SEXAGESIMUS.

*Quem modò calatum parvo ſpectatis in are,*
Maximus *are, manu, conſilióque fuit.*
*Heroëm tantum ſi tempora priſca tuliſſent,*
*Plures æquâſſet ſolus in Orbe Deos.*
*Mars illi clypeum, gladiū & ſua jura dediſſet,*
*Armigeri, latus, ſe tenuiſſe locum.*
*Parnaſſum & Muſas illi ceſſiſſet Apollo:*
*Jupiter offerret fulmina, Plutus opes.*
*Et coleret Minos Juris rectique tenacem:*
*Hoc doctore Themis diſcere jura queat;*
*Hoc Cenſore Cato diſcat componere mores:*
*Ipsáque Majeſtas ſit ſibi viſa minor.*
*Curia non Conſum tali Duce prenſet: & Ipſa*
*Conſilia è cœlo cum Salomone capit.*
*Miratur totus, quem famâ impleverât, Orbis,*
*Unum perſonas tot valuiſſe Ducem.*

PRodit tandem poſt Henricos, Othones, Ludovicos, Albertos, Wilhelmos, magnos utique Heroas, ſi non major omnibus, nullo certè minor, *Maximi-*




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

ſp
gr
qu
ne
ci
D
ra
ci
ſel
m
te
pu
gr
ta
bi
ta
ſu
ſu
n
c

*ximilianus I.* Sic quod tantillæ epitomes ſpatiis deerit, ſupplemus ingenio, & Magnum anguſto repręſentamus in folio, quem vel inter gigantes oſtendimus eminere. Minorem dare Reipublicæ Principem præcelſa Wilhelmi & Renatæ in Deum pietas non debebat, vt ſciret Bavaria, paribus procedere paſſibus Principum ſuorum Religionem, & publicæ felicitatis incrementa. Annus agebatur evoluti proximè ſæculi ſeptuageſimus tertius, cùm Aprilis die 17. natus bono publico Princeps noſter, Theatrum ingreſſus eſt illuſtribus olim factis nobilitandum. Cunas dedit Landishuta, nobilis civitas, nobilior deinceps tantis natalibus futura. Nomen Cæſar impoſuit *Maximilianus*, Sponſor luſtricus: quò, ſicut ab Hiſpanis ad Auſtriacos, Ferdinandi, ita ab Auſtriacis ad Bojariæ Principes tranſiret nomen *Maximiliani*.

Magna tenellus etiamnum excelſæ dabat indolis ſpecimina, quæ, ne culturæ defectu ſylveſceret, ſolicitus Genitor, ſeptimo ætatis anno, Matronarum è con-

tubernio eductum, moderatoribus optimis credidit, additis præter exempla domeſtica præceptis lectiſſimis, quorum ad ad amuſſim tenera mens formaretur, procul à tam charo pignore abeſſe juſſis, quorum vel verba vel facta honeſtatis integerrimæ legibus non ſatis conſonárent. Sic animo labis puro, & malè blandientium voluptatum cupiditate libero, facilè inſeri potuerunt artes, conformes ſpei, in quam creſcebat. Nam tum alias nobiliores Europæ linguas, tum illam maximè condidicit, quę eruditi mundi civem facit, eâque tam non incultâ utebatur, ut Principem etiam hîc agnoſceres, ſive loquendum eſſet ſive ſcribendum. Neque à dicendi formulis character abludebat, eá elegantiâ concinnitatéque elaboratus, vt quæ hodiéque curioſis ejus oſtentamus ſpecimina, cunctos rapiant in admirationem; operæ pretio non tam in præſens eximio, quàm indubio magnæ indolis argumento, quæ dum in minimis quoque nihil molitur mediocre, naturali pondere ſe inclinari

ad

ad maxima demonſtrat. Atque huc ſuâ tantùm induſtriâ, non æmulorum contentione progreſſus eſt, donec altioribus maturus diſciplinis Philoſophos Ingolſtadii Legúmque Doctores audiret, & ſuis Juvenum animos exemplis ad pietatis non minùs, quàm eruditionis ſtudia incitaret. Nec defuit par tanto pugili æmulus, Ferdinandus Auſtriæ Archidux; quaſi jam tum ludens humanis in rebus Providentia committere interſe vellet, qui ambo quondam Imperio pares erant judicandi. Certè mutuæ conſuetudinis capti dulcedine; affectuúmq; ſimilitudine, occulto, ſed tenaci vinculo, colligati, per omnem deinceps vitam amârunt invicem obſervârúntque, redundaturo in Rempublicam tantæ conjunctionis bono, dum animis idem ſentientibus, manus quoque in Patriæ Fideíque tutelam erant conſpiraturæ.

Interea annos egreſſus octodecim *Maximilianus* major jam erat, quàm ut ſcholaſtico in pulvere diutiùs deſudaret.

ret. Monachium proinde ad arcanas deliberationes evocatus, regendi artes diſcebat à regentibus,& quâ erat calliditate, non minùs è Patris adminiſtris noſcebat conſilia, quàm ex conſiliis miniſtros; quorum fidei dexteritatíq; quanto plura committere Principē neceſſe eſt, tanto cujúsque facultates magis oportet habere perſpectas: nec facilè alibi majore ſuo ac reipublicæ periculo errant Principes, quàm in idoneorum adminiſtrorum delectu. Quo quidem ab errore, quoad ferè homini fas eſt, immunis ſemper fuit *Maximilianus*, ſapientiæ laude incomparabili; cùm genuinam à fucatā, ſolidam ab inani futilique Sapientia nemo diſcernat, niſi ſapiens. Quisquis vel alienis oculis hanc rem permiſerit, vel ſuis quidem utatur, ſed parùm perſpicacibus, incidet fortè in idoneum, non reperiet, ſemper illi miſerandę regentium ſorti obnoxius, vt regatur à ſubjectis, ſerviátque magìs, quàm imperet. Nec occultum id malum eſſe ſolet; emanat paulatim in vulgus quoq; grande

de ſecretum, relicto penes Principem nomine, rerum arbitrium apud alios eſſe; quę res æmulis ac invidis Aulas implet, ludibrio exponit ac contemptui Imperantis majeſtatem. Tam indignæ ſervitutis compedibus ſua *Maximilianum* indoles, acerrima judicii vis, & adhibita in tempore diſciplina in omnem deinceps ætatem exemerunt. Interim vt verecundam verborum parſimoniam, quâ in familiari cum viris Principibus congreſſu peccare credebatur, emendaret, aliarum quoque gentium mores atque ingenia uſu ipſo internoſceret, jubente ſic Patre Wilhelmo, adiit Pragæ Rudolphum ſecundum Rom. Imperatorem, Romæ Clementem VIII. Pontificem Maximum, Nanceii Carolum Auſtraſiæ Regulum tum Patruum, mox etiam ſocerum, ſummis ubique honoris ac benevolentiæ argumentis exceptus. Clemens certè medium inter Purpuratos Patres aſſidere juſſit, qui venerabilem illum conſeſſum claudebant: loco iis cæteroquin tantùm Principibus conce-

dii

di ſolito, qui Regibus minores, populos jam regunt nulli alteri poteſtati obnoxii. Luſtravit etiam Neapolim, tranſiit per Inſubres, nobilis quoque ad Ædem *Dei Matris* Lauretanam Peregrinus. Subinde anno quarto ſupra nonageſimum Imperii Comitiis pro Wilhelmo interfuit, altero mox Conjugem ducturus Eliſabetham, Caroli, quem diximus, Auſtraſiæ Ducis filiam, quam, ne illaudatam prætereamus, nec tamen immoremur, multa verbo complexi, dicamus: Supparem fuiſſe *Maximiliano.* Hæredem tamen ex illa, ineunte anno 1635. defunctâ Princeps non genuit.

Parabatur ſub hæc Boicæ ſpectaculum, quo neſcio an illuſtrius rariúſque conſpexerit. Rexerat Wilhelmus à Patris Alberti obitu Provincias per annos denos ſupra ſeptem, ea nactus tempora, quibus pacem, quàm vnicè adamaverat, domi coleret, Martem & terrorem foris in recti & Religionis hoſtes circumferret. Tam proſperè navigantem, quis credidiſſet portum reſpicere, cùm vel inter

inter ſævientes fluctuum tumultus dulce pleriſque videatur, ad clavum ſedere: & alia Wilhelmo mens, qui ſatur omnium, quæ multorum aviditas immodicè exambit, omne Provinciarum adminiſtrandarum onus in vegetos juventâ *Maximiliani* humeros rejecit, dubium, majorine ſuâ, an Filii commendatione. Nam etſi humano quidpiam majus eſt, cedere Principatu, quem vires animi corporiſque adhuc ſpondeant diuturnum, neſcio quid tamen plus habet admirationis, Patris etiam judicio talem cenſeri, qui tradito imperio tam ſapienter ac moderatè ſit vſurus, vt nec Patri grave ſit, majorem Filium ſuſpicere, nec Filius deſinat minorem ſe Patrem obſervare. Et verò licet maxima ſperaret de Filio optimus Parens, ſic tamen *Maximilianus* ſpes ejus eluſit, ut ipſum votorum apicem factis transgrederetur, totos, triginta & ampliùs annos, quibus Wilhelmum ſuperſtitem coluit, non pace modò lætiſſimâ felix, ſed cùm hoſtium perfidia nudare ferrum coëgiſſet, com-

pluri-

pluribus adoreis, actíſque clariſſimis Triumphis glorioſus.

Quis jam calamus per undecim, & quod excurrit, luſtra, publicis pro Patria, Imperio, Religione, Deo curis intentum, rebus maximis inchoatis ſapienter, promotis fortiter, perfectis feliciter celebratiſſimum aſſequatur? Qui nuper trium voluminum erudita lucubratione Boicæ Gentis hiſtoriam complexus eſt, partem prægrandis operis tertiam vni impendit *Maximiliano*: an vel ſic tantum deſcripſerit, quantus re vera fuit, non pronuntiarim: illud ſanè non tacitè eo facto profeſſus eſt, tantum plausûs in hoc Theatro unum collegiſſe *Maximilianum*, quantum tricenis aliis ſpectatores non impenderint. Aſſentatoribus annumerâſſemus ſcriptorem, ſi viventem laudâſſet; ſed in eum collata encomia, à quo ultra nil ſperes, dulci veritatis tormento expreſſa ſapienter exiſtimantur. Nos equidem gnari, quòd non laudamus illaudatum, aut in memoria poſterorum ſepultum, ſilentio involve-

volvemus plurima, & velut in ampliſſimam laudum ſegetem delati, non totam avidâ falce meſſem involabimus, ſed ſummas duntaxat ſpicas ſolerti manu carpendo, conabimur in tanta ubertate non ſteriles videri.

Pendebat igitur ex *Maximiliani* arbitrio, & ad illius nutum volvebatur orbis Bavaricus: cùm ille, quod prudentis eſt, prius habuit nihil, quàm ut finem proſpiceret, ad quem omnium ſibi molitione operum eſſet collimandum. Incaſſum ſiquidem jaciuntur ſagittæ, quibus vel nulla, vel lippienti ab oculo meta præfigitur. Principem itaque ſe conſiderabat, amplæ quidem, ſed ejusmodi Provinciæ, cujus incolumitas à cæterarum penderet felicitate, quibuscum uno ſub Capite corpus conſtituat, adversùs vim externam tum ſolùm potens ac prævalidum, cùm arctiſſimo mutuæ neceſſitudinis vinculo colligatæ & conſentirent cum capite, & altera alterius, ſeu damna, ſeu commoda, ſua reputaret. Hæc ſolerter obſervanti, non fuit ardu-

um decernere, ea ſe de cauſa primis ac-cenſum Principibus, & velut ſublimi locatum in ſpecula, vt in ſalutem non minùs Imperii, quàm Bavarię intentus, utriusque detrimenta, quoad liceret, amoliretur, utriusque fide ſummâ, ſtuderet incrementis. Et verò hunc in finem contulit *Maximilianus*, quidquid vel naturæ dono, vel induſtriæ beneficio ſibi largiter comparârat. Atque vt quantus in ea re fuerit, luculenter appareat, juvat pernôſſe, in quæ tempora, in quos homines, Princeps verè Magnus, inciderit. Nam & Navarchi laudes fluctus attollunt, quibus edomitis everberatísque deſtinatum ad portum ſecura navis appellit. Facilè navigat, qui amicum Neptunum habet; ſed illo etiam offenſo iratóque à recto curſu non deflectere, artis eſt non raræ minùs quàm fortunatæ.

Ibant autem, per annos à ſuſcepta Principatûs curâ denos, tranquilla omnia, & quieta Bavaria pacis optatiſſimæ fructus, nullo hoſtile quidpiam moliente,

liente, colligebat. Etſi jam tum ſagaciſſima *Maximiliani* mens conjectaret, quanta doloſo ſub cinere incendia gliſcerent; quos fluctus placidum in ſuperficie, ſed horrendùm ex imo admugiens, mare minitaretur; dum tot vndique ſine bello, bellorum cauſæ exiſtebant. Nec providere futura contentus, in eo erat, ne imparatum mala obruerent. Vnde ipſe arctiſſimis ſibi fœderibus Principes Catholicos obligare, nervum belli in pace colligere, exercitibus arma, annonam, Duces parare, occultis machinis futurorum hoſtium conſilia evertere, vires enervare, vincere priùs quàm pugnare. Prima omnium Donavverda, (vrbs eſt in Vindelicis non magna, ex earum tamen numero, quæ magnis donatæ immunitatibus, Imperii Civitates dicuntur) experiri voluit, quid *Maximiliani* arma & poſſint, & ſpectent. Hæc errorum circa Religionem ſtudio (deſertis Romanis ſacris Lutheri ſomnia pars civium major ſectabatur) eò proceſſerat, vt ſuperſtites Catholicos vexaret

miſerè, & contra jus fásque, contra pacta conventa vetitis, & per furentis plebeculę tumultum ſæpius disjectis piorũ, ritu veteri ſupplicantium, agminibus, tantum ſibi licere adverſus rectè ſentientes vellet, quantum lubebat. Nihil valuere apud inſanos, auxiliorum, à ſociis errorum Civitatibus Principibúsque, adfuturorũ ſpe ferocientes, Cæſareæ Majeſtatis minæ. Non antè quievere, quàm *Maximilianus* (huic Cæſar tanquã rei Catholicę ſtudioſiſſimo pœnas à reis exigendas demandaverat) comparato celerrimè ingenti exercitu, non adversùs paucorum tantùm furorem, ſed adversus quamlibet ſociorum manum pręvalido, obſidionem oppido oſtentaret. Serò tunc incolas contumaciæ pœnituit, nec quidquam in rebus arctis ſupereratu, quàm maturatâ deditione excidio antevertere, & fidem polliceri, Deo poſthac & Cæſari ſanctiùs ſervandam. Ex eo tempore Bavariæ parent, felici amiſſæ libertatis compendio, quòd jam non liceat

ceat illis pro arbitrio, circa Religionis delectum, inſanire. Pupugit tamen acriter non paucos, diverſa potiſſimùm Sacra complexos, ea Bavaricæ potentiæ facta acceſſio, & ſępius inſequentibus annis inter pacis obices numerârunt Donavverdam libertati ſuæ nondum redditam: hanc tamen Magnanimus Princeps, memor pacti, quo eam acceperat, facilè à ſe paſſus eſſet divelli, ſi quàm promptam ad obſtrependum linguam, tam liberalem, ad rependendas ejuſce expeditionis impenſas, manum hoſtes habuiſſent.

Biennio poſt compoſitas Donavverdæ turbas, rémque, non è civium modò, & publico bono, ſed Divini quoque Honoris incremento geſtam, allapſus vicinis è montibus armorum fragor tela denuo *Maximiliani* manibus inſeruit. Wolgangus Theodoricus Salisburgenſium Antiſtites, non tam de ſacris pro gradûs celſiſſimi conditione, quàm de potentia, quà jure, quà vi, proferenda ſolicitus, oppida *Maximiliani* aliqua involaverat,

fratri ejus Ferdinando Berchteſgadenſe oppidum armis extorſerat, reditibus Præpoſiti ( quâ de dignitate, invito Pontifice Maximo Clemente VIII. illi cum Ferdinando erat contentio ) omnibus interverſis. Magìs jam in longâ injuriarum audaciâ mens hominis induruerat, quàm vt eam molliora frangerent: ferro opus erat, quod tum ſtrinxit Princeps noſter, cùm ſupplices à ſummæ ædis Salisburgenſis ſacratiori Collegio literas accepit, quibus, vt aliquam malis opem ferret, enixè rogabatur, nî Provinciam tributis immanibus, nec tamen infinitæ prodigalitati ſuffecturis, vexatam exhauſtámque, Nobiliſſimi Collegii Sodales iniqua ſervitute oppreſſos, Eccleſiam ignavâ cultoris oſcitantiâ ſylveſcentem intueri mallet. Moram tanta pericula non ferebant; vnde confeſtim in Titmaringæ ( oppidum eſt ad Salzam fluvium, quà Bavariæ Salisburgenſis Provinciæ nectitur ) conſpectum adductus exercitus, ſic adverſus vim tantam parùm inſtructos exterruit, vt oppidi primùm, mox

mox arcis portas panderent, Præſul verò eo nuntio perculſus Carinthiam verſus præcipiti fugâ ſe ſubduceret: mox ab hærente tergo milite, cum omni, quam in fugæ ſolatium convaſaverat, ſacrâ profanâque gazâ deprehenſus, quando rectiùs illum ſapere calamitas jam docuerat, abdicato ſponte cum inſignibus principatu, privati perſonam, quinquennio, quo ſuperfuit, cum laude ſuſtinuit. Adeò non omnes in ſortem quamvis naſcimur, & ſecuriùs plerique in humili vertiginem declinamus. Auſa eſt fama hanc *Maximiliani* expeditionem allatrare, & velut non ſua agentem, miſcentem profanis ſacra, in jus accerſere.

Sed ſua illum rectè factorum conſcientia, immò Cæſar & Pontifex, non abſolverunt modò, ſed ob tantos motus celeriter, providè, ac ſapienter compoſitos promeritis laudibus extulerunt. Atque hæc ſumptuoſæ militiæ merces fuit, ſuum cuique reddere, & auro perinde ac adminiſtratione ſacra intactis, ſolam in

ærarium civium externorúmque benevolentiam inferre.

Non magni labores, quos narravimus, viſi ſunt, quia heroëm nacti: ſed alii jam parabantur, alia jam adoleſcebant monſtra, quibus ſi non ſuccumberet, at certè vel cælo miſſus Hercules fatigaretur. Actum, credo, fuiſſet de Bavaria, de Imperio, de Religione, niſi, quod mala tanta permittere, & debitas flagitiis, nec raris nec modicis, pœnas exigere Numen decreverat, clementiæ nec inter juſtas iras oblitum, providiſſet ipſis de Ferdinando Cæſare, & Duce *Maximiliano*: adeò conjurato agmine fraudes, doli, ambitio, contumacia, perfidia, vis, crudelitas, tyrannis, & quæ monſtrorum horúmce pleraque genuerat, Furiarum prima omnium, Hæreſis, Populis, Principibus, Religioni, exitium & internecionem machinabantur. Serpebant, vt dicebamus, principiò tacitè ſtygiæ peſtes, non niſi ſolertibus deprehenſæ, quin ipſa ſcelera, virtutum larvas induta blandiebantur, facilè incautos in frau-

dem

dem & latentem pernitiem tractura. Quis extimuiſſet Fridericum Palatinum, Imperii faſces *Maximiliano* deferentem? Nec verò is ſuam contentus polliceri operam, aliorum quoque ex Auguſtalibus Septemviris animos, nullis non artibus, conciliabat *Maximiliano*; & parùm abfuit, quin in partes traheret Moguntinum ac Brandeburgicum, aliis facilè, vt putabat, ſecuturis, ſi volenti, prenſantique ſe ſuffragaturos exiſtimâſſent. Non deerat *Maximiliano* mens ampla, & tantę dignationi par, non forma corporis Imperio digna, non Majorum Boicæ Domûs exempla, non boni publici ſtudium. Poterant & illę multorum voces ipſum permovere: detrahenda demum Auſtriacæ familię Imperii ornamenta, ne ſola illa ſummo faſtigio citra æmulum nata ſibi videretur, tandémque liberas eligentium voces non beneficium, ſed obſequii debiti profeſſionem interpretaretur. Sed quo plura inerant *Maximiliano*, quę Imperio parem faciebant, tanto ille declinabat ſolertiùs inſidio-

ſam offerentium liberalitatem. Non ita, qui pleroſque faſcinat, Coronæ ſceptrique fulgor ejus oculos hebetârat, quin apertè diſpiceret, ſe ad ſervitutem vocari, tanto probroſã magìs, quo ingenuo homini gravius eſt, alieno arbitrio ſceptrum, quàm Ligonem tractare. At calamitoſæ huic felicitati parendum erat, quando iis imperabatur, qui cùm tantundem opibus & potentiâ valerent, ipſam quoque imperandi poteſtatem liberè eligendo ſuum beneficium fecerant, Nec latebat, quid Religioni, quâ cariorem nec vitam habebat Princeps noſter, diſcriminis crearetur colliſis inter ſe geminis Familiis, quarum pietate, induſtriâ, fortitudine ſtabat, quidquid ferè ſynceræ Fidei nondum immanis Hęreſum turbo per Germaniam everterat. Enimverò mutuis attritæ cladibus Auſtria Boicáq; Domus veſpillones habituræ hæreticos eidem ſecum ſepulchro legitima ſacra intuliſſent, damno tam irreparabili, vt illi avertendo ad infimam viliſſimi foſſoris conditionem deſcen-

ſcenſurus citiùs *Maximilianus* fuiſſet, quàm cum ejus periculo ſupremam Imperatoris conſcenſurus. Sed neceſſe fortaſſis non erat, ruere in mutuas cædes æmulas Domus, poterátque infirmior alienis fulta auxiliis potentioris iras juſto metu frenare. Atqui hoc tandem eſt precarium, & umbratile imperium; tantum poſſe, quantum alteri placeat, pręſtátque ſemper, paucos regere ad juſſa paratos, quàm multis nomine tenùs imperitare, re verâ imperia & nutus ab alijs accipere, qui ipſam quoque, cùm placuerit, ſuperſtitem nominis vmbram in ſe derivent. Immortalis *Maximiliani* gloria eſt, hęc perſpexiſſe, & tam magnanimum in cupiditates ſuas exercuiſſe imperium, vt rationem in tam gravi deliberatione in transverſum non raperent, nec ſpecioſa compellerent profuturis antehabere.

Atque vtinam hęc æmulari Principis noſtri decora fax illa Germaniæ Fridericus maluiſſet, quàm neſcio quo Camerario, aliiſque ex Orco ciniflonibus uſus

funeſtiſſima excitare incendia, quæ alia ex aliis orta, & omnem latè per tricenos annos pervagata Germaniam, pręter cæteram ſtragem, quindecies centena minimùm mortalium millia abſumpſere, vix tandem vel tanto ſanguine reſtincta. Atque hunc in cenſum non voco cunctos, quos vel nata ex tot cladibus atrox lues, vel lentum, ſed non minùs crudele, famis ſupplicium, cæteræque calamitates ſuſtulere. Militares duntaxat annumero animos, quos vel hoſtile ferrum, vel alio, conſueto caſtris, lethi genere Mars ſuſtulit. Nullum certè ver fuit, quod non quinquaginta mortalium millia hinc, & totidem inde, ſub tentoriis aſpiceret, è quibus ſi pars dimidia hyberna repeteret (quamquam quę fuit vel vincendi contumacia, vel ſua tuendi dura neceſſitas, hyemes ferè totas non jam ſub pellibus, ſed aridis ramalibus duratum eſt) tantùm non prodigii inſtar erat futurum. Siqua tamen neſcio cujus ſideris benignior vis plures quandoque ad novas calamitates ſervavit,

vit, aliis viciſſim annis tam maligna his aut illis caſtris incubuit, vt, quem dixi, prioris anni cenſum abunde ſupplêrit: quod citra omnem dubitationem recipiet, qui meminerit, capitum ſeptuagies mille, & ampliùs, vnis ſępe Catholicorum in caſtris fuiſſe cenſa, cùm totidem aut plura millia hoſtes ſub ſignis numerarent. Sanè cùm ſub annum ſæculi trigeſimum, quo belli illud fulmen Guſtavus diviſos mari Balthico Septentrionis vltimi populos infudit in Pomeraniam, paſſim perſonarent lamenta, parùm adverſus vim externam proſpectum Imperio, ſexagies novies mille ſexcenti Cæſaris & Catholici fœderis Principum ſtipendia merebant. Ad malorum principia redeamus.

Acceperant Bohemi anno ſæculi decimo ſeptimo Regem Ferdinandum Archiducē, plerorumq; Procerum, vivente etiamnum Matthia Cæſare, lectum ſuffragiis. Sed neſcio quo ſuo fato, quem accerſere ex vltimis terrarum angulis debuerant, odiſſe plerique cœperunt,

ante-

antequam fruerentur. Odiorum cauſa graviſſima, diſcrepantia Religionis: cùm enim illi paſſim res novas adamâſſent, nôrant, Ferdinandum ſtudiis omnino in diverſa tendentibus, vnam veterem Religionem tam impensè colere, vt, cùm ſuis adhuc Styris imperitaret, implacabile ſectarum omnium odium profeſſus, diceret: *Malle ſe cum Conjuge ac Liberis, ſolo ſcipione inſtructum ire in exilium, ac ſolo pane & aquâ vitam trahere, immo malle ſe in fruſta concidi ac diſcerpi, quàm injuriam Deo & Eccleſiæ per Hæreſes illatam in ſibi ſubditis Provinciis diutius tolerare.* Alium quidem illi factioni ſuę, & jam anno octavo decimo palàm erumpenti conſpirationi illinere colorem conati ſunt, (adeò ipſa ferè ſuam turpitudinem ſcelera erubeſcunt) ſed arduum non erat conjicere, quò tenderent, quídve molirentur. Vnde qui tum in Imperio *Correſpondentium* nomine malè auſpicata fœdera parturiebant, velut conſiliorum ſocelis læti, Rebellium ſpes ſubmiſſis, Duce Erneſto Mansfeldio, aliquot millium auxi-

auxiliaribus copiis fulcire non dubitârunt. *Maximilianus* & ipſe à facinoroſis interpellatus, aliud tum quidem egit nihil, quàm vt graviſſimis verbis deterreret ab inſania malè feriatos, & ſervandum DEO Regíque ſuo fidem inculcaret. Sed ſurdis fabulam. Deerat illud ſceleris complementum, vt alium ſibi Regem deligerent; nec aptior occurrit Friderico Palatino, quem Pragam evocatum cinxere Coronâ alteri jam vertici debitâ, ſub illud ferè tempus, quo Romani Imperii Diadema Francofurti accepit Ferdinandus; vt certare voluiſſe cum hominum improbitate Divina Benignitas videatur, hâc digniſſimam mundi Coronam Ferdinandi vertici liberaliter imponente, dum illa per ſummum nefas jam impoſitam ab eodem avellit.

Quid non egit per literas *Maximilianus*, quæ rationum momenta non adduxit, vt ſaniora perſuaderet Friderico? Sed ſui illum dolis circumvenerant, qui Principis incrementa machinam arbitra-

bitrati, quâ & ipſi in altum eveherentur, niſu illum maximo ſurſum impellebant, mox, ſolutâ ſcilicet machinæ compage, in imum cum eodem, lapſu præcipiti, devolvendi. Non antea agnitus eſt *Maximilianus*, etſi minùs ſplendida, ſalutaria tamen & tuta ſuaſiſſe, quàm cùm perditis jam rebus, non modò retinendi novam, ſed ne ſortem quidem tuendi priſtinam ſpes propè ulla affulgeret.

Interim dum hortatibus nihil proficitur, ne diſſimulando, cunctandóque Cæſaris, Religionis, Dei cauſa proderetur, magni undique delectus haberi cœpti, & armatæ perfidiæ expugnandę Legionum robora comparata. Ingens brevi confluxit exercitus, tanti Ducis famâ excitus: *Maximilianum* ſiquidem Sacri fœderis ſupremum moderatorem, Cæſaris, aliorúmque, quorum intererat, Principum concordibus ſuffragiis lectum inaudierant. Atque hic rem magnis animis, & præſentibus conſiliis confeſtim aggreſſus, providit ante omnia, ne dum foris curat aliena, domi quidquam turbare.

baretur, & quà recta ſuadendo, quà vim paratam oſtentando, impulit Ordines, qui Vlmæ de rebus ſuis ſoliciti convenerant, vt quieta turbidis, pacem bello præoptarent. Inde rectà itum in Auſtrios Anaſſinos, qui jam conſilia & arma Bohemis, Sileſiis, Moravis, Luſatiis ſociârant. Tam facilè perduellionis incendiū per Provincias ſerpendo propagatur, quæ ſalutari Religionis ſucco per Hæreſim conſumpto exaruerunt. Fines Auſtriæ cum lectiſſimo exercitu *Maximilianus* intrârat, oppidis aliquot deditionem ſponte, aliis poſt tentatam defenſionem facientibus: cùm adſunt à Perduellibus celeriùs oppreſſis, quàm vt adversùs vim tantam munire ſe poſſent, Legati, excuſantes multa, quædam deprecantes, & velut per ambages permittentes ſe Cæſari. Dux moram omnem exoſus, quæ auget flammas, non extinguit, juſſit aut vim experiri, aut citra exceptionem imperata facere. Cùm poſterius ſapienter elegiſſent Auſtrii, ingreſſus Lincium, abolitis cunctis

fœde-

fœderibus, quę cum Cæſaris hoſtibus pepigerant, eorúmque tabulis traditis, in Cæſaris clientelam juratos recepit, Præfecto impoſito, à quo imperia acciperent, & milite, qui denuo turbaturos frenaret. Procedebat feliciter expeditio Deo auſpice cœpta, cujus vel vadem vel interpretem habebat in caſtris *Maximilianus* Dominicum, nobile è Tereſiano ſanctiſsimæ Dei Matris Carmelo germen, virum prodigiorum multitudine, longè abſentium & futurorum vaticiniis, & quod caput eſt, exaggeratâ vitæ ſanctimoniâ, totâ ferè jam tum Europâ celebrē. Subjecta igitur Cæſari primâ Auſtriâ, ſecundam Dux adventu ſuo exarmat, & in Bohemorum transgreſſus fines, Bucquoio Cæſaris Stratego jungitur. Videbatur anni tempeſtas, autumnalibus imbribus fœda, annonæ difficultas, vulgati per exercitus morbi, aliquam Ducibus & militi quietem in regione ſecura, & necdum belli calamitates expertâ ſuadere: & huc inclinabat Bucquojus: Sed *Maximilianus*, nę ſpatium hoſtibus ad

nova

nova conſilia vireſque confirmandas concedet, Deo ſuo fretus, in ipſa Bohemiæ viſcera penetrare, & regni caput Pragam petere decrevit. Capta ex itinere Piſca, cæſo ad internecionem præſidio, exciſum Bragodicium, deditione accepta Budna. Grumbergam, excluſis celeritate maximâ ſuppetiis, induſtria, Riſenburgum ſtratagema ſubegit. Sæpe poſitis idoneo loco caſtris provocatus ad decernendum acie hoſtis; ſed ille fugitans non ante adigi ad prçlium potuit, quàm in Album Montem, Pragæ vicinum, perventum eſt. Pugnabant hîc pro Friderico loci eminentioris opportunitas, veterani nec tot itineribus feſſi, nec tot morborum ſtragibus exhauſti robur exercitûs, à tergo Praga, à fronte foſſæ ac loricę. Pro Catholicis, quibus cętera fermè deerant, ſtabat Deus, quem in Cruci fixi ſimulacro, ſacrilegè ab hæretica impietate habitum, prçferebat Dominicus. Ex tanto commilitone orta in Catholicis confidentia, in hoſtibus trepidatio, & poſt unius horæ his non

infauſtam initio pugnam, fuga, clades, captivitas. Friderico ex tanto exercitu vix tenues reliquię ſuperfuerunt. ex Catholicis deſiderati ducenti, vulnerati centum: tantillo impendio tanta ſtetit victoria, quam poſtera die nobilis appendix Praga minor deditionem offerens ſecuta eſt. Hujus exemplo vrbs quoque Vetus ac Nova victori ſe permisêre, omnésque & cives & Proceres malè nuper violatum Cæſari Sacramentum reſtaurârunt. *Maximilianus* tantis rebus tantâ celeritate geſtis Patriæ ſe, & Monachio 7. Cal. Decemb. ſub veſperum reddidit, eo confertiſſimæ multitudinis exceptus plauſu, qui ſolus vt imperari non poteſt, ſic nec prohiberi.

Quamquam autem triumphales tum moles civium manu, vetante *Maximiliano*, nullæ ſurrexere, ipſa tamen incredibilis fortiſſimi Bellatoris & Victoris feliciſſimi modeſtia, & in Deum ac Cælites pietas monumentum erexêre omni ære perennius, & nullâ ſęculorum vetuſtate exedendum. Leget attonita poſteri-

ſteritas,in mille diviſum curas, vigilem, attentum, irrequietum ante pugnam & in pugna *Maximilianū*, qui aciem inſtruxerat, mandata Ducibus dederat, de ſuo vultu alacritatem in militum animos inſpirârat,nihil è tam ampla laudum ſegete ſibi decerpſiſſe, gloriam omnem, omnes gratulantium voces, plauſus omnes Deo, Dei Matri, Cœlitibus tranſcripſiſſe; ſic pugnâſſe, atque ſi vni, ſine alio Numine, vincendum eſſet *Maximiliano*, ſic viciſſe, atque ſi vnus pugnaſſet Deus ſine *Maximiliano*. Nôrat videlicet magnus hic animus, tum humana cætera, tum belli potiſſimùm aleam, tot obnoxiam caſuum incertis, periculorum arduis, fraudum ſuſpectis, vt nulla cunctis ante vertere mortalium ſagaciſſimi poſſit providentia: ab eo proinde vno momenta pendere victoriæ, cujus vt conſcientiam nihil effugit, ſic vnus ſuo cuncta moderatur arbitrio, & vincendi cadendíque vices diſpenſat. Præterquam quod ejuſdem dona ſunt, quæ noſtra quantocunque demum jure di-

cuntur, Vigilantia, Sagacitas, Providentia, Fortitudo, Virtutúmque apparatus cęterarum, ſine quibus magna non geruntur. Neque verò ulla eſt machina, quæ Devm propiùs rebus noſtris admoveat, & velut in partes trahat, quàm ſi nulli quidem pro bonâ cauſâ parcamus operæ, pretium tamen ejus aliud non ſpectemus, quàm vt in fontem, ex quo manârunt, cum gratiarum laudúmque auctario cuncta refundantur. Quam enim aliam dixerimus cauſam tot victoriarum, quæ per proxima duo luſtra *Bavariæ* & Catholici Fœderis faſtos implêrunt? videbatur ideò hoſtes Deus dediſſe *Maximiliano*, vt eſſent, qui vincerentur. Nam etſi debellatum videri poterat, Friderico Palatino non acie modò victo, ſed omnibus etiam pulſo provinciis, quæ ejurato Cæſare Regios illi nuper titulos & honores detulerant: plures tamen exul & profugus, ſupplicis propè habitu Europæ Regias, Aulásque Principum terens, Cæſari & Bavaro, quàm Regiá nuper dignitate præfulgens hoſtes

exu-

excivit,& peſſimæ cauſæ Patronos invenit, non antè deſtiturus vltionem meditari injuriæ,quam ipſe intulerat, quàm maligna febris anno ſæculi ſecundo ſupra trigeſimum, illum quidem, ſed non incendium ab eo ſuſcitatum, Moguntiæ extingueret. Mirabuntur ſecuturæ ætates, cur tanta plurimos ceperit miſeratio hominis ſuâ culpâ infelicis, & ſpoliati titulis, quos Principi ſuo per ſcelus extremum ipſe eripuerat. Optandum videbatur Regibus, vt plecteretur reus læſæ Majeſtatis, ne alienis impunè everſis, ſua quoque nutarent ſolia, & fortunata ac protecta perfidia imitatores nanciſceretur. Secus tamen accidit, cùm levandæ alienæ calamitatis prętextu ſuis quisque cupiditatibus obſecundaret, & bellum potiùs, quàm belli cauſam adamaret. Injuſtè vexatis ſuccurrere, ſuá reſtituere per vim ſpoliatis, amoliri tyrannidem, libertatis Germanicæ jura vindicare, tituli erant, quibus imperitæ plebeculæ imponebant, qui re verâ Religionem veterem, Domûs Auſtriacæ fir-

menta, Bavaricæ incrementa oderant, & ſic aliena imperia certis volebant finiri limitibus, vt ſua dilatarent. Belli exitus probavit, quæ quemque ſpes, quæ ſtudia attraxerint, dum præclari iſti vindices locatæ in Germaniæ pernitiem operæ mercedem tam caram popoſcere, inde quidem nobiliſſimâ ad mare Balthicum portione avulsâ, hinc prolato ad Rheni vſque alveum imperio, & geminis in citimo litore velut compedibus injectis, quibus, totis connixa viribus, Germania ægrè ſeſe expediat. Nuper certè cùm ingenti niſu vnam rupiſſe ſibi videretur, id obtinuit, vt alibi vinculis robuſtioribus innecteretur. Sic enimverò, ſic infelix liberabitur Germania, donec tota ſerviat, & pretium vindicatæ libertatis Germanicæ, fiat ipſa Germania Triumphata.

Hęc commemorare neceſſe habuimus, quò palam fieret, quàm vani rumores paſſim tunc omni Europâ volitârint, tantam præliorum contumaciam, tam longum pacis exilium vni præcipuè imputan-

putan-

putantes *Maximiliano*, qui tantis turbinibus involuere Germaniam omnem maluerit, quàm Auguſtalis Septemviri dignationem, & quocumq; demum jure aditam Palatinatûs Superioris poſſeſſionem bono publico & totius Imperii quieti condonare. Quaſi verò, ſi ita ratiocinari lubet, non jam rixarum omnium contentionúmq; authores ſint, quicunque ſua ſibi impunè eripi non patiuntur, & violatæ concordiæ culpa penes illos reſideat, qui repellunt, non machinantur injuriam. Nulla hactenus ætas exemit à ſcelere publica Regnorum latrocinia, ſempérque qui aliena per vim dolúmque rapuit, dignus eſt habitus, qui ſua non retineret: Quin etiam pernicioſa Imperiis parentum conſilia, tam non eſt novum, poſteris calamitatem accerſere, & nocentium ſanguinem fermè innoxium non reputari, quàm pronum eſt, cum ſanguine indolem, cum indole flagitia propagari. Eorum è diverſo nunquam non ſalutaris, & præmio digna viſa eſt opera, qui

infamem Regnorum Imperiorúmque luem ſuâ fortitudine ſuſtulerunt. Quamquam quid præmium voco, cùm redditur, quod expenſum eſt? ter decies millena florenorum millia in bellum inſumpſerat *Maximilianus*, & nihil reciperet? aut ſi reddi par erat, num de ſuo repēderet Cæſar tam atrociter læſus, & non potiùs, ejus ex ære boníſq;, quē à perduellionis ſcelere nec ipſa perfidia exemiſſet? Num par erat, nullo tam atrocium injuriarum ſenſu, ne iraſci quidem? enimvero ſi privatas ad offenſas connivere, forte, piúmque eſt, at publicas diſſimulare, ignavia eſt paſtoris in ovium laniena ſecurè dormientis. Deſiiſſent hoſtes à patrocinio cauſæ tam profligatæ, & arma poſuiſſent, in boni publici exitium conjurata, næ illi mox inermem cum Cæſare intuiti eſſent *Maximilianum*; quos conſtat jura duntaxat ſua proſecutos non violâſſe aliena. Iniquum eſt, armato etiamnum laceſſente, exarmare provocatum. Iniquiſſimum, ſoli tandem in Imperio non permittere Cæ-

ſari,

ſari, quod audent ſine fronte alieni, & nefas reputare, ibi cohortem videri Cæſaream, aut addictam Cæſari, vbi exteræ legiones pro arbitrio volitant.

Primus omnium jacentem erigere Fridericum laboravit Erneſtus Mansfeldius, homo vafer & verſipellis, qui præter legem ex magno patre (Petrus Erneſtus Mansfeldius is fuit, notiſſimum Annalibus Belgicis nomen) natus, ſine lege vixit: venalem ad omne ſcelus animam circumferens, nunquam pro bonâ cauſa militavit, niſi cum Catholicorum in caſtris (ſuum ex patre fratrem Carolum ſummum in Hungaria Cæſarei exercitûs archiſtrategum erat ſecutus) tyrocinium artis poſuit in Fidei Religioníſque pernitiem exercendæ. Eu verò væ Bonis, væ Catholicis! ſi felix tanta calliditas fuiſſet. Placuit tamen Divinæ Bonitati, vt veram virtutem irritaret quidem, ſed non vinceret. Igitur primùm in Bohemia à Bucquoio ſemel iterúmque malè multatus, Pilſnâ exutus à Tillio, ſæpius in Palatinatu in-

ſeriore cladem ab eodem paſſus, ſubinde cum exercitu non contemnendo penetravit ad Batavos, inde reverſus in Germaniam, in Friſiâ Saxoniáque remotiore, à Tillio, Anholtio, tandémq; ad Teſſavienſem pontem à Fridlando profligatur. Nec ſic fractus, coacto iterum non tam exercitu quàm furum latronúmque agmine (quos enim alios milites ſcriberet, qui ſuis pro ſtipendio prędandi licentiam addicebat?) & Sileſiâ Moraviáque miſerè vexatis, Bethlemo in Vngaria ſe junxit, inde Turcam quoque ad legenda de devicta Germania (ſic ille optabat) ſpolia invitaturus, vilem animam in ignobili pago exhalavit, hîc pro malè factis infamiam ſempiternam, illic, quò cum ſyngrapha ad Mahometem migraſſe dicitur, utinam non malorum ſumma prometitus.

Jam Legatus *Maximiliani* Tillius non Palatinatûs modò Superioris vrbes & oppida, ſed Inferioris quoque partem non ignobilem ſubegerat, cùm Durlacenſis Marchio exercitum & militum numero

& Ducum fortitudine metuendum illi obijcit. Tillius veritus, ne aliis junctæ ſociis tantæ copię vinci non poſſent, ingentibus animis illas intra caſtrorum ſuorum latibula aggreſſus, cruento quidem & difficili certamine, profligavit tamen, impedimentis omnibus magna argenti ſignati vi, machinis curulibus nonaginta, prædâ vtique opimâ, potitus præter inſignem captivorum numerum, in quibus Ductorum pręcipui cenſebantur. Cæſorum numerus incertus, illud conſtat, è tanto exercitu paucos aut cædem, aut captivitatem evaſiſſe. Hæc fuit deſtinata Cœlo merces pro perfidia pugnantium.

Auſus tamen eſt non diu poſt belli quoque aleam experiri Chriſtiànus Brunſvicenſis, quem Halberſtattenſem ab Epiſcopatu ejus nominis dixere, & ad Hœchſtam non procul Moguntiâ prælio decernere. Ad fuit hìc quoque meliori cauſę DEUS, Moguntinenſium quoque, ritu eo die ſolemni comprecantium, ardentibus votis exoratus: nam

poſt

poſt pertinacem dirámque ſex horarum pugnam, ortâ ab Halberſtadianis fugâ, tantam victores Tilliani & ipſæ Mœni vndæ ſtragem edidêre, vt numeroſiſſimus exercitus ad inſignem paucitatem redactus, non diu poſt cum Duce ſuo ad Batavos abierit, ad novas Provinciarum calamitates, novámque ſuam cladem ſubinde Germaniam repetiturus. Tillius interim à turbulentis hominibus non nihil in campo quietis nactus, Haidelbergam & Manhemium vrbes, quæ Friderici adhuc partes tuebantur, illam trimeſtri, hanc menſtruâ obſidione expugnat, atque ita inſidiatum alieno nido cuculum ſuo quoque penitus ejicit.

Ne porrò quidquam eſſet, quod Friderico nocenti detractum ſumma *Maximiliani* merita non honeſtaret, Cæſar plurium è Septemviris Imperii ſuffragio *Maximilianũ* in Eminentiſſimũ illud Collegiũ adſciſcit, beneficio tamen ad poſteros non tranſituro (eam tum conditionẽ adjici temporum ratio poſtulabat) nec inſontibus, ſiqui eſſent, Friderici agnatis,

tis, recuperandę ejus dignationis jure adempto. Gregorius ejus nominis Decimus quintus Pontifex Maximus rei eventu lætus, datis paternæ plenis benevolentiæ literis, non magis *Maximiliano*, quàm ſibi & Eccleſiæ, honorem Principi, Religionis & Apoſtolicæ ſedis ſtudioſiſſimo, eſt gratulatus. Saxoniæ verò Septemvir non niſi anno proximè ſequenti Collegam appellare *Maximilianū* dignatus eſt, Brandeburgio poſt tertium demùm annum idem factum probaturo. Tanto molimine perfici debuit, quod ætatem erat laturum.

Deerat capiti tam glorioſo laurus recentiſſima, quam ſubinde è ſecunda Saxonia, quo victoriarum illum curſus jam abſtulerat, fortiſſimus Tillius, & dignus tanto Principe Legatus ſubmiſit. Is ſiquidem Halberſtattenſem è Batavia cum apparatu militari maximo reducem in agro Monaſterienſi aſſecutus, præſentiſſimâ Numinis ope, & non magnâ Catholici ſanguinis impensâ profligavit penitùs, tanta ſtrage, vt cæſorum multitudi-

tudinem, non numero, ſed terrarum ſpatiis definirent, campo per milliare integrum cadaveribus inſtrato. Quinquies mille capti, atque hos inter ductores ordinum trecenti, vitam à non invitis Tillianis, quos atrox laniena jam fatigârat, exoraverunt. Gaviſus eſt Vrbanus octavus, tum recens in Petri ſedem adlectus, ſui Pontificatus initia tam luculentâ Hæreſis clade nobilitari: nec diſtulit ejus lætitiæ teſtes ad *Maximilianum* literas exarare.

Sub hæc Tillius motibus omnibus compeſcendis intentus, quò plures vincebat, hoc timebatur magìs, & quia pro Aris, aut Altarium potiùs ſpoliis certabatur, alios identidem alióſque aut Religionis larvatus ardor, aut malè partà retinendi tenaciſſima aviditas hoſtes faciebat. Vnde & Danus ſecundę Saxoniæ Principibus urbibúſque, ſi Superis placet, tutandis ab injuriâ, militem eduxit, novam Tillio vincendi materiem: is ſiquidem disjectis à Sparenbergę obſidio Danis, Hammeliam primùm,

Stol-

Stolzenaviam, Calenbergam occupat, Saxonem Altenburgicum pro Dano dimicantem vincit, occiditque; tum Mindâ, cæſo ad internecionem præſidio, potitus, Regem ipſum ſigna conferre auſum, fundit, fugat. Et quoniam jam ſors adverſa vrgere Danum cœperat, adjuvante Cæſaris exercitu, non inferioris modò Saxonię vrbes arcéſque, atque in his Wolfenbutam, Pinnebergam, Stadam, ſoli Tillio non invictas, accipere imperia coëgit, ſed toto propè Holſatiæ Sleſvicíque Ducatu occupato, Regem tot ſiniſtros eventus pertœſum, pacem petere, & Regnis contentum ſuis, res Imperii miſſas facere compulit.

Ibant hactenus tam feliciter omnia, vt nihil magìs arduum videretur, quàm inter tot proſperą moderationis non oblviſci. Invictum Catholici exercitûs robur, Duce Tillio, *Maximiliani* auſpiciis, quem hoſtem non terreret? quem provocare auſum non vinceret? Sed neceſſe fuit invictam ſemper Exteris Germaniam à ſemetipſa vinci. Gliſcebant

in-

indies latiùs inteſtina diſſidia, & irritata multorum patientia (ferebant mala,quę ipſi ſibi accerſierant) parùm aberat à furore. Complures etiam præſentium malorum intolerantes, leviora credebant, quæcunque non experiebantur. Cæſaris miles, numero, hybernorum, ſtipendiorúmque immiti exactione,diſciſplinæ militaris neglectu (tanta erat Ducum nonnullorum, Fridlandi maximè, quem nemo ferè non oderat, ſocordia, tam inſatiabilis avaritia, tam inhumana ſeveritas) tam gravis Provinciis evaſerat, vt quemvis amicum eſſent habiturę, qui tam inviſis hoſpitibus eſſet inimicus. Nec ſanè aut *Maximiliani* providentiâ, aut abſtinentiâ diligentiâque Tillii effici potuit, vt nihil uſpiam Bavaricus miles peccaret. Vnde cùm ſtudiorũ illa Religionísq,quam diximus,diverſitas accederet, & dura nimis & inexorabilia viderentur Cæſaris imperia, reddi conſtanter jubentis, quidquid Eccleſiæ Catholicæ inde à transactione Paſſavienſi fuerat ademptum,mirum enimverò, quæ ubique

bique animorum facta ſit inclinatio in Regem Suecorum Guſtavum, vbi primùm ille, ſuis an alienis auſpiciis? transmiſſo mari Balthico pedem cum lectiſſimo exercitu in Germania poſuit. Stralſunda prior omnibus excepit hoſpitem, oſtentavítque formâ corporis, rei militaris ſcientiâ, ſagacitate animi rarâ, felicitate conſtanti, ſermonis, membrorum, morúmque omnium compoſitione verè regiâ, Religionis denique novę ardenti ſtudio, Imperio, & liberandæ ſcilicet oppreſſæ Germaniæ natum. Primo, quo advenit, anno, omnis fermè Pomerania, pulſis Cæſareis, ſuarum illi vrbium portas aperuit, exercitu nimium quantum, militibus à ſignis Cæſareis aut intempeſtivè dimiſſis, aut ſtipendiorum defectu dilapſis, augeſcente. Sed hæc præludia duntaxat fuere malorum, quæ annus inſequens tam multa vidit, vt omnem brevi abſorptura Germaniam viderentur, niſi qui hactenus proſpera tulerat animo moderato, forti tuliſſet adverſa, retentóque clypeo nîl deſperans,

de duræ ſortis remediis providè circumſpexiſſet.

Guſtavus igitur Pomerania omni, Megapolitano Ducatu, Brandeburgenſi provincia, aut redactis in poteſtatem, aut ſibi devinctis, in Saxoniam priman movet, copias illic Septemvìro (quem non ſatis tempeſtivè, improbante rem *Maximiliano*, Tillius irritatum, ex amico dubio, apertum hoſtem fecerát) & belli conſilia ſociaturus. Jam Tillius vniverſis, Cæſaris Fœderatorúmque Catholicorum, copiis præfectus (dederat id multorum tantùm non armatis precibus Cæſar Ferdinandus, vt Fridlando militare imperium abrogaret) neſciam flecti mollioribus mediis Parthenopolitanorũ contumaciam, vrbis excidio, & decies novies mille mortalium cæde ſeverè ultus, adjuncto ſibi cum exercitu Comite Fürſtenbergio (qui Mantuanis rebus compoſitis Succiam Franconiámque nutantes mira celeríque dexteritate Cæſaris partibus addiderat) propè Lipſiam nuper expugnatam caſtra locarat;

cùm

cùm intelligit imminere Guſtavum, paratum, ſuadente Saxone, belli aleam experiri, totíſque caſtris concurrere. Non detrectantibus pugnam Catholicis confligitur acriter, & profligato licet ſiniſtro Saxonum cornu, vincitur tamen invictus ad eam diem Tillius, primámque cruentæ Tragœdiæ ſcenam aperit, mutuis per plura luſtra cladibus funeſtâ viciſſitudine peragendæ. Amiſſæ machinæ viginti ſeptem, ſigna militaria centum; præter complura millia cum egregiis Ductoribus in acie cæſa, bis mille in fuga protriti, captivorum tria millia hoſtiles in legiones diſtributi; jacturâ tamen ferendâ, niſi vſi victoriâ Guſtavus & Saxo, hic quidem præter vrbes ſuas recuperatas, Bohemiam & Pragam, ille vero Anhaltinis Weinmariſque ſibi adjunctis, Franconiam, Moguntinam regionem, Rhingaviam, & ne Rheni quidem vaſtiſſimo alveo, victoriarum curſum remorante, magnam Palatinæ provinciæ, Alſatiæ ſecundæ, & transmiſſo iterum Rheno, Sueviæ partem à Cæſare

aut imperio avulſiſſent. Tantum terrarum vno prælio amiſſum eſt. Quin Guſtavus plus vincendo, quàm videndo emenſus, dominabatur etiam, quò nondum appulerat, cunctis ferè reliquæ Germaniæ Provinciis tanti Imperatoris vel deſiderio, vel terrore ſemivictis. Crediderim ſanè, hæc ab vno geri tantâ celeritate non potuiſſe, niſi vel plectentis Germaniæ delicta Numinis ira, vel vinci volentium ſtudia, vel potiùs vtraque Sueco militâſſent. Patuit tamen brevi, ſic currentem à metâ non procul abeſſe, non quam ſuis ipſe votis, ſed quam ejus vitæ felicitatíque Deus æterno conſilio præfixerat. Interim dum Cæſar & *Maximilianus* & acceptas reparare clades, & imminentes avertere ſatagunt, Guſtavus Nördlingâ, Memmingâ, Auguſtâ (hanc ſuo deinceps fertur Imperio ſedem deſtinâſſe, exiguâ vocis inflexione Guſtavam appellandam) occupatis, Iſtro imminebat. Sed accurrit cum nuperę cladis reliquiis, novíſque ſupplementis Tillius, & caſtris ad Rhai-

nam

nam poſitis, cùm è regione hoſtes tetendiſſent, eos & Lyci tranſitu & Bavariæ ingreſſu prohibere inſtituerat. Aderat in caſtris *Maximilianus*, in omnem hoſtis motum intentus; & ſpes erat obſiſti ejus conatibus poſſe: cùm ecce! non in ſpem tantæ rei jacta tormento pila proſternit Tillium, & bello inutilem reddit, exercitu omni ad tanti Ducis caſum conſternato. Vnde, citra cladem tamen ac fugam, contra ac nonnulli commenti ſunt, noctis ſilentio Ingolſtadium Bavari ſervatis ordinibus ſe recipiunt, & medentium curæ Tillium permittunt. Secutus abeuntes Rex periculum felicitatis ſuæ, & fortitudinis alienæ, trãs danubianę ad eam vrbem munitiunculæ repetitâ aggreſſione fecit. Sed propè vitâ, certè aliquot millium jacturâ luit audaciam. Dum Rex Ingolſtadio aſſidet, *Maximilianus* Ratisbonam prævolat, & vel invitis civibus præſidium, quantum res præſentes exigebant, impònit, probè gnarus, maximum ad omnes eventus momentum futuram eam vrbem Cæſari &

Fœderatis ſervatam. Inde cùm fruſtra Landishuti Monachiiſque occupatione ſufflaminare *Maximiliani* conſilia conatus Rex eſſet, rectà ille Bohemiam verſus movet, copias Fridlando, qui rurſus emerſerat, jungit, & Norimbergam, amicam tunc Suecicis partibus vrbem, redire Guſtavum compellit. Creditum vulgò eſt, minorem numero, & interclusis magnam partem commeatibus famelicum Suecorum exercitum deleri potuiſſe, ſi belli aleam, quod optabat *Maximilianus*, tentare Fridlando placuiſſet. Sed ſive cautio fuit incerta bellorum metuentis, ſive, quod vero propius, æmulatio, partem gloriæ ex rebus ſecundis illi invidentis, cujus potiſſimùm operâ militaris nuper imperii Majeſtate ſe interpretabatur ſpoliatum, pugnam detrectavit Fridlandus, vix poſtremo abeuntium Suecorum agmine laceſſito. Auxit parùm ſynceræ erga *Maximilianum* amicitiæ ſuſpicionem, auxiliis per Altringerum Bavarię à Birkenfeldio miſerè vexatę, & lentè admodum & malignè

ſub-

ſubminiſtratis. Sic plerumque privatorum odiis Reſpublicæ peſſumdantur; neque vt elementorum, ſic & animorum diſſidia nobiles partus, ſed nocitura plerumque Patriæ monſtra parturiunt. Perrexit tamen in Saxoniam Fridlandus, Bohemiæ clades Provinciæ illius vaſtatione vlturus. Nec deſtituit Socium Guſtavus: accurrit cum omni exercitu, & non procul Lipſiâ, fatali Cæſareis partibus vrbe, ad Luzam oppidulum Fridlandum aſſequitur. Hîc ad decimum ſextum Cal. Decemb. tantis vtrinque pugnatum eſt animis, vt ſol occiduus victorem non viderit: nox cædibus modum poſuit, cùm amici ab hoſte, offuſis denſiſſimis tenebris diſcrimen ſuſtuliſſet. Fridlandus tamen, quaſi puderet non viciſſe, aut potiùs, ne perinde parcus ac fortuna ipſe eſſet, quam iſta non dederat, victoriam hoſti & victoriæ fructum, noctu caſtris excedens, ipſe conceſſit. Equidem videtur id ſtudiosè egiſſe, ne vinceret; dum Pappenhemium, non leve vtique ad victoriam mo-

mentum, tantis locorum intervallis antea excitum, abs ſe, vicino jam hoſte, dimiſit. Quamquam ſi non tempeſtivè ad victoriam, ſat citò fatalem ad plagam, in ipſo prælii ardore Pappenhemius ſupervenit: hanc enim cùm centeſimam hodie accepiſſet, poſt ſemihoram extinctus, quantamlibet victoriam potuiſſet Catholicis ſui jacturâ facere detrimentoſam. Sanè vt cætera tanti Ducis, & inter primos Germanorum Heroäs numerandi decora prætermittam, hoc ipſo, qui poſtremus illi fuit, anno tam multa in Belgio, Weſtphaliâ, ſecundâ Saxoniâ, adverſus Batavos, Haſſos, Luneburgicos, Saxones, Suecos fortiter geſſit, vt laborante annalium fide credituri ſint poſteri, non ſuperfuiſſe tempus, vt moreretur; certè meruiſſe, ne moreretur. Et talem Bavarici exercitûs dedit diſciplina, talem *Maximiliani* in pernoſcendis ſuorum meritis ſolertia, in virtute ſupremos ad gradus evehenda æquitas, in publico bono promovendo vigilantia, Fœderato militi, ſuo loco, poſt Tillium

præ-

præfecerat: Nec tamen fuit, cur de tam formidati ſibi hominis cæde hoſtis ſine lacrymis plauderet, inter occiſos eum in ſuis caſtris numerans, pro quo ſervando, vel vinci lucroſum erat; Guſtavum inquam Regem, quem manus interemit, ignara quem feriret, & idcirco ne gloriari quidem de tanto facinore auſa. Quæcunque tamen fuit, magno illa Germaniam metu, non periculo, liberavit; patuit námque vel illâ die, non vnâ Regis animâ aut bellum aut exercitum vixiſſe. Extinxit itaque annus vnicus belli Imperatores tergeminos, quibus tum neſcio, an orbis majores numerârit: nam præter duos, quos modò dicebamus, jam antea Tillius ex vulnere, quâ vixit, maximâ pietate Ingolſtadii obierat; cujus laudes, etſi magnam partem ad *Maximilianum* ſpectant, brevis hæc epitome non capit: loquuntur ejus encomia majora volumina: neque nos ejus officimus gloriæ, dum patrata ab illo imnuimus, quæ nemo gerit, niſi maximus, & ſoli ſecundus *Maximiliano*. Tan-

tum Ducem non è ſuis delegerat popularibus Princeps, ſed aliunde excito, primæ ſemper, inter militares viros, dignationis, in ſevero judicii ſui tribunali, locum attribuit. Et fuit id perpetuum *Maximiliano*, ſive Exercitibus Duces, ſive Curiis Senatores quæreret, eos probare, qui fidem & dotes muneri pares, quamcunque demum à matre linguam docti, attuliſſent. Principi enim perquàm decorum arbitrabatur, ſi eorum etiam coleretur obſequiis, qui non tantùm naſcendi ſorte velut fortuitò in ipſum incidiſſent, ſed digniſſimum quærentes, prudenti conſilio optâſſent. Aberat interim ipſe procul à periculo, ne quos Miniſtrorum titulo inferiores agnoſcebat, regnandi bellandive artibus ſuperiores revereri cogeretur.

Nunc reliqua belli, per tria adhuc, & ampliùs, luſtra geſti (pacem hoſtes non aliam, quàm ipſo bello funeſtiorem, offerebant) ne nimiùm hæc ſynopſis excreſcat, breviter percurremus. Et primò quidem congeremus in cumulum, quid-

quidquid majorum cladium uſpiam acceptum eſt, mœrorem inde in legentium animis fortè ſubnatum, proſperorum narratione abſterſuri. Suecis proin Sociiſque non vno exercitu, concordibus tamen animis à Regis morte (1633.) cœpta proſequentibus, cùm jam non tacitè Gallus eorum conatibus faveret, Bernardus Weinmarius, è Saxoniæ Ducibus, Ratisbonam, vicinas Bavariæ vrbes, & Palatinatûs partem magnam ſubegit. Nec procul à periculo Ingolſtadium abfuit, non obſcurâ Cratzii Gubernatoris proditione; qui ſimulato ſubinde ad Polonos abitu Suecis acceſſit, privatáſque injurias patriæ ſtrage vindicaturus, cum ijſdem in acie ad Nördlingam ſtetit: ſed captus, Viennámque abductus, vel proditionis, vel transfugii, vel vtriusque pœnas dedit, carnificis manu obtruncatus; vir meliori ſorte dignus, ſi præclaris initiis poſtrema operum reſpondiſſent. Parte aliâ Catholicis Haidelbergam Birkenfeldius eripuit. Pręcipua tamen hujus anni jactura fuit, exercitus geminus,

hinc

hinc ad Rhenum Italicus (quem Feriæ Dux ſuperatis Tyrolenſium Alpibus, Cęſari ſubſidio adduxerat) inde Gronsfeldii & Merodii Weſtphalicus, propè deletus. Illum Altringeri cunctatio, fames, cœli injuriæ, & plura parùm providi Ducis peccata perdidere: hunc Melander, Kniphuſiúsque, ſtrenui adverſarum partium Duces, gemina clade propè ad internecionem cecidere.

Anni quarti ſupra trigeſimum principia parum abfuit, quin Cæſarem, omne Auſtriacum, & Catholicum ferè in Germania nomen peſſumdarent, nî atrociſſima Fridlandi conſilia providum Numen everriſſet. Stetit intra minas immane malum, authorum perfido cruore reſtinctum, Gordono, Butlero, Leſlæo, fide in Cæſarem, ſolertiâ, fortitudine laudem immortalem promeritis. Reliquâ anni parte funeſtum nihil in Catholicorum faſtos irrepſit. Biennium proximum magnorum conatuum ſucceſſus dedit parùm optatos, Galaſſo bis conato bellum in hoſticũ, Gallicum videli-

delicet ſolum, transferre, bis cum lacero exercitu, quem non tam hoſtile ferrum, quàm intempeſtivæ expeditionis moleſtiæ, rei cibariæ penuria fregerant (ea fuit Ducum Providentia) Germaniæ nota hyberna repetente.

Sub hæc pro occupando, retinendóque Briſaco ſummis vtrinque viribus certatum eſt (1638.) cùm & Cæſarei Fœderatíque ex omiſſo damna, hoſtes ex obtento compendia ſpésque ingentes, neutri ex vano, præſagirent. Verùm exitus docuit, ſæpe ne ſemel quidem impunè in bello peccari. Si domeſticus abfuiſſet, nullus erat externus hoſtis, quem Briſaci munimenta formidarent: Illum caſtrenſium Curatorum ignavia aut avaritia accerſivit, apertis etiamnum itineribus annonam ferendæ cuivis obſidioni ſuffecturam præparcè ſubminiſtrans. Atque hoc eſt grande illud & inexpiabile peccatum, quo damna graviſſima omni hoc bello accepta ſunt. Poſtquam coronâ vrbem Weimarius cinxit, ne noviſſima quidem fortitudinis

exem-

exempla ſuffecere, vel ad pellendũ loco hoſtem, vel ad commeatûs, quantum ſatis eſſet, inferendum; nihil audaciâ Werthii, quam captivitate luit, nihil alacritate Lotharingi, Sabelli ſolertiâ, Gözii conſilio & fortitudine, nihil iteratis toties *Maximiliani* imperiis conatibúsque proficientibus. Ceſſit tandem vltimæ neceſſitati Reinachius, qui pro Cæſare, vrbem fide conſtantiáque incredibili propugnârat, & non tam hominum, quàm ambulantium cadaverum turmam, fœtam mortibus, quas devoraverat, eduxit mœnibus, intra quę pedem miles Cæſareus poſt hac non erat illaturus. Quantillis impenſis tantæ jacturæ poterat anteverti? Sed illud inprimis dolendum, nec tam triſte exemplum, furacíne magis an ignavo? illi hominum generi torporem excuſſiſſe. Equidem & Philippopolim, non contemnendam vtiq; munitiunculã, ſexennio poſt, non alia major, quàm inediæ vis, & apparatûs bellici inopia, Bambergero, ſtrenuo

cæte-

cæterà fidóque homini, extortam, Enguienno Duci in manus tradidit.

Hæ vrbium fuere: Exercituum aliæ alibi ſtrages ſunt editæ. Tres præcipuè profligati, cæſíque, primus à Bannero ad Chemnitium Miſniæ vrbem Ano 39. alter ad Lipſiam, jam tertiùm Catholicis armis infauſtam, à Dorſtenſonio Anno 42. tertius ab eodem ad Jankaviam Anno 45. qui eâ ſibi victoriâ iter ad ipſas vſque Viennæ portas aperuit, Auſtriacæ ditionis provinciis immani terrore perculſis. Et verò ingentia accipi damna poterant, niſi felicior prœliis, quàm obſidionibus Dorſtenſonius, ſpebus maximis tumens, in Brunam, Souchei fortitudine, & multò magis non dubio Numinis favore inexpugnabilem, incidiſſet, ſpatio interim Catholicis ſe colligendi conceſſo. Ipſam porrò Bavariam ingrati hoſpites denuo inviſêre ſub annum ſextum & quadrageſimum, brevi tamen abituri. Eam enim ingreſſi Gallo-Sueci, dum ad Auguſtam, nequid à tergo intutum relinquerent, expugnan-

dam

dam revertuntur, virtute obſeſſorum, & maturatis à Royero primùm, dein etiam ab Archiduce Leopoldo auxiliis, aliò iter & conſilia vertere compulſi ſunt. Sed non ita citò detonuit tempeſtas, quæ biennio poſt miſeræ, & tot jam belli calamitatibus feſſæ patriæ incubuit. Cùm enim ſuperato Lyco hoſtes (tranſitum illis Gronsfeldii nõn perfidia quidem, vt nonnulli autumabant, at certè imbellis timor conceſſerat; tam nihil proſperè hoc Duce vnquam geſtum eſt) plenis agminibus ſe infudiſſent, nulla non, totâ latè regione, quà Lycum inter Oenúmque porrigitur, bellici furoris exempla edidere, vt ſuum de *Maximiliano*, ruptarum, ſi Superis placet, induciarum reo, dolorem vlciſcerentur. Quò minùs & vltra Oenum iras ſuas & fulmina extenderent, *Maximiliani* Providentia, Hunolſteinii, Franciſci Fuggeri, aliorúmque Ducum vigilantia obſtitit. Videbatur collectis, quæ ſupererant, viribus, extrema conando, haud procul ab exitu bel-

lum

lum abeſſe. Et verò coaluit non diu poſt Monaſterii apud Weſtphalos pax,ſi non qualem Bonorum plerique optabant, certè qualem ſperare Prudentes poterant, qui ſciunt,non ſemper eandem votorum ac providæ ſpei metam eſſe. Diſcet tamen hinc ſapiens poſteritas, amantem Patriæ Germanum non eſſe, qui privatis commodis mala publica nundinetur; nec alio Magnete exterorum Principum ferrum in Germaniæ viſcera attrahi, quàm creſcendi ſpe, & cùm exiſtimant ſic ſuâ Intereſſe. At ne in Bavaria ſolùm abituriens è Germania Mavors cruenta ſui veſtigia relinqueret, Bohemia quoque Königsmarkium, occupatâ minore Pragâ, infeſtum ſenſit, & Lamboium in Weſtphalia hoſtes non leniter contuderunt.

Cæterùm ne irato ſemper Cœlo Catholici pugnâſſe, & penes ſolos hoſtes militarium virtutum decora ſuperfuiſſe videantur, ex quo duo illa belli fulmina, Tillius & Pappenhemius, extincta ſunt, nunc etiam illata conjuratis in Fidei

Germanięque excidium hoſtibus damna perſtringemus. Et año quidē 33. non modò in Sileſia Sueco-Saxones à Fridlando egregiè ſępius multati ſunt, ſed Villinga quoque, non magnum Hercyniâ in Sylvâ oppidum, omnes obſidentium Wirtenbergicorum conatus fortiſſimè eluſit. Pari fortitudine, nec felicitate minori, Conſtantia ad Acronium inhiantem avidiſſimè Guſtavum Hornium rejecit; qui relecto quo venerat itinere, Rhenum, nuper Helvetiis vel diſſimulantibus vel neſcientibus tranſitum, haud paulò citiùs ſuperavit, magno videlicet & militum in Conſtantiæ foſſis relictorum, & impedimentorum, quæ abeuntium feſtinatio ſecum rapere non potuit, onere levior: niſi quòd multos vulneribus debiles traheret lentóſque, qui nuper promptiùs integri ſequebantur. Servata eſt vrbs Dei ope manifeſtiſſimâ, & inſigni tam Comitis Maximiliani Wilibaldi Truchſeſſii vrbi Præfecti (quem ſubinde Lindavium quoque fortiſſimum propugnatorem habuit, tam

tam raro, quàm commendabili fidei in Cæſarem & *Maximilianũ* exemplo, arcis Wolfeggianę, quâ totâ latè Germaniâ nobilior non erat, jacturâ conſtantię laudẽ mercatũ; cùm ejus incendio, nî vrbẽ dederet, furori ſuo ſe litaturos Sueci minitarentur, & re ipsâ in oculis immoti Truchſeſſii rabiem dein ſuam explêſſent) quàm Franciſci Mercii, poſtea nobis iterum memorandi, quíque ſuppetias obſeſſis attulerat, virtute; cùm civium quoque, militúmque alacritatem, laborum tolerantiam, invictam in Deum ac Cæſarem fidem, vel ipſi hoſtes commendâſſent.

Verùm non aliàs pugnatum à Catholicis feliciùs, erectis denuo, quæ jacere videbantur, fœderis rebus, quàm cùm annus idem in Caſtris vidit cum *Maximiliano* noſtro Carolum Lotharingiæ Regulum, Ferdinandum Hiſpaniarum Infantem & Purpuratum Eccleſiæ Patrem, ipsúmque jam datum Vngaris ac Bohemis Regẽ Ferdinandum Tertium. Quid aliud tam amicorum beneficorúmque ſiderum conjunctio portenderet, & pa-

reret Germaniæ, quàm proſperitatem, & pulſis cœlo nubibus dies lætiſſimos? Primus & arduus labor fuit Ratisbona Suecorum ex vnguibus Imperio vindicanda. Binos menſes obſidio tenuit, & tanti exercitus vires vrbs vna fatigavit, cùm & Sueci parta ęgrè dimitterent, & Cives nova imperia contumaciter adamâſſent. Sed fuit tandem infra virtutem pertinacia, & deditâ vrbe tanto proniora fuerunt cętera, quo plus in primo obice removendo laboratum eſt. Totus fermè Iſter non niſi Cæſareas allambens vrbes tributarias aquas Viennam devehebat. Nordlingam vim experiri auſam acriter premebant Cæſarei, cùm advolat Weinmarius, & ab vrbis mœnibus perniciem in caput ſuum accerſit. Profligatus eſt ſtrage, quâ nulla major toto hoc bello eſt edita. Ceciderunt in acie Suecicorum facilè duodena millia, captæ machinæ curules octoginta, ſigna militaria trecenta: ex his de cætera præda facilis eſt conjectura. Mox à cæſo hoſte, Nordlinga, Hailbruna, cum omni fe-

rè

rè Sueviâ priores ad Dominos rediit, & Banneriani à Piccolomineo, Hassi à Breda cęsi cladem hoſtibus, Triumphos Catholicis auxerunt. Timerí ab hac Victoriâ deſiiſſet Septentrio, niſi cum illo in Germaniæ perniciem Occidens conſpirâſſet. Annus inſequens (trigeſimus quintus erat ſæculi) Saxonię Septemvirum à Suecis abſtraxit, pace cum Cæſare redintegratâ. Eaſdem mox partes, tanto permotę exemplo vrbes nobiliſſimæ, Norimberga, Erfurtum, Francofurtum ad Mœnum, ſecutæ ſunt. Auguſtam reſtitantem fames Briſacenſi non abſimilis ad obſequium compulit. Philippopolim Bambergeri aſtus Suecis, Hiſpanorum conſilia Treviros Gallis eripuere, Septemviro, qui ſuis eam calamitatem haud ſanè tempeſtivo Gallicarum partium ſtudio accerſierat, in vinculis Viennam abſtracto.

Nec minùs ſubinde feliciter Fœderati Catholici Duce Götzio rem in ſecundâ Saxoniâ, Weſtphaliáque geſſere, vrbibus præcipuis receptis, pulsíſque omni

Weſtphaliâ Haſſicis. At Joannes Werthius è Picardiâ, Hiſpani Infantis auſpiciis, cum expedito milite Gallias ingreſſus, illatâ agris vaſtitate, tanto nominis ſui terrore Gallos implevit, vt cum biennio poſt (1638.) animoſiùs, quàm conſultiùs pugnans eorundem in manus incidiſſet, perinde exultarent, ac ſi de totâ in vno homine Germaniâ triumpharent. Interim idem Werthius, Dux impiger, & quietis impatiens, annum trigeſimum ſeptimum variis primùm Gallorum cladibus, mox Melandri, Haſſici Ductoris, laboranti Hermanſteinio opē ferre parantis, milite profligato Catholicis fecit memorabilem. Appendix vltimę victoriæ fuit arx ipſa, quæ præcisâ jam ſuppetiarum ſpe Bavaricis tandem ceſſit, cùm Galli longâ fame ſemineces de vita magìs, quàm arce tuenda eſſent ſoliciti. Nec minor ejuſdem Werthii fortitudo eluxit, cùm imminentis jam tum Briſaco Weinmarii caſtra, & multiplici cinctum munimento pontē, attonitis eâ audaciâ & animi magnitudine hoſti-

bus

bus,feliciter expugnavit. Sub idem tempus Bannerus quoque à Galaſſo aliquoties vapulavit. Sed illo poſt hæc clades ſuas vlciſcente, neceſſe fuit,auſpiciis iterum & ductu Auſtriaco hoſtis audaciam frangi. Archidux proinde Leopoldus exercitui datus Imperator, importunum hoſpitem anno quadrageſimo totâ paſſim Bohemiâ, Turingiâ Saxoniáq; ſubmovit, prœliis non rarò minoribus victum, & ne tota acie dimicaret, effugia quæritantem. Palatinis adhuc agris vrbibúsque moleſtus incubabat, & jumentis paſſim lue graſſante extinctis,ratio non apparebat, quâ pelli loco, & Ratisbonâ quoque, cui timebatur, longiùs ſubmoveri hoſtis poſſet. Sed *Maximiliani* ſolertiæ, quæ tum ſe exerebat, cùm cæteros conſilia defeciſſent, nihil magnopere arduum erat. Sua igitur, opinione celeriùs, equitibus jumenta præſto fuerunt, & Bannero nildum hoſtile magnopere formidanti, migrandum repentè è ſedibus, quas occupaverat. Schlangius Banneri Tribunus in-

opinâ celeritate circumventus, deſperatâ ſeu fugâ ſeu receptu, cum equitibus mille octingentis, peditibus ducentis, Victoris *Maximiliani* arbitrio ſe permiſit,

Nunc minoribus quibusdam, quæ locum in Epitome non merentur, prætermiſſis, memorabilis in paucis eſt Tutlingana de Gallis victoria, quâ Lotharingi Ducis, & Franciſci præcipuè Mercii ſingulari induſtriâ, celeritate, ingenio circumventi, obrutíque Galli, ſiquam aliàs hoc bello, luculentam cladem accepere. Cæſorum porrò numerus (qui ſanè ingens fuit) cum variis locis pugnatum ſit, iniri non potuit; Ducũ præcipui, militum plusquàm ſena millia capta, tormenta omnia, impedimenta, argenti ingens vis, pecunia in ſtipendium militi numeranda, Bavaris ceſſere. Nec ſorte ſecundiore à Gallis pugnatum eſt, cùm Mercium Vberlingæ, ejectis Hohenvilanis, Friburgíque victorem, non procul hac vrbe, animis ingentibus, & quo Natio illa conſuevit, impetu, aggrederentur.

tur. Vincere poterant, ſi in eos incidiſſent, queis ſuus timor pro hoſte eſt, aut qui tantum timent hoſtem, quantum ille vult timeri; ſed Bavarici militiæ veteres, & periculorum longâ aſſuetudine contemptores, impetum conſtantiâ, furorem fortitudine fregerunt, ſex facilè Gallorum millibus audaciam ſuam cadendo confeſſis. Nec tamen inulti cecidere, multis viris fortibus, atque inter hos ipſo Mercii Ducis fratre Gaſpare, neci datis.

At Mercius velut imminentis fati præſcius, vt, quas tempus negaturum erat, palmas fortiter properando congereret, ſequenti mox anno Turrenium cum exercitu ad Herbſthuſium aſſecutus legiones ejus disjecit, protrivítque, alariis quoque poſt acrem, & dubiam diu pugnam in fugam actis. Ductores ordinum ducenti, atque inter hos primi nominis & dignationis quatuor, gregarii bis mille ſupra quingentos, præter ceteram prædã, in poteſtatem venere: ceciderunt in acie ex hoſtibus permulti, plures

in fuga palantes & vagabundi, Fœderatorũ ferro ſe trucidandos objecere. Galli vt eam cladem vlciſcerentur, exercitu quà ſupplementis aliunde excitis, quà Sociorum auxiliis plurimùm aucto, denuo prope Allerhemium Mercio pugnę poteſtatem fecere. Et verò pugnatum eſt iis vtrinque animis, quos hinc decoris è parta victoria retinendi, illinc ignominiæ probríq; abolendi cupido ſuggeſſerant; & cùm ambo exercitus vincere obſtinâſſent, neuter citra controverſiam vicit. Gallorum ceciderunt ſexies mille, quos inter multi vetuſti ſanguinis claritudine inclyti: qui è Ductoribus necem & captivitatem evaſerunt, vulnera plerique pro ſpoliis, Nõrdlinganæ vrbi, quæ à pugna reduces admiſit, oſtentârunt: machinas inſuper complures, ſigna amiſerunt ſeptuaginta; quod ſi vincere eſt, non deerit, qui optet, vt ſic crebriùs vincant. Bavarici ſigna amiſerunt vndecim, militum tria ferè millia. Sed Gleenus, qui dextrum cornu rexerat, à Gallis captus, & Mercius Du-

cum

cum fortiſſimus, pilâ à ſuorum quopiam temerè emiſsâ interfectus, fecerunt, vt pro victis haberentur. Et fuit profectò jactura Mercii incomparabilis, cùm vel ipſi hoſtes faterentur, plus ejus viri caſu ſe profeciſſe, quàm ſi profligato hoſtili exercitu integram Provinciam occupâſſent: quâ confeſſione illuſtriùs encomium à noſtro calamo nemo expectet.

Nunc vbi diu inter Bellonæ fragores ac tonitrua verſati ſumus, jucundior venatorii cornu ſonitus nos vocat. Et jam propè in caſſibus eſt nobilis præda, non cervorum, aprorúmve, ſed hominum: Vrangelius inquam cum ſuis. Is non procul Monachio auſus curis bellicis venationis gaudia interponere, dum feras inſequitur, alio repentè non ludicrò tumultu, in fugam abripitur: ægrè pedeſtri fugâ ſine enſe elapſus, complures ſuorum, noſtri equitatûs inſidiis interceptos, è venatoribus captivos, inopina metamorphoſi intueri coactus eſt. Poterat ſic faciliùs meminiſſe expeditionis in Bavariam ſuſceptę, in quâ tam cara ſibi pignora

ra reliquiſſet. Poſt certamen hoc vix ſerium, certè Bavaris incruentum, Mars ipſe cum hoſtibus excedens *Bavariâ*, Pacem *Maximiliani* curis, vigiliis, conſiliis tandem partam, haud paulò cariorem ex tam longâ abſentiâ, pro ſe hoſpitem è Weſtphalia ſubmiſit.

Enimverò cùm in mutua fœdera, quæ lentè & non ſine ancipiti plurimarum deliberationum conflictu coaluerant, illa arma, illos gladios coijſſe *Maximilianus* cerneret, quæ tantum hactenus Germani, externíque ſanguinis hauſerant, rei ſucceſſu plurimùm lætus plaudebat non tam ſibi, laboribus annísque feſſo, quàm Patriæ civibúſque, malorum extrema perpeſſis; beatũ ſe reputans, quòd couſque vivere datum eſſet, donec ſecurâ tranquilláque libertate fruerentur, quos temporum iniquitas, & inimica nocendi rabies, exaggeratâ calamitatum mole oppreſſerant. Et quamvis parùm fauſta nonnulli ominarentur, veriti, ne ſopitus doloſis ſub cineribus ignis levi flatu in nova & majora incendia erum-

pe-

peret, *Maximilianus* tamen, quem ſua cæteroquin ætas tam cautum fecerat, vt etiam ſubtimidus videri poſſet, pergebat ſperare optima, haud ignarus, excitatos contumaci ventorum prælio fluctus, coërcitis licet Æolio imperio flatibus, non ita repentè ſubſidere, quin ſubſultantes identidem procellarum reliquiæ, novas minentur quidem, ſed non adferant, tempeſtates. Vnde primus ipſe, dimiſsâ à ſignis longè maximâ militum parte, tantundem oneris ſuorum humeris detraxit. Neque diſtulit, quas Monaſterienſia pacta reddi vel Palatino vel aliis Principibus jubebant, vrbes arcésque, Haidelbergam inquam, Mannhemium, Wilzburgum, aliásque, evocato præſidiario milite, aut perſolutis ſtipendiis exauthorato, alienæ poteſtati permittere: etſi iis tantiſper retentis haud paulò proniores ad ferendam pro æquitate ſententiam eos habiturus videretur, qui etiam tum Norimbergæ controverſis adhuc Principum litibus componendis operam dabant. Maluit *Maximi-*

*ximi*

*ximilianus* Deo, cujus honor in Palatinatûs populis ſyncero Religionis cultu imbuendis agebatur, & cauſæ bonitati confiſus, citò reddere, quæ ſua non erant, quàm moras cum rei communis diſcrimine nectendo efficere, vt alii quoque, retinere parta contumaces, diutiùs Patriæ ſpes fraudarent. Votis ſtudiíſque tam piis eventus non defuit, aliis ſubinde Principibus *Maximiliani* exemplum, in fœderum decretis adimplendis, ſectantibus, & reditu, cui timebatur, in Palatinatum ſectis omnibus in perpetuum intercluſo.

Sub hæc in ſancto pacis otio, qui nec inter arma bellicóſque tumultus vnquam refrixerat, clariùs emicuit Cœlitum cultum promovendi ardor, & eos Patriæ Indigetes quærendi cura, qui devotorum Clientum precibus obſequiíſque exorati, nihil non gratiarum è cœlo in Bavariam depluerent, nulla non mala ab eâdem averruncarent. Servabant Bremenſes Coſmæ ac Damiani, fortiſſimorum Chriſti Pugilum, oſſa. Sed

tanti

tanti theſauri, Luthericæ inſaniæ magiſterio, eviluerat æſtimatio. Vnde quid perderent, parùm ſoliciti, cùm aurum, quod liberaliter offerebatur, quàm oſſa mallent, petenti ſacras reliquias *Maximiliano*, non ægrè aſſenſi ſunt, quæ proinde cum cura Monachium delatę, & ſolenni magnificáque pompâ in D. Michaëlis Archangeli Baſilicâ, non importuno utique accurſuris ad opem petendam clientibus loco, depoſitæ fuere. Nec diu fuit, cùm Medicos ſalutare novos Inquilinos vrbs potuit, contagioſâ lue, quæ magnas vicinis locis ſtrages edebat, ſemel iterúmque à mœnibus depulsâ: vt cętera taceam beneficia, quibus privata multorum religio ſe cumulatam prædicabat.

Injerat annus ſæculi quinquageſimus, quo ex cunctis Chriſtiani nominis populis propoſita noxarum omnium venia peregrinos Romam plurimos evocabat. *Maximilianus* aut mox, aut non diu poſt venturæ mortis, cujus inſidias nunquam timere deſierat, præſagus, ne,

quam

quam ſemper ferebat in oculis, & cui curas ſuas pleraſque dedicârat, cariſſimæ ſibi Bavariæ, Provinciiſque cęteris, à morte ſuâ minùs eſſet proſpectum, id egit ſolerter, vt quem ſibi Cœlum jam ſeni dederat, dilectum vnicè filium Sereniſſimum Ferdinandum Mariam, regendis populis faceret aptiſſimum. Illum igitur tenerâ licet adhuc ætate (annum quintum decimum nondum expleverat) ſuâ aliorúmque formatum diſciplinâ, & paternis ad ſumma quæque exemplis erectum, Succeſſorem Provinciæ Proceribus, eum in finem convenire juſſis, lubentiſſimis propoſuit, & conceptis verbis fidem illi jurare voluit. Sic pacis etiam poſt fata ſua ſtabiliendæ ſtudio minimas turbarum occaſiones removebat. Iſta nunc delibâſſe contenti, ubi de Maximi Parentis digniſſimo filio ſermo erit, pluribus evolvemus, quò etiã rejicimus, quæ de nuptialibus cum Regia Sabaudorum Domo fœderibus, vivente & jubente *Maximiliano* transacta, novis Patriam ſpebus beârunt.

Tan-

Tandem Ingolſtadium calamus *Maximilianum*, & inde ad tumulum, quæ eſt fatorum inevitabilis neceſſitas, atratus comitetur. Amabat, ſiquam aliam è ſuis vrbem, Ingolſtadium *Maximilianus*, tanquam ludi ſibi non Palladii magis, quàm Martii Palæſtram; invictę ad eam diem Guſtavi fortunæ primum obicem, & Suecorum genti, Regis ſui periculo, & fortiſſimorum militum clade perpetuò memorabilem. Hujus igitur vrbis, vicinorúmque camporum ē conſpectu aliquid ſolatii, Religionis verò fructum vberrimū ex Æde pauculis milliaribus remotâ (Salvatorem majorem appellant, maximâ religiosè adeuntium frequentia, crebríſque è Cœlo obtentis favoribus perquàm celebrem) Deique Numine ſuppliciter ibi adorato petiturus, Septembri menſe itineri ſe committit. Sed ab ea, quam diximus Æde Ingolſtadium reducem, catarrhus primùm, mox febris invaſit: nec piam *Maximiliani* providentiā fefellit, quid iſti ſibi prodromi vellent. Corporis igitur curâ me-

dentibus relictâ, animum ipſe cum eo, qui à Sacris confeſſionibus erat, Sacerdote, procurare inſtituit, & momento illi parare, ex quo vnico Æternitatis beatæ aut infeliciſſimæ pendent arbitria. Et verò quamquam in omni vita iratum ſibi Numen, & Sanctiſſimarum ejus legum violatione offenſum habere, vnicè formidâſſet, in eo tamen potiſſimùm rerum articulo inſtitit, rationes omnes cum DEO ad amuſſim componere, tribunal ſeveriſſimũ metuens, in quo nullo Principis plebeíque diſcrimine, ſolis ſeu bene, ſeu malè actæ vitæ meritis ſupplicia addicuntur aut præmia. Afferebat quidem ipſe rectè factorum manipulos copioſiſſimos, nequid tamen vſpiam minùs ſynceræ frugis, aut infelicis lolii ſeſe immiſcuiſſet, diſpiciebat accuratione mirabili; & tam nihil in eo negotio, negotiorum vltimo atque graviſſimo, prætermittebat, vt videretur, ſæpe moriendo, didiciſſe bene mori. Sanè vt, quod ſemel duntaxat agendum erat, quàm rectiſſimè fieret, crebra meditatione per-

fece-

fecerat; lectiſsimis in eam rem gnomis, quarum identidem admoneri voluit, ſua manu conſcriptis. Sacris denique ex Eccleſię ritu omnibus, animi ſenſu tenerrimo, procuratus, cùm nihil vivens abjectum & vulgare geſsiſſet, ſuam quoque morientis ſortem ſupra cæteros voluit eſſe eximiam, fatentibus, qui aderant, nemini ſe vnquam hinc migranti adſtitiſſe, qui animo ad iter illud difficile tam parato, tam in rem, quæ vna tunc agebatur, intento, morte denique, morti Juſtorum tam ſimili, eſſet defunctus. Omnis circumſtantium, Aulicorum Sacerdotúmque, corona in uberes ſoluta fletus, etſi dolori ſuo parentâſſe credi potuit, amori tamen etiam lætitiæque vel lacrymando indulſit, dum dubitare non potuit, quin Principem ſibi cariſsimum Divina Bonitas jam Cœlo recepiſſet, feliciùs ibi diutiúsque regnaturum. Annus agebatur ſæculi quinquageſimus primus, dies Septembris ſeptima & viceſima, Coſmæ ac Damiano, fauſtiſsimo vtique omine, ſacra, cùm vivere ſeu

deſiit,ſeu cœpit Princeps immortalitate digniſsimus, ſi bonos ſemper Principes mali homines mererentur. Cadaver ſubinde Monachium deveɛtum eſt, & cum Parentis optimi cineribus in Æde S. Michaëlis, vt *Maximilianus* vivens juſſerat, compoſitum; Inteſtina tamen Ingolſtadium retinuit; Cor amor ejus MARIA Oettingana ſibi vindicavit, cùm alibi, quàm ad Dominæ pedes, cor ejus obſequiis emancipatum rectiùs deponi non poſſet: & ad hos ſcilicet pedes ſchedulam ſequentibus notis, proprio cruore exaratis, inſignem, jam olim, nemine conſcio, immiſerat. Sed noluit Deus eam vel animi modeſtiam, vel tenerrimum in Cœli Reginam affectum poſteris ignorum eſſe. Extractum eſt mortuo jam *Maximiliano* chirographum, quod nos hîc mundo, & multa in eo Principis noſtri decora, legenda offerimus.

*In mancipium tuum*

Me Tibi dedico conſecróque
Virgo MARIA
Hoc teſte cruore atque
*Chirographo*
MAXIMILIANUS
Peccatorum coryphæus.

Hæc amores Marianos epigraphe loquitur. Quibus erga Supremam Numinis Majeſtatem affectibus *Maximilianus* ferretur, vnum teſtatur, vocibus omnibus literiſque diſertius, vitæ totius autographum. Fuit equidem Princeps DEI cultor ſemper religioſiſſimus qui deteſtatus excordem eorum inſaniam, qui tum ſupra vulgus ſapere ſibi videntur, cùm malè de DEO & impiè ſentiendo plus cunctis deſipiunt, optabat in vna illa omnis Bonitatis abyſſo non ſuum modò, ſed quorumvis, animum amoréſque occupari. Hinc ille noxarum omnium,

quæ Numinis illius contemptu contrahuntur, horror ſempiternus, odiúmque immortale; hinc illa precandi tam longa, tam ſtata tempora, quæ vel in ſacro Aſceta mererentur admirationem: hinc appetituum adverſus Divinam legem rebellium edomandorum conſtantia, & vel inflictis ſponte verberibus, vel ferreo aut cilicino cinctu macerandæ frangendæque carnis ſeveritas: hinc, ut cætera taceamus, aberrantes à ſalutis ſemita & vera Numinis notitia animas in viam ſalutis reducendi deſiderium inſatiabile. Tam non videbatur ſibi Principis titulos explêſſe, niſi in eorum veniret cenſum, quos Deus ſuper omnem terram Principes conſtituiſſe dicitur. *Maximiliano* ſanè debet Monachium, debet Bavaria vniverſa, quòd major paſſim eſſet inter armorum, Martiſque indomiti licentiam, divinæ legis ſcientia perinde ac reverentia, quàm alibi & aliàs in tranquilliſsimo pacis otio eſſe conſuevit. Debent *Maximiliano* Donavverdæ cives, debent Palatini populi, vt de

Au-

Auſtriis Anaſsinis nihil dicam, ſublatam, amabili violentia, pereundi libertatem; dum omnes, quos *Maximiliani* imperio ſubjecit Deus, ſubjectos Deo & Eccleſiæ voluit *Maximilianus*. Et cùm hæc ipſum lucrandi Deo animas præ cæteris vrgeret cura, tum alios in tam præclaro opere adjutores, tum noſtræ Sodalitatis alumnos, quos non admodum ignavos in re tam præclara expertum ſe rebatur, ornavit gratiis, beneficiis fovit, protexit patrocinio, ſuſtentavit liberalitate. Ipſi Domicilia noſtra Burghuſianum, Mindelhemienſe, Ambergenſe ſuos debent natales, ſua incrementa, ſua firmamenta. Heidelbergenſe Collegium quò minùs etiamnum ſtet, jam eâdem munificentiâ erectum, belli fato debemus. Quamquam autem intra Provinciarum ſuarum limites non deeſſent, in quos ſua profunderet, illarum tamen fines egreſſus auream ſparſit ſementem, quæ feliciſsima fertilitate in animarum manipulos excreſceret. Sic ſtat Coloniæ Templum perelegans, *Maximiliani* ere-

ctum munificentiâ, vbi ingens quot annis animarum fit lucrum. Sic ſtat Leodienſia intra mœnia non infrequens, ſi deíne Præconum dicam,an Martyrum in Anglia, Seminarium, in quo *Maximiliani* beneficentiâ (ducenta omnino florenorum, vt vocamus, millia, præſentis ęris eam in rem impendit) Ignatiana ſub diſciplina lectiſsimi Juvenes adoleſcunt, qui ingratæ poſtmodum patriæ redditi, laboribus maximis tueantur, quod ſupereſt illa in Inſula, Fidei ac Religionis ſynceræ, tam piorum conatuum pręmium, poſt ęrumnoſam continua inter diſcrimina vitam, infamium ſqualorem pœdorémque carcerum, laqueum denique & cultrum cum perduellibus recepturi. Sic populares ſuos coronat Anglia, quę Germanię quondam Lucios, Bonifacios, Wilibaldos, & quos non alios? ſuppares Apoſtolis viros ſubmiſit; quam proinde dignam *Maximiliani* ſolertiſsima pietas cenſuit, cui vel invitæ grates jam & vices, quantum licebat, rependeret. Non tamen ita toto divi-

ſi

ſi Orbe Britanni ſunt, vt non remotioribus etiam vltimi Orientis Gentibus Chriſtus *Maximiliani* induſtriâ innotuerit; Sinenſes certè grati meminerunt, non modicam auri vim quotannis ex hoc velut publico mundi ærario, quoad Princeps noſter vixit, ſubminiſtratam, quâ ſuam vineę illius cultores inopiam ſolarentur. Quid mirum porrò eſt, de Sinis ſolicitum, in contiguas ſuis Provinciis terras, ad Principes ſanguinis neceſsitudine ſibi conjunctiſsimos, curas extendiſſe, nec ante quieviſſe, quàm ſub annum ſæculi hujus decimum tertium, Wolfgangus Wilhelmus Com. Palat. Rheni, Bav. Dux, &c. cui jam antea Sororem ſuam Magdalenam conjugem dederat, repudiatis Lutheri erroribus, Orthodoxæ ſe Fidei & avitis Sacris redderet, exemplo mox ſuo & imperio ſuos populos eódem pertracturus.

Qui porrò tam Divini cultûs augendi propagandíque fuerat ſtudioſus, proximum erat, vt ejuſdem Domum, Eccleſiam inquam, impensè cordi haberet.

Atque ea in re quis, quantúſque fuerit *Maximilianus*, teſtentur, qui Domui illi, Vicariâ à Chriſto acceptâ poteſtate, pręfuerunt. Et ſanè tres, qui ſerie non interruptâ ad illum rerum humanarum apicem aſcenderunt, certâſſe in exornando laudibus *Maximiliano* videri poſſunt. Paulus ſiquidem Quintus recentiſsimis Pragenſis Victoriæ nuntijs excitatus, *de Republica Chriſtiana optimè meritum*: Gregorius Quintus Decimus *Murum æneum, qui fortiſſimè Domum Dei communiat*, pronuntiavere: Vrbanus verò Octavus ſui ſtatim Principatûs initio, *Maximilianum Triumphalem Principem, & Religionũ aſſertorem, Apoſtolicæ charitatis brachijs complexus eſt.* Et quídni optimè de Re Chriſtiana & Catholica meritus diceretur, qui illi tuendæ conſervandæque non ſemel valetudinem, ſanguinem, vitam diſcrimini expoſuit; conſilia, curas, vigilias indefeſſus conſecravit; annon, pecuniam, militem, quoad ferè vixit, impendit: quæ aperta ſunt, conſideranti bella, ab eo geſta, quorum nullum

lum, niſi è rei Catholicæ bono, &, ne quid illa acciperet detrimenti, ſuſceptum eſt. Enimverò quæ non avitæ Fidei damna intuliſſet aſtutiſſima Hæreticorum calliditas; infinita, ex guſtata raptorum dulcedine, plura rapiendi aviditas; & ſuâ vel ferociâ, vel aliorum timore, & imbelli nonnunquam ignaviâ potiùs, quàm manſuetudine, aucta in immenſum armorum audacia, niſi Murus hic Æneus occultarum molitionum eluſiſſet cuniculos, voraciſſimæ avaritiæ ſtitiſſet incendia, & multiplices, iteratóſque effrenis potentiæ impetus fregiſſet. Evileſcebat propè indies magis in Germania nomen Catholicorum, illíque, velut obnoxia injuriæ gens, ſuáque vel ſocordiâ vel verecundiâ indefenſa, ſine modo metúque vexabantur, donec ſancto fœdere junctus Ferdinando *Maximilianus*, horúmque excitati exemplo Principes alii, poſtquam timere deſierant, timeri inciperent, palámque facerent, quicunque Religionem attingeret, tantorum Principum pupillam oculi

tan-

tangere. Sic piè, fortiter, prudentérque aſſertæ Religionis decus *Maximiliano* comparatum eſt, ſanctiúsque nomen Catholicum haberi cœptum. Atque vtinam tam egregiis conatibus aliorum, neſcio quæ æmulorum incrementa ſibi fingentium, ambitioſi timores non intercesſiſſent? melior profectò hodie Germaniæ foret conditio, majúsque in majori animorum, quos ferè diverſa circa Religionem ſenſa diſtrahunt, conſenſione robur, firmiórque perennaturæ ſpes felicitatis.

Actum jam egerimus, ſi poſt ſuperiùs commemorata, *Maximiliani* in Imperium ac Cæſarem fidem pluribus adſtruamus. Qui bella pro vtroq; tam diu, tam multa, haud ſanè in ſpeciem geſſit, næ tu ab illo majora fidei ſpecimina fruſtra requiſieris: non aliud illi gladii, non aliud haſtæ bombardæque ſpectabant, quàm ne peſſum iret, ſed novis indies incrementis augeſceret, vnica Populorum felicitas, ſyncera Religio; ne miſeram diſcordémque Patriam alieni diſcerperent,

rent, néve Germanicis tandem emiſſas caveis Aquilas, maximo gentis probro, externis in nidis locarent, tam facilè non redituras.

Sed duo ſunt, in quibus *Maximiliani* fidem defeciſſe conqueſti ſunt, vel qui gaudent, de iis malè loqui, quibus malè volunt; vel qui Principibus æquales ſe putant, dum de Principum negotiis extra curiam ſententias ferunt, vel denique qui multa palàm ignorantes, Principum fermè potentiam ſuis votis & publicis emolumentis metiuntur. Primum fuit, quod poſt acceptam à Guſtavo ad Lipſiam cladem, comparatis licèt celeriter maximis copiis, Socios Moguntinum ac Herbipolenſem Antiſtites deſtituerit, Tillio ad vnius Bavarię defenſionem accurrere juſſo. Alterum, quòd invito Cęſare, contrà quàm convenerat, induciis cum hoſte anno quadrageſimo ſeptimo pactis, totius belli molem vni impoſuerit, ne militem quidem, ad Imperii, non Bavarię ſolius tutelam lectum, ad Cæſaris caſtra paſſus tranſire. Prio-

ris tamen peccati,ſi quod fuit,culpa tota penes Tillium fuit,qui iterata *Maximiliani* imperia conſiliáque exequi vel neglexit, vel quod verius, non potuit. Maximis enim rebus gerendis magnæ quidem, ſed ſine ære, ſine annona, ſine amicis, èxhauſtæ laboribus & calamitatibus copiæ quocunque ſub Duce, non ſufficiunt, maximè dum incredibili populorum ſtudio exercitus hoſtilis his omnibus abundat. Alterum anceps omnino, & vel ipſi Cæſari, vtique antequam ritè edoceretur,improbatum,mirum quibus paſſim ſermonibus anſam præbuerit. Satis *Maximiliani* cauſam egit, qui vaſto opere ejus geſta complexus,nobis omnem in defendendo Principe gloriam præripuit. Quamquam quis credat, Principem nihil vnquam, quantumvis leve molitum ſine conſilio, nihil aggreſſum temerè, tam in omnibus, quæ ex re quavis vel ſequi poterant vel timeri, perſpiciendis oculatum, tantâ antehac pactorum fide & conſtantiâ, in negotio graviſſimo vel non deliberâſſe,

vel, ſi deliberavit, quid ſe deceret, non pervidiſſe, vel ſi pervidit, priſtini decoris repentè oblitum, perfidię ſe, ruptorúmque fœderum labe turpiter contaminâſſe? Hæc tantùm abeſt, vt nobis perſuadeamus, quàm certum eſt, neminem repentè fieri peſſimum. At Cæſar improbavit inducias, eàque iniri conſtanter vetuit. Improbârit. At novum non eſt, eos etiam, qui multa vident, vel non omnia, vel non eadem videre: tam imbecilla ſemper humanæ mentis eſt acies. Poterat inſuper ſapienter ſecum ſtatuere *Maximilianus*, non eam Cæſaris eſſe in repudiandis induciis conſtantiam, ſed miniſtrorum duritiem, qui importuno in Cæſaris abſentis imperia obſequio Cæſaris cauſam proderent. Poterat ſperare, Cæſarem ſuo inductum exemplo, cujus prudentiæ plurimum ſemper tribuerat, eaſdem mox inducias ratas habiturum, nec idcirco ſe nudandum milite, & dubiæ hoſtium fidei exponendum, qui nulli in ea re ſe ſciret culpę affinem. Vtut tamen non omni culpâ vacâſſet

*Ma-*

*Maximilianus*, dignus foret, cui facilè hignoſceretur. Nemo promptiorem habet veniam, quàm qui citò reſipiſcit, & fermè non voluntatis ſuæ pravitate, ſed aliorum fraude illectus, & ſuo errore deceptus peccavit, quisquis noxam non inani mox pœnitudine caſtigavit. *Maximilianus* certè, vbi perſtare in ſententiâ Cæſarem, & quâ ſecum fide, quibus artibus hoſtes egerint, non longâ experientiâ didicit, ad Ferdinandũ citò reverſus, junctis denuo cum illo animis, ſtudiis, armis communem cauſam ad finem vſque belli propugnavit.

Tantus defenſor Imperii, Bavariæ peculiari nomine ſuæ deeſſe quî potuerit? Reliquit illi partam tot bellis pacem; reliquit Leges æquiſſimas, ſanctiſsimáſque, & vel exteris vſu probatas, commendatáſque, dum inchoato dudum, hactenus affecto, Conſtitutionum Bavaricarum Operi manum vltimam admovit, vt quas rectiſsimè vivens gubernârat Provincias, his Jura etiam mortuus diceret. Reliquit nomen ingens ac gloriam, ma-

majora vtique, quàm pro amplitudine Provinciarum. Sanè quisquis non Geographorum circino, ſed famâ nominis terrarũ ſpatia metiretur, vivente *Maximiliano* Bavariam non viceſimam circiter Germaniæ partem, ſed Regnum peramplum, populis frequens in arma ſoboleſcentibns, auro ditiſſimum ſapienter fuiſſet deſcripturus. Tam magna eſt Provincia, quæ Magnum Principem habet: vt fermè non refert, quantum, ſed qua induſtria colonus agellum excolat, támque facile eſt, in magno eſurire ignavum, quàm in parvo induſtrium abundare. Reliquit denique *Maximilianus* Bavariæ, ex ſecundis cum Maria Anna Auſtriaca, Cæſarum, Ferdinandi II. Filiâ, Ferdinandi III. Sorore, nuptiis, Filios geminos, quos ſerò dedit illi Deus, vt daret meliores. Sic ſolet Cœlum, collati muneris tarditatem ejus præſtantiâ compenſat. His autem Filiis, & illi præſertim, quem naſcendi ſors alteri prætulit, præter ampliſſimam omnium virtutum hæreditatem reliquit Septemviri

Auguſtalis dignitatem, recentibus meritis, antiquo jure, Familiæ redditã; reliquit Provincias Legibus inſtitutas, moribus excultas, Principi obſequentes, acceſſione Palatini Principatus, & Leichtenbergici, Dynaſtię Mindelhemianæ, aliarúmque auctas: reliquit vrbes ædificiis ornatas: reliquit copioſum poſt tot bella belli nervum, reliquit populorum venerationem, Regum maximorum Principúmque amicitiam, Apoſtolicæ Sedis paratiſſimos favores: fecit vt à bonis amarentur, timerentur à malis, DEI indubiâ Cœlitúmque ope protegerentur. His quod ſuperadderet non habuit: nos quoque manum à tabulâ, id vnum dolentes, quod, qualem volebamus, non dederimus *Maximilianum*. Quisquis tamen vel hanc epitomen legerit, reperiet, nî fallor, tantillo in compendio Principem, qui ſic virtutibus eo gradu dignis excelluerit, vt procul abfuerint vitia, quæ gloriam plerorumque offuſcant, quos Maximos Orbis adorat. Neque eſt, quòd ſuſpicetur invidia, ornamen-

namen-

namentis commemorandis intentos, diſſimulâſſe probra. Hæc nulla invenimus. Illa ſuis adumbrare coloribus conantes, ars defecit. Equidem mirari animus non deſinet illuſtria decora, quæ Principis perfecti Ideam abſolvunt, citra periculum imitandam. Felix es Bavaria, cui per annos ſex ſupra quinquaginta imperantem Superi indulſere *Maximilianum*. Felicior, ſi ſemper eo frui contingeret. Sed cùm per mortalitatis leges non liceat, quò nôſſes etiamnum

Te Cœlo cordi eſſe, proximum fuit,
vt alterum citò daret *Maximilianum*.

# FERDINANDUS MARIA MAXIMILIANI FILIVS S. R. IMP. PRINCEPS ELECTOR DVX BOIARIÆ SEXAGESIMVS PRIMVS.

*Pacis amans Princeps, ſine bello totus in armis,*
*Bellona illuſit, ceu fera bella paret.*
*Vt meritò dubitet ſpectator imaginis, ánne*
*Extrahat, an condat, quæ gerit arma, manu.*
*Oedipus ipſe ſui, ſecretas explicat artes.*
*Dum pace armata ſe patriámque tegit.*
*Ne gladium ponat, prohibent præſagia belli:*
*Ne gladium ſtringat, pacis Oliva vetat.*
*Ergo non ſolus Ducibus furor arma miniſtrat:*
*Et Pax, ne Bello ſit locus, arma gerit.*

ANnos vivendo tres ſupra ſexaginta, ſubjectis Provinciis imperando quadragenos Maximilianus impleverat, & nullum tamen mœſtiſſima Bavaria ſtipantem ejus latera Julum videns, quem jam pridem avum optaſſet, nec Parentem quidem ex ſe genitæ ſobolis poterat ſalutare: perinde ac ſi




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ſi ſupervacaneum eſſet, in Natis eum ſupervivere, qui factis immortalitatem promeritis, in omnium animis haud dubiè erat ſupervicturus: aut quaſi congeſtis in vnum Maximilianum ornamentis omnibus natura parere deſiiſſet Wittelspachios, aut deſperatione gignendi meliores, aut pudore generandi minùs bonos. Certè Deus, qui reliqua donorum conceſſerat, iſthoc longè maximum differendo, tacitè docebat, vnde cætera promanâſſent. Sed exorata denique tot, támque diuturnis, Maximiliani, Patriæ, Bonorũ omnium votis Divini Numinis Clementia, quem ex Eliſabetha Lotharinga negârat, ex Maria Anna Auſtriaca, altero conjugii anno, filium dedit. Tantam ſcilicet prolem junctas Bavaris leonibus Auſtriacas aquilas progignere dignum erat. Exierat anni ſexti ſupra trigeſimum October, cùm pridie lucis, Cælitibus omnibus ſacræ, Sereniſſima parens felici partu filiolum èſt enixa, eá geſtientis Patriæ Parentúmque lætitiâ exceptum, quantam dilatæ,

perpetua inter ſuſpiria, ſpes ac vota collegerant. Hic paulo poſt luſtrico admotus fonti, ab Avo materno, qui paucos menſes ſupervixit, & Avunculo, mox Romanorum Rege, Ferdinandi nomen accepit, propagatum ab Hiſpanis ad Auſtrios, ab his ad Bojos, felicis non vanum omen pietatis. Adjecta & alia, recepto jam Principibus more, nomina, ex quibus tamen vnum MARIÆ priori conſtanter Princeps adjecit, non imminutâ animi Sanctis quoque cæteris addictiſſimi devotione.

Creſcebat delicium Bavariæ ſed vnicum, Ferdinandus: quando Cœlum, jam liberalius, alterum illi necdum bimulo addidit tantę Domûs fulcrum, Maximilianum Philippum, pridie Calendas Octobris natum; eundem ſcilicet, qui, dum hæc exarabamus, à fratris occaſu lucebat Patriæ, verus Caſtor: niſi malis eum Alcidem dicere, qui remoto Atlante *Ferdinando*, Bavaricum tantiſper Orbem ſuſtineret, dum *Maximilianus* alter tam grandi oneri ferendo humeros

ros firmaret. Et verò hûc videntur ſpe-ctâſſe providentiſſimæ illius Sapientiæ conſilia, tam citò nobis eripientis *Ferdinandum*, vt Maximiliani Philippi dotes, paternis ſuppares, ( quę vix dignoſcuntur, niſi cùm exercentur ) Provinciis innoteſcerent, illæque tantisper in hujus pietate, in commiſſos populos caritate, prudentiâ, gravitate, magnanimitate acquieſcerent, donec admotus populorum regimini *Maximilianus Emanuel*, Avi, Parentis, Patruíque deſiderium, ſuis ipſe virtutibus, reíque publicæ curâ abunde expleret. Hæc in loco fortaſſis non ſuo: ſed reniti imperio animi, quem prę-ſentia maximè feriunt, calamus non potuit; exhauſit ſemel, quæ ſeſe obtrudebant, quò liberior deinde præteritis intenderet, in viam nunc redeamus.

Prodebat ſeſe in adoleſcente jamjam *Ferdinando* ea indoles, quæ paterna decora haud ſegniter eſſet æmulatura, & quamquã nondum ęquis, magnis tamen pro ætate paſſibus, ibat in Patris veſtigia, quò illum & cæleſtis quædam ingenii

bonitas, & educantium ſolertia trahebant. Nihil enim magìs curæ erat Parenti Maximiliano, quàm, ne quem cerebum adeò ad virtutem cœlum effecerat, humana vel ignavia, vel malitia in vitium flecteret. Altè igitur, ſiquid aliud, imbibit tenera illa mens, ſupremi Numinis, imperiorúmque ejus ſanctiſſimorum reverentiam. Hinc ille in omnem vitam offendendi Dei timor. Hunc ejus planè ferreum in propoſito tam ſancto animũ & omnes admirati ſunt, & quicunq; vel apertè mala, vel, quod magìs mireris, non apertè bona, neſcio cujus vtilitatis ſpe ſuadere ſunt auſi, tam illi omnem in hac re operam perdidere, quàm ſi à medio Mundi loco terram, vel à ſua ſolem ſemita dimovere voluiſſent. Nihil vſpiam licere ſibi voluit *Ferdinandus*, niſi quod honeſtati conſonaret: tantum abeſt, vt ſuam firmare, vel alienam evertere potentiam vellet, divino humanóve jure proculcato. Traxit quoque ſecum in mediam Aulæ frequentiam, in Palatium, quod domicilium luxûs & deli-

tiarum ſedes eſſe ſolet, illam cæteroquin amicam ſolitudinis tuguriorum clauſtrorúmque hoſpitam, penuriæ alumnam, innutritam aſperis pudicitiam, caſtimoniæque ſtudium ſingulare, vt præter vnam, quam Patriæ charitas impoſuit, procreandorum liberorum neceſſitatem, nihil ſibi permittendum Princeps integerrimus cenſuerit. Fuítque ejus ſplendor virtutis tam illuſtris, vt neque magnarum virtutum comes invidia, nec illa Principibus viris obtrectandi libido, neque ſua dedecora magnis exemplis honeſtandi induſtria, quidquam *Ferdinando* vel juveni, vel marito, vel viduo, auſa ſit ſiniſtræ hac in parte labis aſpergere. Et verò poterat vel ſolus *Ferdinandi* ad modeſtiam, gravitatémque compoſiti aſpectus calumnias omnes diluere, qualibet levitatis ſuſpicione deterſâ. Animi laxamentis, & quas curis gravioribus interpoſuit, oblectationibus ea moderatione eſt vſus, vt facilè appareret voluptatum, in ipſo earumdem vſu, contemptor.

Addidit his, in precibus ad Deum fundendis frequentiam, non languidam illam, & velut aliud agentem, ſed intentam operi, plenam ſacrâ præſentis Numinis reverentiâ; quę & aliàs ſemper, tum verò maximè emicuit, quando latere, & hominum oculis ſeſe ſubducere impenſiùs laborabat. Conſueverat enim religioſiſſimus Princeps, diſſimulatâ tantisper Majeſtate, omiſsáque famulantium catervâ, ſubinde proletariam inter turbam coram Euchariſtico DEO in genua ſeſe abijcere, eóque ſolo, omnibus præterquam vni fidiſſimorum ignotus, ſe Principem probare, quod nemini quidquam in eo humilis adorationis obſequio concederet, ſed tanto altiùs ſupra cæteros emineret, quo celſiori è loco ſeſe demiſerat. Et ſanè quamquam erga ſacra omnia non parùm afficeretur, nec uſpiam defineret ſuo populos exemplo ad DEI Cœlitúmque cultum jam ſponte proclives incitare, tenerior tamen pietatis & intimæ religionis ſenſus erga latentem ſub panis velo Deum paſſim ſe pro-

prodebat; eáque de causa frequens omnino, abſterſis accurata confeſſione noxarum labeculis, divino epulo conviva accumbebat. Vtque, quo ipſe ardebat, eodem paſſim igne aliorum quoque pectora ſuccenderet, & vel poſt fata in illo amoris Sacramento Deum ſuum redamaret, authoritate hortatúque perfécit ſuo, vt totâ paſſim Bavariâ pio fœdere colligati Sodales Euchariſtiam prçcipuo ſtudio venerarentur, ejúsque adorationem dies noctésque, alii aliis in horas ſingulas ſuccedentes, continuarent; impetratis Româ, conſueto bonarum mentium illicio, gratiis, & noxarum veniâ multiplici. Multus in his religionis officiis erat Princeps, queîs ſic à primis annis aſſuevit, vt eadem majoribus cum ætate incrementis augeret: & videri poterat, ſic in hanc rem intentus, vt modicâ aliarum curâ tangeretur: magno inſtituentium vitio, ſi aſcetam ſolitudini, non Principem Reipublicæ formâſſent. Sed cùm *Ferdinandus* noſter paternæ prudentiæ & laudatiſſimæ parſimo-

ſimonię imitamento diem horáſque ſic eſſet partitus, vt ſuum rei vnicuique tempus deſignaret,& accuratè deinceps ſtudioſéque tribueret, vnus pluribus ſufficiebat, quæ nunquam perficit, quiſquis ſua temerè aggreſſus, negotia non tam accerſit, quàm in illa fortuitò incidit, magnâ & temporis & rerum agendarum jacturâ. Diſciplinis, quæ virum maximè Principem decerent, plurimùm delectabatur, Architectonicâ militari civilíque, Geometriâ, Geographiâ, Aſtronomiâ; Muſicâ aliíſque. Nec libros modò, qui diſciplinas ejuſmodi pertractant, quoties à rerum cura publicarũ otium eſſet, ſedulus volutabat, ſed ijs quoque viris quàm familiariter vtebatur, quos penitior arcanorum ejuſmodi ſcientia commendâſſet: ſi quid novi inveniſſent, non parcè laudare,& quoniam multis, ſi non pro mercede, ſaltẽ pro auctario eſt, magnis Principibus placuiſſe, ad novos in poſterum conatus non ſurdis hortatibus ſolitus incitare. Levitatem omnem peroſus ſubtrahebat ludibrii contemptús-

ptúsque periculo Principis majeſtatem, & debitam eidem venerationem, obſervantiámque modeſtè ſeverus exigebat. Vnde licet alienum vel à dignitate, vel à manſuetudine ſuâ duceret, in quemquam concitatiùs invehi, & objurgationum aculeos multâ bile exaſperare, non tamen idcirco quemquam ſuo deeſſe paſſus officio, ſciebat etiam non iratus caſtigare, & placidâ quâdam vi & efficacitate, debita obſequia obtinere. Scilicet non tonitruis, non fulminibus habebat opus; ſua illi ſufficiebat majeſtatis nunquam poſitæ lux, vt ſideris inſtar ſuſpiceretur. Huic Decoro ſervando multum etiam commodabat ſapiens verborum parſimonia, à magni primùm Genitoris genio & exemplo profecta, ratione dein vsúque retenta: videbat ſiquidem, magno ſermonis in Principibus luxu fidei pondus, & authoritatis exiſtimationem verbis decedere, & jam longo ſeculorum conſenſu receptum, Oracula non niſi ab ijs expectanda, qui multum tacere conſueviſſent. Sic &

illud

illud conſequebatur, vt nemo facilè expiſcaretur, quæ volvebat animo ſecreta: ipſe viciſſim multùm ſolicitus, quorum fidei ſe Patriámque committeret, diu tacitus ſecum expendebat; quid tandem hominis eſſet, quę animo conſilia volveret, quorſum collimaret, quas dotes, quem rerum vſum afferret, quem in graviorum curarum partem cogitabat vocare. Quem verò hac demum ratione, & examine tam ſevero introſpexiſſet, haud facilè à ſe patiebatur avelli; quidquid demum contra illum ſeu populi rumor, perinde audaciter & temerè, quàm imperitè calumniantis, & æmulorũ perperã oculata malignitas garriret. Et Adminiſtri de optimi Principis in ſe animo, rectéq; factorum conſcientiâ ſecuri, parùm metuebant inanem verborum ſtrepitum, & nihil nocituram loquacitatem. Porrò quemadmodum nugaces otioſorum gerræ non movebant *Ferdinandum*, vt ſiniſtrè de ijs ſentiret, quibus aliquem gratiæ locum tam multùm probatis conceſſerat, ita quos

ſua

ſua facinora citra controverſiam non prædamnâſſent, ij probitatis opinionem in animo Principis ſibi poterant polliceri, & quoniam ab animi ſenſis verba non diſſonabant, nullius ille vitam denigrare, ſed quæ laudem potiùs parerent, in medium afferre conſueverat.

Quæ narrata ſunt hactenus, etſi in adoleſcente *Ferdinando* jam emicuerint, viſum tamen eſt, non qualia tum, ſed qualia in viro fuere, hoc loco repręſentare, vt ſemel narrationem abſolveremus, & frugum tempore, flores, ſolam fructuum ſpem, non oſtentaremus; quos tot cœli, temporis, ſolis injuriæ non rarò decoquunt, & nondum maturos in ipſa ſpe, velut in vtero pręfocant, ſepeliúntque. In *Ferdinando*, quę ſemel enata ſunt animi, virtutúmque decora, nativâ ſoli bonitate, cultorum induſtriâ, liberali ſiderum favore, perfecta, planè maturuerunt. Acceſſit ornamentis cæteris diligens in regnandi artibus inſtitutio, non fucatis illis, & inani Politices nomine coloratis, quæ aliam cynoſu-

ram

ram non reſpiciunt, quàm vtilitatem, &, quibuſcunque demum machinis, techníſque, altiùs enitendi libidinem; ſed aliis vnam, verámque populorum felicitatem ſpectantibus. Et ſanè fuit *Ferdinando* ſuus domi Salomon, qui plena ſolidę pietatis, prudentiæque documenta, Deo vtiq; dictante concepta, relinqueret, quæ libro Hiſtoriæ Bavaricæ poſtremo comprehenſa operæ pretium non eſt, hîc tranſcribere, maximè cum Maximiliani & *Ferdinandi* factis abunde cernantur expreſſa. Jámque tantum regendi ſcientiâ profeciſſe videbatur, vt neceſſe illi non eſſet, ſuis primùm erroribus erudiri: proinde Maximilianus, Provinciæ Ordinibus ad id convenire juſſis deliberandum propoſuit, an non è bono rei Bavaricæ videretur, ſi, ſe annis feſſo, & fatorum extrema in momenta expectante, filio non degeneri *Ferdinando* Sacramentum dicerent, & ita caſuum incerta prævetterent. Apparebat non obſcurè, quam in partem in ea deliberatione propenderet Maximilianus;

lianus; proinde in re tam æqua, cùm ſumma omnia ſponderet *Ferdinandus*, volenti Principi gratificaturi, & ſuâ velut ſponte daturi, quod imperari poterat, jurârunt in verba Filii, poſt mortem Parentis populorum regimen adituri: quod quale futurum eſſet, præſagire vel tum licebat, quando jam *Ferdinandus* nullis non dotibus, quæ amabilem ſubjectis Principem faciunt, Ordinum ſibi animos arctè devinciebat atque demerebatur. Procerum exemplum mox, quidquid Bavarico paret nomini, magna ſua voluptate ſecutum eſt, & *Ferdinando* conceptis verbis fidem addixit. Geſta ſunt hæc anno ſæculi quinquageſimo Aprili menſe: eodémque anno exeunte, cùm Maximilianus etiam in futura mentem curáſque porrigeret, Auguſtam Taurinorum, Sabaudiæ Pedemontíſque Principum ſedem, Maximilianum Comitem Curtium (virum hoc utique nomine comendatiſſimum, quòd primum togatos inter viros Bavarica in Aula locum, Maximiliani delectu, obti-

neret) ablegavit, Henrietam Adelaidem, Principum illorum filiam, lectiſſimam *Ferdinando* Sponſam, ſecum in Bavariam adducturum. Etſi tunc magnâ & regiâ planè pompâ nuptiales tantùm ritus peracti ſunt, Adelaide ſubinde anni quinquageſimi ſecundi menſe Junio in Bavariam appulsâ, & in thori ſocietatem à *Ferdinando* adſcitâ, cùm immatura Sereniſſimorum Conjugum ætas moram in eam vſque diem imperâſſet. Ad hanc potiſſimum Conjugem filio optandam impulſum exiſtimamus Maximilianum, tum Sabaudicæ familiæ, Regiis dudum titulis, Regiíſque ac Cæſareis conjugiorum fœderibus inter Europæas clariſſimæ, Bavariæ quoque innectendæ devinciendæque deſiderio, tum præcipuè, eximiis Adelaidis corporis animique dotibus, quas fama minimè mendax paſſim ſpargendo, ſummis fecerat Europæ Principibus expetendã. Et ſanè par erat regiam in Adelaide beneficentiam liberalitatémque in illius demum Mariti ſinu deponi, qui vota ejus exple-

re

re, & per locupletis ærarii facultates poſſet, & amatiſſimæ Conjugi gratificandi ſtudio vellet. Dedit viciſſim illa Patriæ liberos, Paternorum Maternorúmque decorum hæredes optatiſſimos. Quamquam enim primos conjugii annos ſteriles ſolicita Bavaria vidit, quaſi ſuo natura gremio tantos Principes non foveret, Cœli tamen non dubio munere plures exinde conceſſi ſunt, quorum quaternis hodiéque ſuperſtitibus magnorum Parentum celerem jacturam lætiſſimi ſolamur. Ex his Chriſtina primo loco genita, magno vtique Bavariæ honeſtamento, nuper Galliarum Delphino auſpicatiſſimis nuptiis locata, minoribus natu fratribus & ſorori paria ſpondet honorum, gloriæque incrementa. Et ſatis jam creſcis, *Maximiliane Emmanuel*, quem Imperii Octumvirum, Provinciarum admotum regimini, hoc eodem anno venerabundi ſalutamus. Neque ſuæ vel Joſepho Clementi Purpuræ, vel Violantæ Coronæ deerunt, vbi pares oneri honoríque vires acceſſerint, quo-

 rum

rum pignus non dubium, indolem ad maxima natam pridem ſuſpicimus.

Interea dum, quas diximus, nuptiæ parantur, & expectantur, moritur Maximilianus, *Ferdinando* annum ætatis decimum quintum nondum egreſſo, atque adeò Provinciis regendis per prudentiam quidem, ſed non per ætatem idoneo. Nec tamen malè proſpectum fuit Patriæ, cùm Mater pro Filio imperaret; & ſuis rem publicam conſiliis adjuvarent, quos Parens reliquerat, ſapientiſſimi Senatores. Nec enim in Curia minùs, quàm Caſtris, egregiis adminiſtris Princeps ille ſemper vſus fuerat: Aulam omnem, Aſſentatoribus, cæteráque rei publicæ peſte, procul amandatis, tam habens & numero & gravitate caſtigatam, vt tamen nihil vel ad pompam, vel ad commune emolumentum deeſſet. Octumviri vices, cùm ita Imperii leges juberent, Albertus Dux, fratri ſuo Maximiliano ſuperſtes, eidémque pietatis ac religionis ſtudio, multiſque aliis dotibus ſimilis, functus eſt, donec *Ferdi-*

*nando* per ætatem maturo, & Patruus & Mater ſupremo jure arbitrióque cuncta gerenda committerent.

Jam rerum à *Ferdinando* geſtarum, dum regeret, vel hiſtoriam vel hiſtorię ſynopſin nos, nullis neque commentariis, neque literarum vltro citróque datarum autographis, nec aliis tabulis publicis inſtructos dare fas non eſt, ne noſtras vel ſuſpiciones, vel commenta pro arcanis venditemus. Erit tempus, iſto paulò opportunius, quo minore offenſæ metu, evolventibus ſeſe conſiliorum nodis, alius majore rerum vſu; ingenio, ſtylóque felicioribus ad ſcribendum accedat, & quod rudibus hiſce lineamentis deeſt, abunde ſuppleat. Dabimus nihilominus aliqua, quę nullas tabulas teſtes requirunt, cùm in noſtris geſta ſint oculis, quicunque cum Principe viximus. Taceremus & iſta, niſi poſterorum fortaſſis aliquis, in has pagellas fortuitò delatus, doceri de iis cuperet, quæ hodie nemo ignorat.

Religionis amplificandæ fuit per-

quam ſtudioſus: vnde quæ liberalis Majorum ſuorum, Maximiliani præcipuè, pietas alienis in terris inſtituerat promovere, pari ipſe beneficentia proſequi non deſtitit. Sua Anglis, ſua Sinenſibus vineæ Dominicæ cultoribus, tempore etiam difficillimo, ſubſidia annuóſque proventus deeſſe paſſus non eſt. Et cùm Ingolſtadienſi ex Lyceo ſeveriorum Diſciplinarum Magiſtri gemini, exemplo ſatis novo, remotiſſimarum ſe Gentium ſaluti conſecrâſſent, academicos plauſus ignotorum animorum lucro ſapienter poſthabentes, à *Ferdinandi* munificentiſſima manu, & itineris expenſum, & pretioſa, deliniendis Ethnicorum Procerum animis, munera acceperunt. Multa æris millia quotannis *Ferdinandi* juſſu in eos, qui deſertis Hæreticorum Caſtris ad ſigna redibant Catholica, impenſa ſunt; cavítque diligenter, ſalutis ſuorum ſtudioſiſſimus Princeps, nequi eorum in exteras delati Provincias vrbéſque, neſcio quo alio lucello, Fidei Religioníſque jacturam infeliciter redimerent. Vi-

cíſsim

ciſsim vt teneræ ætatis inſtitutio rectè procederet, Fidei elementa rudibus traderentur, Deique timorem omnes cum lacte combiberent, magnopere hortatibus, decretis, omni ſua authoritate adlaboravit: eos idcirco paterno ſtudio affectúque complexus, qui aliquid hanc in rem operæ, laboriſque contuliſſent. Quos inter cùm noſtrę quoque Sodalitatis alumnos & majorum exemplo, & ſuomet judicio, quę non parva nobis eſt gloria, numeraret, iiſque, jam inde à primis natę noſtræ Familię annis, in Bavariam excitis, procul habitam à ſuæ ditionis populis communem omni ferè Germaniæ peſtem, hæreſin; pietatis verò ſtudium ſingulare animis eorum inſertum, magnam partem referret in acceptis, noſtris gaudebat, velut redundaturis in publicum, incrementis, conatuum ſucceſsibus lætabatur, juvabat beneficentiâ (ejus propè meminerunt Ingolſtadienſes noſtri Sodales) conſtanti adverſus nonnullorum ſeu odia, ſeu nimiam credulitatem, cauſæ noſtræ patro-

cinio tuebatur. Fuit profectò illud pignus amoris æſtimationíſque ſingulare, quòd quamquam non deeſſent, qui aliter ſuaderent, intima tamen animi ſui arcana noxáſque, in alterius aures deponere noluerit, quàm delectorum è noſtro ſodalitio Sacerdotum, quorum cùm ternos, prioribus morte præreptis, habuiſſet, ſic agebat cum ſingulis, vt illi adverterent, & totum ſibi patere *Ferdinandum*, & dictis conſiliíſque, quæ animum concernebant, non exiguum pondus ineſſe.

Non tamen amplum illud & multorū capax pectus vnós nos ſic fovit, vt alios excluderet. Certè vt publicæ pietati, vrbis ſuæ principis ornamento, & Conjugis maximè ſuæ votis ſtudiíſque velificaretur, Clericos Regulares, à Joanne Petro Caraffa Theatino Antiſtite (qui poſtmodùm Petri ſedem Pauli IV. nomine tenuit) Theatinos nuncupatos primus ipſe Monachium, atque adeò in Germaniam induxit, ſede illis perampla conſtituta; cui Ædem adjecit ſacram, ſplen-

ſplendidam, tanti Principis dignam magnificentiâ, planéque ad Italicæ elegantiæ modum conformatam; eam SS. Cajetani & Adelaidis honoribus dicatam voluit, quorum ille, Clericorum, quos dixi, præcipuè Parens authórque celebratur. Et jam ante *Ferdinandus* cum Adelaide præcipuâ ſolicitudine contenderat, vt eidem Cajetano, Beati titulis eatenus condecorato, Pontificis Maximi authoritate, Sanctorum honores ritè decernerentur. Subinde omnium ditionis ſuę Provinciarum Tutelarem Divum ſolenni pompa, plurimíſque, feſtæ lætitiæ & publici plauſus argumentis delegit. Atque vt exempla Principum, imperia ſunt ſubjectorum, eorum maximè, quibus propior ad Principes acceſſus patet, ita tum vulgo cæteri, tum primi quique Procerum ac Nobilium, eximio Divum ſtudio venerati ſunt; nec pauci eorum, ne minùs dare viderentur, natalium ſuorum titulos, ſéque totos, Deo, ſub ejus diſciplinâ inſtitutíſque, devoverunt.

Videbatur jam diu ſequior ſexus ſanctiorem & ipſe inſtitutionem educationémque deſiderare; quare *Ferdinandus*, non exiguâ ejus curâ, Monachium & in Palatinatum evocavit Sacrarum Deo Virginum nonnullas, quæ Matris Dei Eliſabetham viſitantis auſpiciis, magni verò Genevenſium Præſulis S. Franciſci Saleſii ductu & inſtitutione, religioſam in Familiam coaluerant. Landishutanis alias, vitæ inſtituto, finéque non abſimiles, quæ à S. Martyre Vrſula nomen ſunt mutuatæ, ſubmiſit. Pertinet etiam ad publicæ incrementum pietatis ingens illa, & vèrè Baſilica Ædes, quam Oettingæ Veteris Auguſtiſsimæ Dei Matri (cùm dudum antiquæ ędiculæ anguſtię ſupplicum multitudinem non caperent) molitus perfeciſſet, niſi præclaris cæptis mors præpropera interceſsiſſet.

Ita Religione, vt cæteras pro ea *Ferdinandi* curas prætermittam, conſtitutâ, cæteras quoque rei publicæ partes magnis impendiis promovit. Primam benè de multis merendi occaſionem dedê-

re,qui à morte Cæſaris Ferdinandi Tertii, Bavariæ potiù Ducem *Ferdinandum*, quàm Vngariæ Bohemiæque Regem Leopoldum, ſolio illi deſtinabant; cùm metus haud vanus eſſet, ne Galliæ Hiſpaniæque Regibus bello etiamnum implicitis, Leopoldus ſic rem juvaret Hiſpanam, vt Germanicam exponeret diſcrimini, hoſtibus denuo, malorúmque cum his omnium colluvie, in Imperium accerſitis. Timorem Germanorum fovebant Externorum ſtudia, vel timendi cauſas exaggerantium, vel ſpes alias ingentes, ſi Ferdinandus Leopoldo præoptaretur, oſtentantium. Jam Principũ non paucis vel perſuaſis vel nutantibus, tentandus erat animus *Ferdinandi*. Atque hunc facilem in ſua vota ominabantur, qui, quæ ambiunt ipſi, hæc alios inhiare exiſtimant. Sed *Ferdinandũ* recens Maximiliani Parentis exemplum (eâ utique prudentiâ Principis, cujus facta poſteri ſucceſſoréſque pro legibus jure habeant) & ſuis ſe metiri viribus docta moderatio, adversùs tam ſplen-

ſplendidam, excelsámque dignationem obtrudentium molimina obſtinaverant. Non latebat ſcilicet perſpicacem Principem, offerri Sceptrum, non vt habeat *Ferdinandus*, ſed ne habeat Leopoldus, non vt Bavaria veris incrementis augeatur, ſed vt potentiæ Auſtriacæ aliquid detrahatur. Agnoſcebat, quâ erat animi modeſtiâ, præponi ſe Candidato alteri, non opinione majori virtutis (hanc enim in illo quoque ſuſpiciebant) ſed minore virium: depoſci ſe ad Magiſtratum ideò ſolùm, quòd faſces deeſſent, quibus compeſceret detrectantes imperia; eóque tandem multorum reſpicere conſilia, vt verendum illud Sceptrum manibus insereretur ad illud tractandum minùs validis. Nec Imperatorem Germaniæ, ſed æmulum quæri Leopoldo, aut hoſtem, qualem futurum autumabant Cęſarem non Auſtriacum, cùm longâ imperandi conſuetudine Gens iſta non ſuperiorem modò, ſed ne parem quidem ex Germanis ullum paſſura videretur. Jam temporum

lapſu,

lapſu, & hominum vel vitio, vel conſilio, eam adminiſtrandæ Rei publicæ formam introductam, vt qui non maximis per ſe viribus polleat, &, vel dempto Cæſaris nomine, formidandus ſit, is neceſſe haberet, ſi Cæſareũ fortè in ſolium attolleretur, vel novam Reipublicæ formam inducere, vel Theatralem propemodum Regem agere, grandibus quidem tumentem titulis, ſed cujus umbratile imperium tanti quiſque faceret, quanti vellet. Prius illud & novitate exoſum, & ab eorum ſpe, qui regnare juſſiſſent, nimiùm quantum abludens, imperantis vitam ingentibus non modò curis, ſed periculis etiam exponere: alterum plenum dedecoris, cùm ſacroſanctam hactenus Chriſtianis populis majeſtatem faciat exoleſcere. Hęc eadem *Ferdinando*, vetus illa, longóque rerum vſu exercita Comitis Curtii prudentia identidem ſuggerebat, pridem ſcilicet docta, veram vtilitatem à fallaci ſecernere. Non eadem fuiſſe Conjugis ſenſa vulgo creditum eſt, eo fortaſſe proniùs, quòd

quòd veri non diſſimile videretur, eam, quę Regiis jam domi ſuæ titulis aſſueviſſet, Cęſareum quoque nomen, etſi nomen tantum foret, adamare potuiſſe. Nec ſanè mirandum eſt, fœminam titulis & pompis eſſe contentam, quando iſta tantùm habet cum marito communia: veráne autem, an precaria ſint mariti imperia, non admodum penſi habere, cum hæc ad ipſam non pertineant. Tanto autem miranda magis *Ferdinandi* conſtantia, vt qui ne conjuge quidem aliud optante dimoveri à propoſito potuit. Sed nos Conjugem quoque ab hac ſuſpicione abſolvimus. Cùm enim illa non ingentis tantùm animi, ſed mentis etiam eſſet ſupra fœminæ modum perſpicacis, haud facilè animum induxerimus, illecebroſis eam vmbris capi potuiſſe, & ſpecioſa præferre profuturis. Vtut ſit, multum debent *Ferdinandi* modeſtiæ Auſtriaci, ad quos Imperium, non interruptâ ſerie, pervenit. Nec minora ipſum debet Imperium,

rium, cujus & quieti proſpexit ille, ablatâ pleraque novandi neceſſitate, & venerabilem Gentibus ejus retinuit majeſtatem, quam ſola tuetur potentia imperantis. Et agnoviſſe viſus eſt collatum à Ferdinando beneficium Leopoldus, quando ab ipſa ſtatim inauguratione illum inviſit, eâ exceptus magnificentiâ, quâ majorem nec ab altero quidem Imperatore expectâſſet. Et verò jam dudum *Ferdinandi* noſtri parens, regalis ejus palatii, quod Monachii ſtruxit, partem nobiliſſimam recipiendis Cæſaribus deſtinavit, quò ſuum ſcilicet erga eos ſtudium, reverentiámque teſtaretur, quibus parata ſemper domi ſuæ ſedes eſſet, & ea quidem peculiaris, & tanta Majeſtate digna. Poſſet & illud proferri argumentum non multò minùs luculentum, quo palam fieret, nihil illud perpetuum ferè Principum tormentum, creſcendi cupiditatem dico, in moderatiſſimum *Ferdinandi* animum potuiſſe. Quod enim plerique Principum, vel ſibi, vel ſuorum alicui concupierant matrimo-

trimo-

trimonium, vtpote cum ſpe haud vana præſtantiſſimi Regni conjunctum, ipſe, quamvis filio ſuo Maximiliano petere potuiſſet, & multorum animos, ſtudiáque in illum propendere non ignoraret; non petiit tamen, tuta ſemper grandibus præhabere doctus. Sed iſtud, quod à nobis obſcurè dictum eſt, ſecuturis Analium Boicorum ſcriptoribus evolvendum relinquimus.

Non vnus Encomiaſtes Pacifici titulum *Ferdinando* aſſeruit. Certè quoad ipſe imperavit, multum quidem Bavaria militem vidit, hoſtem neminem. Neque tamen domeſticâ in quiete huic Principi palmæ defuerunt, & lauream non vnam ſuus illi miles impoſuit, quem contra Chriſtiani nominis hoſtes & Cæſari in Hungariam, multo, quàm eſſet legibus conſtitutum, numeroſiorem, & Venetis pro retinenda Creta laborantibus, ſuppetias miſit. Sed & Affinem ſuum Sabaudiæ Ducem, quem inter & Genuenſes bellum exarſerat, inſtructiſſimâ legione auxit, quę, vt erat à

Paci-

Pacifico Principe profecta, pacem ſecum attuliſſe viſa eſt. Alteram quoque prævalidam legionem Patrueli ſuo Colonienſis Eccleſiæ Antiſtiti ſubmiſit, vt viribus auctior, per occaſionem Batavici belli, amiſſa pridem oppida recuperaret.

Hæc foris. Suæ intra ditionis fines ſemel duntaxat arma ſtrinxit; ſed ſtrinxit tantùm. Nam Weidenſem, quæ petebatur, arcem tueri adversùs *Ferdinandum* nemo ſuſtinuit. Cæterum ne bellandum ſibi eſſet, ſemper ad id paratus fuit; adeóque à gerendis bellis abſtinuit, non quòd gerere non poſſet, ſed quòd nollet. Tribus autem potiſſimùm rebus videtur conſecutus, vt nullus ſe illi hoſtem profiteri non formidaret: opportuna Patrię tutandę munimenta excitando, copioſum legendo militem, & poſtquam legerat, modis aptiſſimis conſervando: in quorum vno fermè videas deficere, quicunque acceptis cladibus Provincias peſſundant. Diſceptant militiæ ſcientes, præſtétne, multis in vnaquaque Provincia vrbibus, arcibúsve

 muni-

munitiones circumdari, an paucis, ſed quæ ad propulſandam vim hoſtium,rebus omnibus probè inſtructæ ſint? *Ferdinandus*, vt fermè extremis media ſapienter præhabere conſueverat, nec multas voluit, & , ne pauciores æquo eſſent,Brunovium adjecit,vt ſic Danubius Ingolſtadio, Oenus Brunovio defenderetur. Huic loco firmando nihil omiſit, quidquid ex vſu ferendæ longiſſimæ obſidionis hodierna polemicorum dictat Architectonice. Ingolſtadii verò & vetera reſtauravit, & nova cujuſvis fortis propugnacula maximis impendiis adjecit. Militem numeroſum atque lectiſſimum per annos complures ſub ſignis habuit, eúmque intra Bavariæ fines continuit, nemini gravis aut moleſtus, niſi fortè quis eſſet, qui inermem & opportunum injuriæ maluiſſet.Et quamquam totâ paſſim Germaniâ perſtreperent tympana, varia ſub ſigna milites evocantium, metuendum tamen non erat, ne ſui Bavaro delectus non procederent. Norant cuncti, non alibi accura-

curatiùs pendi ſtipendia, veteri nimirum Maximiliani inſtituto, & qui vitam ſanguinémque Patriæ ſaluti conſecrâſſent, jejunæ egeſtati ab hiſce Ducibus non exponi debellandos. Hac ſtipendiorum in tempore repræſentatione ſatis cautum erat, ne lectus diffluerer miles: at ne gravis nimiùm Provinciç evaderet, ſummam *Ferdinandus* ſervandæ militari diſciplinæ curam adhibuit. Videbat ſiquidem, nullam adeò opulentam Regionem eſſe, quam impatiens legum exercitus, atque in omnem licentiam effuſus non brevi totam exhauriat. Et hinc adigi non rarò Principem ad legiones tum à ſignis dimittendas, cùm vel maximè illis opus foret: cúmque pacem vni maximè milites oderint, etiam æquam: neceſſitatem tamen ineundæ pacis vel iniquæ ipſos potiſſimùm imponere, dum nihil non audendo, belli vltra gerendi modos omnes præſcindunt. Et optandum ſanè foret, vt alii Principes ſuis tandem damnis, vel Bavariæ exemplis, hac in partç ſaperent. Multorum ſe odiis

*Ferdinandus* objecit ob ea, quæ geſſit poſtremo bello: immò quòd Germaniæ Principum ferè ſolus nihil tunc geſſerit. Bellum dico, quod in Germania exarſit, flammis inde uſque à Batavia, hoc eſt, ab vltima Germaniȩ lacinia in ipſa ejus viſcera translatis. Vbi primùm opem Batavis adverſus arma Gallica parari in Germania ſenſit, plurimum laboravit, vt impediret: ubi id fruſtra fuit, & jam, quȩ timuerat incendia, paſſim graſſabantur; nihil non egit, vt reſtingueret. Minus nimirum exiſtimabat malum, ſuccumbere illam peſsimis exortam initiis Rempublicam, quàm belli ſedem media in Germania collocari. Quodſi enim furor eſt, perire, ne pereas, nec illud etiam providæ mentis eſſe, præſentibus periculis occupare timorem futurorum. Neque verò ipſi etiam Bataviæ, tametſi à potentiſsimo Rege ſummis viribus oppugnaretur, magnopere timendum initio viſum eſt. Quis enim crederet, eam Rempublicam, quæ dimidii propè mundi dominam Hiſpanorum potentiam ſic

fati-

fatigârit, vt cum illa tot luſtris, terrâ maríque ex æquo decertaret à quocunq; demũ álio hoſte primo ſtatim impetu ita proterendã, vt ſui vix aliqua parte ſuperſtes, propriis ſe viribus erigere poſthac non valeret? Quamobrem plerique Imperii Principum, haud aliter ac *Ferdinandus* noſter, nihil tum movendum exiſtimârunt, ſed ipſam ſibi Bataviam tuendam reliquerunt. Et fortaſſe reliquiſſent diutiùs, ſi lentiùs arma Gallica feſtinâſſent. Non enim ingratum illis eſſe poterat, Gallos, quos fama eſt, ab armis quieſcere non poſſe, Batavico bello videre implicitos, quod longum ac difficile fore videbatur. Aſt vbi ſecus accidit, & jam victricia Lilia cunctis ferè Fœderatorum Ordinum Provinciis volitare conſpecta ſunt, telorum faſce diſsipato; tum enim verò proſtratis opem maturandam pars Principum longè maxima cenſuit, ne auctâ in immenſum Galliæ potentiâ, inevitabilis mox ipſos fatorum ordo in eandem cum Batavis foveam traheret. At *Ferdinandus* nihil his

motus perſtitit in ſententia. Nam ferè quæ ſemel ſtatuerat ( nihil autem ſtatuit, niſi poſt multam deliberationem ) ab his ſe dimoveri haud facilè patiebatur: quam animi conſtantiam firmitatémque, alii, vt fieri amat, obſtinatæ mentis pervicaciam vocabant. Alii hoc eum non ſuimet inductione animi agere crediderunt, ſed quòd id Conjugi ſuæ placeret. Cùm verò eadem defunctâ ſentiretConjuge, quæ ſenſerat vivâ, patuit, non alieno *Ferdinandum*, ſed ſuo arbitrio agenda deſtinâſſe. Nempe perſuaſum ſibi habuit, Galliam redactis in poteſtatem ſuam fœderatis Provinciis exaturatum iri, nec vltra progreſſuram; certè nudatam licet externis illis munimentis Imperii Germanici arcem adhuc adverſus quantamcunque hoſtium vim ſatis perſe munitam fore. Quippe Germaniam armis viríſq; præſtantem, ſi tota coëat, toti ferè Mundo parem eſſe; & coituram vtique, ſiquis ipſam bello aggrediatur. Sapientis quidem eſſe, flammas compeſcere, quæ domum cujuslibet, etſi non ami-

amici, ſuæ proximam, populantur: ac non ex hoc incendiorum genere bellum eſſe, quod ſenſim & velut ordine propagetur, ſed quod transultoria ſæpe levitate, maximè cùm irritaveris, furere deſinat, vbi primùm cœpit, vt alibi pro arbitrio ſęviat. Denique cùm Parens ſuus tot per annos duobus *Ferdinandis* Cæſaribus junctus, Auſtriacæ Domus commoda non mediocriter promoverit, quòd hæc cum Religionis Catholicæ emolumentis conjuncta videret, ſibi vitio vertendum non putavit, ſi Gallicos ipſe de Batavis triumphos non quidem promoveret, ſed non impediret, quando ſcilicet illi quoque videbantur in Catholicæ Religionis incrementum redundaturi. Quòd verò etiam ardente jam ipſâ Germaniâ nihil ille opis attulerit, majori fuit invidiæ. Ac eo quidem plus opis conferre poſſe creditus eſt, quò magis ab ea ferenda Galli eum retinebant. Non enim niſi Principis hujus vires permagni faceret potentiſſimus Galliæ Rex,

tot ac tales ad ejus Aulam Legatos miſſurus videbatur. Miſit enim Vitrium primò, Ducem ac Parem Franciæ, mox Hayum, graviſsimâ priùs Legatione Conſtantinopoli functum, demum & Eſtræum S.R.E. Cardinalem, eundémque Ducem ac Parem Franciæ, virum & claritudine generis, ſummis etiam Principibus cognatione junctũ, & ampliſſimâ dignitate, & ingenii ſolertiâ, & experientiâ rerum, inter ſummos æſtimandum; qui non paucos tantum dies aut hebdomadas, ſed ſedecim ipſos menſes Monachii ſubſtitit. Verùm enim verò non horum magìs perſuaſionibus, quàm ſuo *Ferdinandus* judicio, medium, quem ſemel cepit, locum retinuit: non enim eo loci res Germaniæ prolapſas eſt ratus, vt ſibi quoque ad eas fulciendas, tanto Provinciarum ſuarum incommodo, eſſet accurrendum: quod ſi aliquando eſſet opus, eo validiorem à ſe opem ferri poſſe, quo magis interim ſuæ ditionis Provincias ab ijs calamitatibus, quæ cæteras

teras ferè depaſtæ ſunt, ſervaret immunes. Nunc ſe de Imperio meliùs meriturum, ſi ſua potiùs ad conciliandam pacem ſtudia, quàm ad protrahendum bellum arma conferret. Atque hanc ipſam ob cauſam conficiendę pacis negotio inprimis opportunum ſe fore, quòd & integris eſſet viribus, adeóque metuendus, & vtriq; partium hactenus amicum ſe præſtare laboráſſet. His *Ferdinandi* conſiliis prudentiæ laudem nemo facilè ademerit. Sed vel hoc ipſum aliqui non extra omnem reprehenſionem eſſe putant, ſi, qui pars eſt alicujus Reipublicę, privatâ & propriâ prudentiâ vtatur. Nam poſtquam in commune aliquid ſtatutum eſt, non jam prudentię, ſed ſolius obſequii laudem vnicuique relictam eſſe. Sed de his pronunciare noſtrum non eſt: illud ſufficit Principi noſtro decus aſſeruiſſe, de quo ſupra dicebamus; nihil ab eo vnquam ſuſceptum, geſtúmque, quod non apprimè honeſtum videretur. De cætero, quæcunque, in gra-

vioris prſertim momenti rebus, Principes ſtatuunt, agúntque, ſint licet ipſi *Sereniſſimi*, adeò dubiæ tamen & ambiguæ lucis ſunt, vt neque qui laudent, deſint, neque qui vituperent.

Vltimum operum, decorumque *Ferdinandi* fuit Pax, tot curis, laboribus, legationibus tandem obtenta: quæ eo plus laudis gloriæque Principi noſtro eſt paritura, quo magis fuerit, qualem ipſe deſiderabat, ſyncera & conſtans. Sed talem eam præſtare, in aliorum eſt poteſtate, mercedem certè *Ferdinando* procurati fide optima boni publici nemo eripiet.

Speraverit & ipſe *Ferdinandus*, aliquo hujus à ſe præſtitæ operę fructu inter nos gaudere: ſed aliter Deo viſum, qui optimum Principem, Pacis Triumphos meditantem, anno vitæ tertio ſupra quadrageſimum, ſæculi ſeptuageſimo nono, 7. Cal. Junias, ex arce ſua Schleisſhemiana, cùm ita vixiſſet, vt mori nunquam non eſſet paratus, repentè evocatum,

catum, nobis, nil tale metuentibus, eripuit. Magnum apud ſubjectos populos ſui deſiderium, ſed magnum etiam ſolatium reliquit *Ferdinandus*, filium *Maximilianum Emmanuelem*.

# FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

SYNO-

# SYNOPSIS
# REGUM DUCUMQUE BOIARIÆ.

I. *Theodo Agilolfingus Bojos* in Vindeliciam & Noricum Anno DVIII. inducit, & Romanas Provincias à ſe occupatas *Bojariæ* nomine appellat. Moritur Anno DXXXVIII. fol. 1.

II. *Vtilo I.* Theodonis Filius Moritur Anno DLXV. fol. 4.

III. *Garibaldus I.* Regio nomine uſus *Theodelindæ* Pater, à Childeberto Francorum R. Regno & fortaſſe etiam vitâ exutus Anno DXC. fol. 8.

IV. *Thaſſilo I.* uſurpato aliquamdiu Regio nomine *Ducis* deinde appellatione contentus. Mor. Anno DCVII. fol. 12.

V. *Garibaldus II.* Thaſſilonis F. Uxoris *Gailæ* caſtimoniâ quàm alia ulla re clarior, uſque ad A. DCXVI. fol. 15.

VI. *Theodo* vulgò *Tertius* dictus à *D. Ruperto* Chriſtiana Religione cum tota *Bojorum* gente imbuitur A. DCXVI. fol. 18.

VII. *Theodebertus I.* Theodonis F. paternæ pietatis hæres incertum quot annis. fol. 22.

VIII. *Hugibertus* Theodeberti F. ſub quo Dagobertus R. Franc. *Boicas* Leges publicavit. Anno Imperii ejus dubii. fol. 25.

IX. *Theodo IV.* cujus Filius Lantbertus *S. Emmeramum* excarnificavit; ipſe eidem Martyri Cœnob. & Templum ſtruxit. fol. 32.

X. *Theodebertus II.* Bello Langobardico A. DCCXII. celebratus. fol. 32.

XI. *Theo-*

XI. *Theodo V.* ex voto Romam profectus A. DCCXVI. quo imperante *D. Corbinianus* in *Bojariam* conceſſit. fol. 25.

XII. *Grimoaldus* Theodonis V. F. infelici Pillitrudis Conjugio calamitoſus, cætera pius. fol. 28.

XIII. *Hugibertus II.* Grimoaldi Frater; ſub quo *D. Bonifacius* Primum è *Bojca* Hæreticum profligavit. fol. 42.

XIV. *Vtilo II.* Regium nomen inauſpicato ſumptum, victus à Francis ponit, incerto fato oppreſſus. fol. 46.

XV. *Thaſſilo II.* Vtilonis F. ex Duce Rex; ex Rege Monachus infelicibus bellis *Agilolfingorum* Imperio in *Bojca* finem imponit. Anno DCCLXXXVIII. fol. 30.

# CAROLINGORVM POST AGILOLFINGOS IN BOICA IMPERIUM.

XVI. *Carolus M.* Thaſſilone exauthorato, Rex *Bojariæ* filiis duobus Pipino & Carolo *Bojca Ciſ.* & Tranſdanubianæ præfectis ſuperſtes Pipini Filio Bernardo Portionem paternam attribuit. A. DCCCXI. fol. 76.

XVII. *Bernardus* Pipini F. ob ſuſpicionem affectatæ Tyranidis effoſsis oculis miſerè periit. Anno DCCCXVIII. fol. 62.

XVIII. *Lotharius* Lud. Pii F. Caroli M. N. Patris voluntate *Bojcam* pro Bernardo A. DCCCXIV. regendam ſuſcepit, tenuitque triennio, impiis bellis adverſus Patrem Fratréſque infamis. fol. 66.

XIX. *Ludovicus I.* Lotharii Fr. Regnum *Bojariæ* Anno DCCCXVII ſibi deſtinatum, Anno XXV. aditum, LXXVI. ejuſdem ſeculi cum vita poſuit. fol. 71.

XX.

XX. *Carolomannus* Lud. Filius clariſsimis Victoriis nobilitatus Cœnobii Oetingani Fundator. Ob. DCCCLXXX. fol. 77.

XXI. *Ludovicus II.* Carolomanni Fr. poſt ejus mortem *Bojariæ* Regno per biennium potitus. fol. 82.

XXII. *Carolus Craſſus* duorum præcedentium Regum Fr. cùm omnia *Caroli M.* Regna poſſideret ſolus, iis omnibus dejectus, & ad Mendicitatem redactus. Anno DCCCLXXXVII. Ludibrum Fortunæ moritur. fol. 86.

XXIII. *Arnulphus* Carolomanni Nothus *D. Emmerammi* Cultor eximius, ab eoque in pugna ſervatus, unicum & ſtupendum utriuſque Fortunæ exemplum Ob. DCCCXCIX. fol. 91.

XXIV. *Ludovicus III. Arnulphi* Cæſ. F. ſeptennis ad Regnum pervenit, tamdiu felix, quamdiu *Luitpaldus*, ad quem hodierni *Bojariæ* Principes ſuas Origines indubitatas referunt, rei militari præfuit, Eo A. DCCCCXI. ſine hærede moritur. f. 98.

## CAROLINGIS IN LVDOVICO EXTINCTIS DVO LVITPALDINI SVCCESSERE.

XXV. *Arnulphus Luitpaldi* F. vulgari Maledicentia *Malus* dictus, variis caſibus vivus mortuuſque jactatus Ob. A. DCCCCXXXVII. fol. 103.

XXVI. *Bertholdus* Arnulphi frater, Filiis ejus prætermiſſis, Modeſtiæ Virtutiſque merito ad Principatum vocatus, deceſsit A. DCCCCXLVII. fol. 110.

## SAXONES MOSELANI, ITALO-SVEVI SIVE VVELFONES ET AVSTRIACI MIXTI NVMERO XIX.

XXVII. *Henricus I.* Henr. Aucupis F. Ottonis M. Fr.

qui

quo *Bojcam* obtinente, Vngari memorabili pugna in campis Lycatibus profligati ſunt, imperavit ab A. DCCCCXLVIII. uſque ad LV. jam nominati ſæculi. fol. 115.

XXVIII. *Henricus II. Pius* & *Rixoſus* diverſis ex cauſis dictus, ambitione Imperii Ducatu *Bojariæ* A. DCCCCLXXV. excidit. Receptum poſt Annos decem ejuſdem ſæculi, Anno XCV. mortuus reliquit. fol. 122.

XXIX. *Otto I.* Ludolphi F. Ottonis M. Nepos Sueviæ Dux Henrico Rixoſo exauthorato, *Boicam* regendam ſuſcepit, tenuitque uſque ad Annum DCCCCLXXXII. fol. 127.

XXX. *Henricus III. Minor* dictus Ottonis proximè nominati Filius Dux Carinthiæ patri ſuffectus, *Henrico* Rixoſo Anno Regiminis tertio ceſſit. fol 132.

XXXI. *Henricus IV.* Henrici Rixoſi F. Cæſ. *Sanctus* poſt mortem Patris *Bojcam* in decimum uſque annum rexit. fol. 136.

XXXII. *Henricus V.* Moſellanus S. *Kunegundis* Frater Ducatui *Bojariæ* ab Henr. S. impoſitus A. MV. Ob rebellionem exauthoratus Anno MIX. iterúmque A. MXVII. reſtitutus. A. MXXVII. Mortuus. fol. 144.

XXXIII. *Henricus VI.* inter Cæſares eo nomine III. Conradi Salici Cæſ. F. Dux *Bojariæ* à Patre Novennis adhuc ſalutatus, illud nomen inter ſuos Titulos uſque ad Anno MXLII. tulit. fol. 150.

XXXIV. *Henricus VII.* Henrici V. Moſellani Fratris Filius A. MXLVII. Ducatus V. in apparatu Nuptiarum mortuus. fol. 157.

XXXV. *Conradus* incertæ Originis & Familiæ Anno MXLIX. Principatum adiit, laudatiſsimè geſtum mutatis moribus Anno MLIII. amittit; biennio

biennio poſt miſerrima morte extinctus. fol. 161.

XXXVI. *Henricus VIII.* hoc nomine inter Cæſares IV. ſub Tutela Gebhardi Aichſtettenſis Epiſcopi, qui Pontifex deinde creatus Victoris II. nomen tulit, Principatum *Bojariæ* quinto ætatis Anno ſuſcepit, A. MLVII. depoſuit. fol. 167.

XXXVII. *Agnes* Imperatrix Vxor Henr. III. qui inter *Bojariæ* Principes hoc nomine VI. eſt, Principatu A. MLVII. potita, eo ſe An. MLXI. abdicavit rarum ſui ſexus Ornamentum. fol. 172.

XXXVIII. *Otto II. Gottingenſis* Saxo ob virtutem Ducis dignitate auctus. Invidia & Calumniis oppreſſus iniquiſsimè exauthoratur. A. MLXX. fol. 181.

XXXIX. *VVelfo I.* Paterno genere Italus, materno Suevus, vetuſtiſsima origine *Bojus* Ottoni ſufficitur, A. MLXX. variis caſibus jactatus, Cruce ſignatus decedit in Cypro Anno MCI. fol. 188.

XL. *VVelfo II.* VVelf. I. F. præſtantiſsimus Princeps Ducatum A. MCII. adiit, poſuit MCXX. fol. 194.

XLI. *Henricus IX.* VVelf. I. Fil. II. Fr. in ſumma felicitate Principatu quinque annis laudabiliter geſto ſe abdicavit, & Monachum induit, D. Benedicti inſtitutum amplexus, cùm Conradus ejus F. in D. Bernardi leges primùs *Boiorum* juraſſet. Mort. MCXXVI. fol. 199.

XLII. *Henricus X.* cognomento *Superbus* Henr. IX. F. cùm ad *Bojariæ* principatum etiam Saxoniam, cum magna Parte Italiæ adjeciſſet, ex illo Fortunæ faſtigio A. MCXXXVIII. deijcitur, erigere ſe rurſus conantem ſequenti A. venenum extinxit. fol. 203.

XLIII. *Leolpoldus* Auſtriæ Marchio Leopoldi S. Filius Henrico

Henrico Superbo A. MCXXXIX. ſuffectus breve & inquietum imperium A. MCXLI. patriam repetens cum vita amiſit. fol. 210.

XLIV. *Henricus XI.* Leopoldi frater ejúſque in Principatu ſucceſſor A. MCLVI. Henrico Leoni Henr. Superbi Filio ea conditione ceſsit, ut Auſtria à *Bojaria* avulſa Ducatus titulo deinceps gauderet, quæ *Bojariæ* duntaxat Limitanea provincia ſive Marchia fuerat. fol. 214.

XLV. *Henricus XII.* Cognom. *Leo* Henr. Superbi F. *Bojariam*, de cujus poſſeſsione Pater deturbatus fuerat, Anno MCLVI. recuperavit. Bellis, propagata Religione, Itinere Palæſtino & denique etiam proſcriptione, quæ illum Anno MCLXXX. afflixit, nominatiſsimus Princeps. Ob. MCXCV. fol. 219.

## POST HOS SERIE NVNQVAM INTERRVPTA PRINCIPES AB OTTONE M. WITTELSPACHIO ORIVNDI BOIARIÆ PRINCIPATV POTITI SVNT.

XLVI. *Otto III.* Cogn. *Magnus VVittelſpachius* H. Leoni exauthorato à Frid. Cæſare Ahenobarbo ſuffectus, cognomentum non niſi maximæ virtuti datum conſecutus, *Bojos* triennio rexit. A. MCLXXXIII. mortuus. fol. 228.

XLVII. *Ludovicus IV.* Ott. M ex Agnete VVaſſerburgo-Halenſi F. pupillus à Patre relictus, anno poſt mortem ejus nono Principatum adiit; expeditione Aſiatica quantumvis calamitoſa, & Palatinatu Rhenano in VVittelſpachiam Familiam translato nobilitatus. Occiditur à Sicario per Frid. Cæſ. immiſſo A. MCCXXXI fol. 236.

XLIIX. *Otto IV.* Lud. ex Ludmilla Primiſlai R. Bohem. F. Alberti Com. Pogii Vidua Filius, Famoſiſsimus Princeps; ex Agnete Henr. Brunſuic. Comitis Pal. Rheni Filia Filios Ludovicum & Henricum tulit; Filias, Sophiam uxorem Com. Hirſpergii, & Eliſabetham Conradi Sic. & Hieroſ. Regis Vxorem, Matrem Conradini; nuptam poſtea Menhardo Comiti Goriciæ. Ex Henrico nati Otto Hungariæ Rex; Pater Henrici Junioris, qui Naterbergius dictus eſt. Alter Henrici F. Stephanus fuit Pater Henrici, qui ad differentiam prioris dictus eſt Senior, Filiúmque Joannem genuit, in quo Henrici linea defecit. *Otto IV.* obiit. A. MCCLIII. fol. 242.

XLIX. *Ludovicus V.* Cogn. *Severus* Ott. IV. F. Primam Conjugem Mar. Brabantinam ob ſuſpicionem violatæ fidei conjugalis interfecit. ex II. Anna Gloggovienſi Sileſia Ludovicum in ludrico certamine occiſum filium habuit. ex III. Mechtilde Rudolphi I. Cæſ. F. Rudolphum Comitem Palatinum, nominis illius gentiſque Propagatorem, & Ludovicum Imperatorem tulit, Filias præterea duas, Mechtildem Duci Brunſuicenſi Lunæburgio; & Agnetem Haſſiæ Landgravio nuptam. Obiit *Ludov. V.* A. MCCXCIV. fol. 250.

L. *Ludovicus* inter Principes *Bojariæ* hoc nomine VI. inter Cæſares IV. poſterius nomen Anno MCCCXIV. maxima virtute meruit, tulítque inter ſummas difficultates & acerba Pontificum odia, uſque ad Annum ejus ſæculi quadrageſimum ſeptimum, quo deceſsit, fol. 257.

*Liberi* ejus ex *Beatrice Polona I.* Ludovicus Marchio Brandeburgenſis, qui ex Margarita Dana nihil liberorum; ex Margarita Maultaſchia Menhardum

hardum tulit, qui Patris ſui nomen ſecum ſepelivit.

II. Stephanus; de quo poſtea.

III. Mechtildis Vxor Frid. Marchionis Miſniæ, & Landgravii Thuring.

IV. Agnes in Parthenone Angerano Chriſto nupta.

Ex II. Conjuge *Margarita* Guilh. Com. Hannoniæ, Holland, &c. filiâ progenuit *Ludovicus* Cæſ.

I. Ludovicum Romanum. II. Ottonem. III. VVilhelmum. IV. Margaritam Com. Gerlaci Hohenlohii vx. V. Annam deſponſatam Joanni Duci Bojar. Inf. eôque defunĉto, D. de Scala nuptam. VI. Eliſabetham Vxorem Vdalrici VVirtenbergici. VII. Albertum, qui ex Margarita Ligniceñſi genuit

I. VVilhelmum II. in cujus Filia Jacobe hæc quoque Linea defecit. II. Albertum. III. Joannem Epiſ. Leodienſem, poſtea Eliſabethæ Luſatiæ maritum. IV. Margaritam. V. Catharinam. VI. Joannam. fol. 277.

LI. *Stephanus* Lud. Imp. F. ex Eliſabetha Sicula Filios habuit Stephanum, Fridericum & Joannem fol 279.

Ex Stephano & Thadæa Mediolanenſi nati Ludovicus Barbatus Pater Ludovici Gibboſi, in quo Stephani progenies defecit. Ludovici Barbati ſoror fuit Eliſabetha Vxor Caroli VI. Regis Gall.

Ex Friderico altero Stephani F. & Vxore I. Anna Graiſpachia nihil natum eſt. Altera Vxor Magdalena Mediolanenſis genuit Joannem, Magdalenam, Eliſabetham & Henricum. Ab hoc Henrico & Margarita Auſtria ſunt Ludovicus Magnus vel Dives; Joanna Vxor Ottonis Moſpacenſis; & Eliſabetha vx. Vlrici VVirttenberg.

Ludovicus Magnus & Amalia Friderici Saxonis F. genuere Georgium Divitem & Margaritam Vxorem Philippi Com. Pal. Rhen.

Georgius Dives non niſi duas Filias ex Hedvvige Polona tulit; Eliſabetham Vxorem Ruperti Comitis Palatini Facem Belli Boio-Palatini; & Margaritam Monialem in Altenhohenau.

*Stephanus*, cujus potiſsimum Ratio hoc loco habetur, obiit A. MCCCLXXVII.

LII. *Ioannes* Stephani F. Conjugio Catharinæ Goricienſis pater factus eſt Erneſti, VVilhelmi III. & Sophiæ VVenceslao Rom. & Bohem. Regi nuptæ. fol. 294.

VVilhelmus ex Margarita Clivenſi Adolphum genuit, & Vxorem gravidam moriens A. 1435. reliquit. Poſthumo nomen Patris datum, qui tamen uti & Adolphus in tenera ætate deceſsit. Joanni Annus MCCCXCVII. fatalis fuit.

LIII. *Erneſtus* Joannis F. ex Eliſabetha Mediolan. tulit Albertum III. Beatricem & Eliſabetham; illam Hermanni Com. Ciliæ & poſt Joann. Bojariæ Ducis Nortgoiani; hanc Adolphi Juliacenſis, & deinde Heſſonis Comitis Leiningii Vxorem. Obiit Erneſtus A. MCCCCXXXVIII. fol. 313.

LIV. *Albertus* Cogn. *Pius* ex Anna Brunſuicenſi Pater Joannis, Erneſti, Sigiſmundi, Alberti, Chriſtophori & VVolfgangi; itémque Filiarum, Barbaræ Monialis; Eliſabethæ vx. Erneſti D. Saxon. Elect. & Margaritæ Vxor; Friderici M. Mantuani. Ex Filiis ſolus Albertus ſtemma propagavit. Pater obiit A. MCCCCLX. fol. 333.

LV. *Sigiſmundus* Alb. F. Templ. Mar. Monac. Conditor cum *Ioan.* Fratre Triennium, ſolus bienium imperavit. Abdicato deinde ſponte Prin-

cipatu, Privatus uſque ad Annum MDI. vixit; mortuus in Ordinis Franciſcani habitu. fol. 350.

LVI. *Albertus Sapiens* Sigiſmundi Fr. ex Kunegunde Auſtriaca maximi Animi Virtutiſque fœmina VVilhelmum, Ludovicum & Erneſtum Archiep. Saliſb. ſuſcepit. Itémque Sidoniam & Sibyllam; quarum Prior Ludovico Electori deſponſata, poſterior, eâ præmortuâ, eidem nupta eſt. Tum Sabinam Vxorem Vlrici VVirtenbergici; Suſannas duas, quarum altera infans deceſsit; altera Caſimiro Brandenburgico; poſtea Ottoni Henrico C. Palatino, Electori nupſit. Albertus maximis rebus geſtis Anno MDVIII. deceſsit. fol. 367.

LVII. *VVilhelmus Conſtans* vulgò IV. dictus Alb. Sap. F. Catholicæ Relig. in *Boica* Conſervator ex Jacobe Badenſi Theodonem, Albertum, VVilhelmum & Mechtildem ſuſtulit. Primus & Tertius immaturo fato deceſſerunt. Albertus ſtemma propagavit. Mechtildis Philiberto Badenſi collocata eſt. Obiit VVilhelmus Anno MDL. fol. 445.

LVIII. *Albertus Magnanimus* vulgò V. VVilhelmi IV. F. Princeps incomparabilis ex Anna Auſtriaca ſeptem Liberorum pater. Caroli, qui obiit infans. VVilhelmi V. Ferdinandi Bellatoris optimi. Mariæ Vxoris Caroli Archid. Auſtr. Mariæ Maximilianæ, quæ cælebs, Friderici, qui infans deceſſere; itémque Erneſti Archiep. & Electoris Colon. &c. Obiit Anno MDLXXIX. fol. 500.

LIX. *VVilhelmus Religioſus*, vulgò V. Alb. F. Princeps humana omni laude ſuperior à Renata Lotharinga decem Liberis beatus. Chriſtopho-

ro

ro eadem, qua natus eſt, hora; Leonora Magdalena intra annum; Chriſtierna octavo anno; Carolo Vitæ anno ſeptimo exacto defunctis. *Maximiliano*. Maria Anna Ferd. II. Imp. Conjuge. Philippo S. R. E. Cardinali. Ferdinando Archiepiſcopo Col S. R. I. Elect. &c. Alberto. & denique Magdalena, ex quibus Albertus quinque Liberorum ex Mechtilde Leuchtenbergica Pater, Mariam Renatam, Joannem Franciſcum Carolum, Ferdinandum VVilhelmum, Maximilianum Henricum, Albertum Sigiſmundum; Magdalena verò ex ſe & Sereniſsimo VVolf. VVilhelmo C. Pal. Rh. Duce Bojariæ Neoburg: natum Philippum VVilhelmum, lectiſsimos ſummæque Spei Principes *VVilhelmo* patri adhuc viventi oſtentarunt. Obiit *VVilhelmus* A. MDCXXVI. fol. 539.

LX. *Maximilianus I.* VVilh. F. S. R. I. Elector & Archidapifer. nullis ex Eliſabetha Lotharinga ſuſceptis Liberis, ex ſecundo cum Maria Anna Auſtriaca conjugio Pater Ferdinandi Mariæ &c. & Maximiliani Philippi &c. Obiit 1651. 27. Sept. fol. 582.

LXI. *Ferdinandus Maria* Maxim. F. S. R. I. Elector & Archidapifer, ex Henrieta Adelaide Sabauda Parens Annæ Mariæ Chriſtinæ, Galliarum Delphino nuptæ, Maximiliani Emmanuelis &c. hodie imperantis. Ludovicæ Margarithæ, Ludovici Amadei. Cajetani Mariæ, quæ trina proles primis tamen annis extincta. Joſephi Clementis &c. Violantæ Beatricis &c. Obiit Ferdinandus 1679. fol. 676.

# EMENDANDA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Fol. 77. | v. 16. | Quoque. | lege | Quódque |
| 176. | v. 23. | deſſet. | lege | deeſſet. |
| 237. | v. 14. | milleſium | lege | milleſimum. |
| | v. 25. | anum. | lege | annum. |
| 257. | v. 3. | Ludovci. | lege | Ludovici. |
| 294. | v. 18. | Muſule. | lege | Muſcule. |
| 355. | v. 19. | ſcripſs. | lege | ſcriptis. |
| 386. | v. 7. | erepia. | lege | erepta. |
| 391. | v. 24. | impeperavit, | lege | imperavit. |
| 421. | v. 24. | dyſenſeria. | lege | dyſenteria. |
| 433. | v. 5. | ab. | lege | ad. |
| 514. | v. 5. | ſui. | lege | ſuis. |
| 518. | v. 12. | ætern. | lege | æternæ. |
| 524. | v. 18. | fœdiſſiſimorū. | lege | fœdiſſimorū. |
| 532. | v. 3. | Hæreſii. | lege | Hæreſi. |
| 535. | v. 8. | illus | lege | illius. |
| 579. | v. 9. | propitandū. | lege | propitiandū. |
| 609. | v. 2. | concedet. | lege. | concederet. |
| 611. | v. 12 | pugnſſet. | lege | pugnaſſet. |
| 626. | v. 22. | Sueciam. | lege | Sueviam. |
| 695. | v. 22. | propè. | lege | probè. |

Num. xxxiii. in Synopſi. vſque ad Anno. lege vſque ad Annum.

A01 1474703

LVI
843

Digitized by Google